
600093912U



INTERPRETATIO

EPISTOLAE PAULI AD ROMANOS.

TYPIS A. W. SYTHOFF.

INTERPRETATIO

EPISTOLAE PAULI AD ROMANOS

PRIMUM IN LECTIONIBUS ACADEMICIS

PROPOSITA


NUNC NOVIS CURIS AD EDITIONEM PARATA

AUCTORE

W. A. VAN HENGEL.

TOMUS I

TRES CONTINENS FASCICULOS.



LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD D. NOOTHOVEN VAN GOOR.

LIPSIAE,
APUD CARL FR. FLEISCHER.



PRAEFATIO.

Quaenam causae sint, cur Commentarii in Epistolam PAULI ad Romanos *scribendi consilium, quod multis benevole hortantibus iam diu cepissem, ad effectum non pervenerit, nuper in Literis ad* WINERUM *datis exposui. Ibidem vero me ad editionem paraturum scripsi, quidquid habere mihi viderer, quo Epistolae illi lucis nonnihil afferrem. Quod quum, variis, quae ab hoc labore me avocabant, negotiis peractis, anno praecedenti aggrediebar, iam statim animadverti, difficultates, quae mihi obstarent, opinione mea longe graviores esse. Vix enim operi manum admovere inceperam, quin conatus a ceteris, uti par erat, seligendi quidquid iuris publici facturus essem, valde me exercerent. Deinde nunc praevidebam, selectorum pleraque talia fore, ut perspicue proponi non possent, si orationis contextae praetermitteretur explicatio. Tum hanc Epistolam diligenter denuo perlegens paucos tantum repereram locos, qui mihi nihil plane notandum praebebant. Quid plura? Mentem mutavi, et ita quidem, ut retractatis iis, quae scripsissem antea, nunc primi Capitis perpetuam interpretationem dare constituerem. Atque eandem viam, quamdiu suppetant mihi vires, persequi conabor. Operi vero, quo maiori libertate uterer, non Commentarii, sed alium inscripsi titulum. Quanto tamen iure haec interpretatio dici mereatur* novis curis

ad editionem parata, *testari poterunt discipuli mei tam antiquioris quam recentioris memoriae, quotquot mihi* Epistolam PAULI ad Romanos *in schola tractanti operam dederunt.*

Nimirum quamquam animi mihi dictat conscientia, me in docendi provincia negligenter non versatum esse, ea tamen, quae ad iuventutem excolendam conscripsissem, summopere mutanda putavi, priusquam ex umbra in lucem hominum proferrentur. Quamnam mutationem illa subierint, hic narrare nihil attinet. Monere tantum lubet, data opera nunc exposita esse haud pauca, quae antea aut leviter attigissem, aut prorsus praeteriissem. Et uti in hac vitae brevitate ars longa est, ita, curis denuo repetitis, haud raro sententiam olim probatam nunc improbandam iudicavi. Sed multum laboris inde quoque profectum est, quod hoc opus edere nolebam nisi Virorum Doctorum scriptis, quae mihi incognita erant, quum PAULI *Epistolam discipulis meis interpretabar, vel postea demum prodierant, in usum meum conversis. Nonnulla tamen eorum, serius quam optaveram accepta, mihi demum proderunt ad inchoatum persequendum: quo* alteram Commentarii *a* MEIJERO *scripti* Editionem *etiam pertinere, nihil est, quod magis doleam. Quid vero egerim, profecto iam iis, qui postremo tempore me docentem audiverunt, luculenter patebit, dummodo quod in scriniis habent meo ex ore descriptum cum* Introitu *publice edito comparaverint.*

Ab interpretandi ratione mihi antiqua et usitata, quae his saltem in regionibus vulgo cognita est, nullam habui causam, cur nunc recederem. Itaque leviora librariorum vitia silentio mittens, de iis tantum disputavi, quibus ponderandis operae pretium facere possem ad Editionem

Receptam corrigendam vel tuendam. Interpretationis Historicae, Logicae, Psychologicae legibus haud secus obedire annisus sum quam Grammaticae. Hactenus quoque mihi constiti, ut me ab excursibus in regionem disciplinae, quam dicunt, Dogmaticae abstinerem. Quod quamquam nonnullos aegre laturos esse praevideo, iis tamen displicere malui, quam evagando committere, ut hanc in Epistolam, quemadmodum plerumque fit, aut meam aut scholae sectaeve alicuius importarem opinionem. Nihil aliud mihi curae cordique fuit, quam PAULI *mentem pro viribus candide et ingenue lectori tradere et, si occultior erat, e tenebris eruere. Promiscue igitur variarum partium et familiarum laudavi interpretes, quoties mihi rem acu tetigisse videbantur. Ubi veri indagatio mihi minus ex voto successerat, satius habebam ignorantiam meam ultro fateri, quam temere asseverando auctori obtrudere aliena. Sed plus semel etiam me scribere memini, quod mihi mediocriter tantum satisfaceret. Et ab errando, quae communis hominum labes est, quomodo tandem liberum me praestare potuero? At vel sic tamen sperare ausim, me, ad hanc Epistolam illustrandam, operam et oleum non omnino perdidisse.*

Si quis fortasse miratur, me superato iam quarto et septuagesimo aetatis anno tale tantumque opus suscepisse, praesto mihi est, quo me defendam. Primum enim quoties Lectiones meas manibus versabar, editionem eorum, quae aeterna nocte occultari nollem, difficillimam fore deprehendi, nisi rem ipse auctor agerem. Deinde quum singulari Dei favore me vires huic labori necessariae nondum deficere viderentur, valde verebar, ne ingratum proderem animum, si casus futuri metu ad segnitiam me duci paterer. Praeterea adventum temporis, quo hinc

migrandum foret, tranquillius praestolari nesciebam quam residuos vitae meae dies impendendo in religiosam Epistolae illius explicationem, quae inter Literas ad generis humani salutem Divinitus datas eminet. Inchoatum si relinquere coactus ero laborem, post excessum meum videant alii, quid agendum sit ad fragmenta paulo gravioris ponderis meis ex scriptis colligenda atque emittenda. Verum si ad innumerabilia bona, quibus me Dei benignitas cumulavit adeoque cumulare pergit, haec accesserit fortuna, ut inceptum perficere possim, intra biennium spero me quinque vel sex editurum fasciculos, totum opus continentes. Per ea autem, quae de vocabulis πίστις, δικαιοσύνη, θάνατος *aliisque nunc iam disputavi, in Capitum sequentium interpretatione mihi breviori esse licebit. Ceterum livorem hominum, et maxime quidem eorum, qui, ut* MURETUS *ait, aliena reprehendunt, meliora non proferunt, si nemo unquam effugere potest, nae ego nunc quoque non effugiam. Sed haud paucos benevolos etiam et aequos iudices, qui meliora probantes deteriora leniter ferant, me habiturum confido. Ad corrigenda operarum pericula, quod gratus agnosco, utilissimi mihi fuerunt Viri Doctissimi et Amicissimi* KUENENIUS *et* LAURILLARDUS: *alter nunc Collega meus laudatissimus, alter egregius Sacrorum antistes apud* Zandpoortienses.

SCRIPSI LEIDAE 10 FEBRUARII 1854.

W. A. VAN HENGEL.

INTROITUS

IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.



In Novi Testamenti codice scriptorum PAULI Apostoli agmen ducit *Epistola* eius *ad Romanos*, quippe ab antiquis CHRISTI sectatoribus, ut GROTIUS [1]) aliique monent, propter urbis, cuius nomen in fronte gerit, maiestatem ceteris omnibus praeposita, ut etiam propter argumenti gravitatem. Testimonio veterum, qui unanimi consensu PAULUM Epistolae auctorem esse tradunt, gravissimum pondus adiicit consideratio eorum, quae de huius viri, et ratione, et oratione aliunde accepimus. Nequidquam autem agere, qui contrariam in partem disputent, satis superque probarunt REICHIUS [2]), KÖLLNERUS [3]) FRITZSCHIUS [4]), aliique.

---

[1]) In *Bibl. Crit.*

[2]) *Versuch einer ausführlichen Erklärung des Briefes Pauli an die Römer* cet. Tom. I. p. 20 sqq.

[3]) *Commentar zu dem Briefe des Apostels Paulus an die Römer Einleit.* p. XL sqq.

[4]) *Pauli ad Romanos Epistola* cet. *Proleg.* p. XXIV sqq.

Paulo gravior quaestio est, utrum Capita XV et XVI ab eodem auctore profecta sint, an ab alio Epistolae postea adiecta. Reichius data opera probare conatus est, postremam particulam, quae in Editione Recepta Cap. XVI: 25—27 exstat, manui alienae deberi. Sed argumenta ab eo in medium allata, quantum novi, nemo, praeter KREHLIUM [1]), tanti habuit, ut cum eo consentiret. Fritzschius autem aliique nonnulla ei opposuerunt, quae haud parvi ponderis sunt. Utique vix aut ne vix quidem credibile est, manum alienam Epistolae more usitato clausae adiecisse Doxologiam, variis ex locis petitam atque ita conflatam, ut minus cohaereat oratio, nisi Pronomen ᾧ, contra omnium fere librorum fidem, inde relegare vel mutare velis in αὐτῷ, quod *Ephes.* III: 21. 1 *Pet.* V: 11. 2 *Pet.* III: 18 editum est. Quid vero si sumimus, auctorem Literis, priusquam *Romam* mitterentur, relectis, vel ipsum manu sua, vel per scribam suum, hanc Dei laudationem raptim apposuisse margini, prout ea ex pectore eius commoto emanaret? Haud sine causa huiusmodi coniectura FRITZSCHIO placuit nec WETTIO [2]) prorsus displicuisse videtur. Ceterum, postrema hac particula excepta, strenue REICHIUS Capitum XV et XVI fidem defendit contra Viros Doctos, quorum in offensionem incurrerant varia ibi reperiunda.

Et haud pauca quidem, quae contra EICHHORNIUM [3]) aliosque disputata sunt, talia esse, ut ad op-

---

[1]) *Der Brief an die Römer ausgelegt.* p. 537.

[2]) *Kurzgefasstes Exeg. Handbuch zum N. T.* Ed. IV. p. 201.

[3]) *Einleit. in das N. T.* Tom. III. p. 282 sqq.

pugnandam BAURI [1]) sententiam quoque conferant, perspicue intelligitur ex rationibus et argumentis, quibus adversus eos usi sunt STUARTUS [2]), WETTIUS, MEIIERUS [3]), MAIERUS [4]) etiam et PHILIPPUS [5]). Audacius igitur SCHWEGLERUS [6]) eum probavisse monuit, in huius Epistolae Capitibus XV et XVI recentioris aetatis cerni additamentum. Nec tamen contradictiones eius adeo refutatae sunt, ut supersit nihil, quod accuratius examinari mereatur. Angustioribus vero cancellis haec schola circumscripta est, quam ut tantae amplitudinis opus capiat. Sed hoc minus doleo, quoniam infra mihi plus semel locus dabitur ad ponderanda praecipua eorum, quibus BAURI disputatio nititur.

Nihil difficultatis habet quaestio, quonam et loco et tempore haec Epistola scripta sit. Si cum ORIGENE [7]) attendimus ad *Rom.* XVI: 1, 23. 1 *Cor.* I: 14. 2 *Tim.* IV: *20 coll. Act.* XX: 2, 3, dubitari nequit, quin PAULUS eam scripserit *Corinthi*, et quidem intra tres illos menses, quos iterum in *Graecia* degeret. Laudari igitur meretur nota Epistolae subiecta: *Πρὸς Ῥωμαίους ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φοίβης τῆς διακόνου τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας.* Quonam autem anno CHRISTI, septimo et quinquagesimo, quae sen-

---

[1]) *Paulus, der Apostel Jesu Christi* cet. p. 398 sqq.

[2]) A *Comment. on the Epist to the Romans* cet. Ed. IV. p. 15 sqq.

[3]) *Krit. Exeg. Komment. über das N. T.* Part. IV. p. 301 sqq.

[4]) *Comment. über den Brief Pauli an die Römer.* p. 24 sqq.

[5]) *Comment. über den Brief Pauli an die Römer.* Part. III. p. 93 sqq. passim.

[6]) *Das nachapostolische Zeitalter.* cet. Tom. I. p. 299.

[7]) *Comm. in Ep. ad Rom. Praef.* Tom. IV. Opp. p. 459, 460. DELARUE.

tentia non improbabilis videtur, an alio literis mandata sit, adhuc sub iudice lis est. Sed multo plura sunt litibus obnoxia.

Quod BERTHOLDTUS [1]) aliique coniecerunt, societatis Christianae, antequam IESUS e vivis sublatus esset, prima iam *Romae* exstitisse initia, omnino incredibile habebimus considerando, eum ipsum ad Euangelium annunciandum vix aut ne vix quidem extra Palaestinae fines egressum esse suorumque in discipulorum, interioris etiam admissionis, oculis Messiam fuisse imperii hac in patria sua potiturum. Post eius excessum societatem illam a PETRO conditam esse, recentiori memoria KLEEIUS [2]), STENGELIUS [3]), MAIERUS iure meritoque negarunt. Nec praesto sunt argumenta probandi, quod plerique sumserunt, discipulos PAULI eam condidisse. De tempore autem, quo initium cepit, aeque incerti sumus ac de hominibus, qui ceteros praecesserunt. At ubi nos penitus deficiunt antiquitatis testimonia, videamus, quid locorum quorundam comparatio imprimis probabile esse doceat.

E nobilitatis fama, quam Cap. I: 8 Romana sectatorum CHRISTI societas ubique terrarum consecuta esse dicitur, intelligimus facile, non aliter fieri potuisse, quin ea iam diu exstitisset, antequam haec Epistola scriberetur. Quod ipsum indicant etiam verba

---

[1]) *Hist. Krit. Einl. in sämmtl. Kan. u. Apocr. Schriften des A. u. N. T.* Tom. VI. p. 3271.

[2]) *Comm. über des Apostel Paulus Sendschreiben an die Römer.* p. 13, 14.

[3]) *Comm. über den Brief des Ap. Paulus an die Römer. Herausgeg. von Dr.* J. BECK. Tom I. p. 5 sqq.

auctoris Cap. XIII: 11: *Νῦν ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν,* quae valde frigent, si nobis lectores proponimus nuper demum ad CHRISTI communionem perductos. Haud temere igitur Viri Docti coniecerunt, Iudaeorum ac Proselytorum, qui *Act.* II: 10 *οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι* dicuntur, nonnullos certe rerum Christianarum elementa *Hierosolymis Romam* transtulisse. Deinde *Romae*, quae GROTII sententia est a multis plausu accepta, haud secus atque *Antiochiae* aliisque urbibus celebrioribus contigisse videtur, ut CHRISTI professio iam initium caperet ab hospitibus, qui negotiorum causa ibi commorarentur. Et quum hinc valde magna hominum multitudo quotannis ad Deum publicis caerimoniis colendum in Palaestinam venisse censenda sit, quis est, qui dubitet, quin haud pauci, cum novae doctrinae seminibus domum reversi, ea aliorum quoque in animos iniecerint? Itaque a fide non abhorret, Christianae Romanorum societatis primordia anticipasse diem, quo PETRUS, uti *Act.* X traditur, CORNELIUM eiusque familiares ac necessarios suam in communionem susciperet. Hoc vero si sumendum est, res ipsa loquitur, in principio, quod bene iam vidit auctor commentariorum, qui AMBROSII nomine feruntur [1]), aditum ad hanc societatem patuisse nemini, nisi Iudaeorum Sacris initiato. Sed postea accesserunt, qui extera stirpe prognati nec rituum tamen Mosaicorum participes facti erant. Atque sic amplificatis eius fundamentis utrimque subito affluxere, qui se CHRISTO praestabant deditos et devotos. Haud

---

[1]) AMBROSIASTER seu HILARIUS in *Append. ad Opp.* S. AMBROSII. Tom. II. p. 26. *Bened.*

spernendum identidem, ut quisque sua sponte intelliget, incrementum attulerunt, qui Capite XVI huius Epistolae memorantur. Quae vero ad illos pertinent paulo penitius explorare debemus, quum ne intactae relinquantur Virorum Doctorum, praesertim BAURI, disputationes, tum propter ipsius argumenti gravitatem.

Ergo primum in censum veniunt AQUILA et PRISCILLA, Iudaei origine, PAULO probabiliter auctore ad profitendum CHRISTI nomen adacti. Quod Cap. XVI: 3, 4 ad eorum laudem scriptum est, haud scio, an causam nobis ostendat, cur his diebus non amplius *Ephesi*, sed *Romae* fuerint. Inde nempe cogi posse videtur, eos, Apostolo contra DEMETRII aliorumque, qui *Act.* XIX: 23 sqq. traditur, furorem adiuvando, sibi tantum odii, ut ipsi in capitis discrimine versarentur, contraxisse atque idcirco eodem tempore, quo ille in *Macedoniam* proficisceretur, *Epheso Romam*, ubi iam diu obsolevisset famosum CLAUDII decretum adversus Iudaeos [1]), reversos esse, donec, aliquanto post, animis adeo sedatis, ut sibi nihil amplius metuendum esset, hinc illuc, ut ex 2 *Tim.* IV: 19 apparet, denuo migrarent. Haud inconsulte igitur PAULUS ceteris omnibus, quos suo nomine salutari volebat, hos homines praeposuit. Cur vs. 5 proxime iis adiunxerit EPAENETUM, satis in promtu erit, dummodo coniicere liceat, AQUILAM et PRISCILLAM itineris comitem habuisse virum, quem hoc loco ille sibi dilectum vocat

---

[1]) *Act.* XVIII: 2. SUETON. *Vita* CLAUD. Cap. 25. Cf. BAUR. p. 371, 372. Nihil attinet cum CREDNERO, *Einl. in das N. T.* p. 380, 381, SUETONII verba ita interpretari, ut exaggerationis culpa in LUCAM conferatur.

quemque, e regione sectatorum CHRISTI in *Asia Proconsulari* positum, cum segetis primitiis comparat. Quidquid vero huius rei est, THOLUCKIUS [1]), RÜCKERTUS [2]), REICHIUS aliique argumentorum pondere probarunt, pro recepto Ἀχαΐας substituendum esse Ἀσίας. Quod, si LUCAE *Act.* XVIII: 19. XIX: 1 sqq. fides est, luculenter docet, eum quoque Iudaea ex gente fuisse. Nec minus MARIA, ANDRONICUS et IUNIA, qui vss. 6, 7 memorantur. Illius enim originem, ut bene etiam monet BAUMGARTEN-CRUSIUS [3]), prodit nomen, quod ea gessit, Hebraeum; hos PAULUS dicit τοὺς συγγενεῖς μου, quae verba alii interpretantur *populares meos*, alii *propinquos meos.* Sed ut hoc illi longe praeferendum esse efficeret, iure suo MEIJERUS tam ad orationem provocavit contextam, quippe nihil aliud ferentem, quam ad loquendi usum. Eodem tendunt tria illa, vs. 7 formulam τοὺς συγγενεῖς μου sequentia, quae post alios MEIJERUS itidem bene interpretatus est. Nam si adscripsit auctor, ANDRONICUM atque IUNIAM et secum captivos fuisse, et magni aestimari ab Apostolis, et CHRISTI partes suscepisse, priusquam ipse hoc faceret, supervacanea fere est praecedens *popularium* commemoratio, *propinquorum* non item. Tum in omnibus Novi Testamenti locis vocabulum συγγενής, aeque atque affine συγγένεια, *propinquos* significat praeterquam *Rom.* IX: 3; ibi vero Apostolus ipse indicavit, se vocabulo illi notionem *popularium* non tribuere, nisi ei adscripta sit

---

[1]) *Auslegung des Briefes Pauli an die Römer* ad h. l.

[2]) *Comm. über den Brief Pauli an die Römer. Ed.* 2 ad. h. l.

[3]) *Comm. über den Brief Pauli an die Römer. — herausgeg. von* E. J. KIMMEL ad h. l.

formula *κατὰ σάρκα*. Scrupulum autem, multorum animis eo iniectum, quod auctor vs. 11, 21 HERODIONEM, LUCIUM, IASONEM et SOSIPATRUM quoque hac appellatione distinguit, quam recte RÜCKERTUS aliique sustulerint monendo, eum *Tarsi* etiam habere potuisse *propinquos*, qui serius ocius CHRISTI sectatores fierent, elucebit ex comparatione *Act.* IX: 30 et XI: 25 cum *Act.* XV: 41 et *Gal.* I: 21—23, ubi eum, quum *Tarsi* versaretur, non otiosum fuisse videmus, sed illic inque *Cilicia* universa Euangelium annunciasse, quin etiam societates CHRISTO dicatas condidisse. Et quemadmodum *Act.* XXIII: 16 nobis filius proponitur sororis eius, a quo *Hierosolymis* periculi sibi imminentis commonefactus est; sic nullo modo mirandum arbitror, quod *Romae* et *Corinthi*, clarissimis in urbibus, aliquot eius fuerint propinqui, illuc variis de causis traiecti, postquam in Oriente doctrina Christiana imbuti essent. De ceteris vero, quorum nomina Cap. XVI exstant, nihil certi dici potest, sed eorum tamen haud pauci eadem etiam ex gente provenisse videntur.

His tamen ex disputatis non sequitur, *Romae*, quum PAULUS hanc Epistolam scriberet, sectatores CHRISTI origine Iudaeos plures fuisse, quam ex gentibus exteris prognatos. Quid enim, si Apostolus ipse homines, quos Cap. XVI suo nomine salutari iubebat, quippe peregrinos et hospites, a Romanis distinxit [1])? Deinde quum plane nesciamus, quanta ibi tunc temporis societas fuerit Christiana, hodie dirimi nequit controversia, utra numero praevaluerit propago. Nequidquam igitur

---

[1]) Cf. GLÖCKLERUS, *der Brief des Apostels Paulus an die Römer erklärt*, ad Cap. XVI: 3, 4.

multa, quae ab antiquo in utramque partem disputata sunt, recentiori memoria interpretes repetierunt. PHILIPPUS, ut plerosque ex gentibus exteris provenisse efficeret, animadverti iussit formulam λεῖμμα κατ᾽ ἐκλογὴν χάριτος, Cap. XI: 5, hanc alienam iudicans, si *Romae* plerique sociorum originis Iudaeae fuerint; sed hanc formulam certe urgere vetat comparatio verborum Cap. III: 3 et XI: 17, ubi nemo Pronomen τινές urgendum esse contendet. Nec maiori iure cum multis provocat ad Cap. XV: 16, ubi se auctor λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη dicit: hoc enim dicto, aeque ac simili Cap. I: 13—15, nihil aliud enunciavit quam studium suum ardens gentium exterarum prolem, *Romae* etiam habitantem, Euangelii fide beandi. KREHLIUS, ad contrariam sententiam tuendam Cap. I: 7 non Ῥωμαίοις, sed πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ legi monens, nec PAULUM in Epistolarum suarum fronte nusquam eiusmodi appellatione usum esse meminit, neque Epistolae ad Colossenses scriptae titulum esse τοῖς ἐν Κολοσσαῖς vel Κολασσαῖς. Minus tutum quoque praesidium esse, quod Vir Doctus Cap. VII: 1 quaerat in verbis Ἢ ἀγνοεῖτε, Ἀδελφοί, γινώσκουσι γὰρ νόμον λαλῶ, infra, uti spero, ostendam. IOSEPHI quod attinet narrationem [1]), AUGUSTI aetate Iudaeorum legatis, qui ex Oriente *Romam* venissent, supra octo mille populares huius urbis incolas operam dicantes adstitisse, etiamsi et eam omnino veram habeamus, et postea numerum eorum, quamtumcunque CLAUDII edicto ad tempus inde detraheretur, increvisse sumamus, nullam tamen ea nobis hac in lite argumen-

---

[1]) *Antiq. Iud.* Lib. XVII. Cap. 11. § 1.

tandi materiam ministrat. At vel sic quidem, si inter duo opposita eademque incerta electio facienda est, sententiam eorum, qui *Romae* plerosque sectatores CHRISTI ex Iudaeis ortos esse putant, alteri ut iam alibi indicavi [1]), praeferre non dubito. Quod uti praeter KREHLIUM multi alii, inter nostrates etiam GREVIUS [2]), cum BAURO et SCHWEGLERO defenderunt, sic hac ancipiti in causa probabilius illud videtur, si et rerum, de quibus Apostolus his in Literis disputat, maiorem partem, et ipsius societatis Romanae CHRISTO dicatae initia consideramus.

Iam his CHRISTI sectatoribus, utrimque collatis, non defuisse, qui Rectorum seu Presbyterorum et Diaconorum officiis fungerentur, haud pauci censent interpretes. Quod satis probabiliter FRITZSCHIUS aliique eruunt e verbis PAULI Cap. XII: 6 sqq. quae inepta sunt, si Romani huiusmodi ministris omnino caruerunt. Nec tamen inde sequitur, ministris illis communi omnium suffragio aliove modo legitimo totius societatis curam demandatam esse. Quin etiam nondum diremta quaestio est, an *Romae*, quum Apostolus Epistolam suam scriberet, societas Christiana fuerit in *Ecclesiae* formam redacta et bene ordinata. BAURUS certe, quamvis hoc fidenter asseverat, nihil aliud tamen ad fidem faciendam quam meras affert easdemque leviores ratiocinationes. Ita quoque omnes, quotquot eum praecesserunt vel secuti sunt. RÜCKERTO igitur, cum

---

[1]) *De betrekking van het gevoel tot het uitleggen van den Bijbel* cet. p. 200.

[2]) *De Brieven van den Apostel Paulus uit het Grieksch vertaald, met aanmerkingen.* Tom. I. p. 9 sqq.

BENGELIO [1]) aliisque contrariam in partem disputanti, pleraque, quibus utuntur illi, argumenta sine magno negotio diluere contigit. Nescio autem, quid acutissimo MEIIERO acciderit, quum doctorum, qui secundum Cap. XVI illo tempore *Romae* versarentur, multitudine societatis bene ordinatae formam prodi moneret. Si enim doctores atque hoc nomine societatis Christianae moderatores fuisse sumimus, quos PAULUS ibi salutari vellet, sumere etiam debemus eum mandatum dedisse: *Salutate vosmet ipsi*, quo nihil profecto mirabilius est. Hactenus tantum huius loci est Apostoli mandatum, quod intelligimus inde, eum propinquos suos et familiares, qui nunc *Romae* essent, ut supra cum GLÖCKLERO fieri potuisse dixi, ad Romanos CHRISTI sectatores, quibus scriberet, non retulisse, vel Epistolam, si hoc praefertur, non ad universos illos sectatores, sed ad societatis praefectos misisse. Frustra quoque KÖLLNERUS, ut PAULUM *Romae*, quum illuc adveniret, florentem et bene ordinatam societatem reperisse argueret, provocavit ad verba LUCAE *Act.* XXVIII: 15: *Κἀκεῖθεν οἱ ἀδελφοὶ, ἀκούσαντες τὰ περὶ ἡμῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρις Ἀππίου Φόρου καί Τριῶν Ταβερνῶν* cet. quippe quae non definiunt, pluresne an pauciores iverint obviam, multo minus inserviunt ad formam societatis bene constitutam designandam. Contrariam vero in partem torquendum non est, quod OLSHAUSENIUS [2]) disputavit de Iudaeorum verbis vs. 22: *Ἀξιοῦμεν δὲ παρὰ σοῦ ἀκοῦσαι,*

---

[1]) *Gnomon.* ad Cap. 1: 6.

[2]) *Bibl. Comment. über sämmtliche Schriften des N. T.* Tom. III. Part. 1. p. 45, 46.

ἃ φρονεῖς· περὶ μὲν γὰρ τῆς αἱρέσεως ταύτης γνωστόν ἐστιν ἡμῖν, ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται. Utique sine ullo argumento Vir Doctus sumsit, LUCAM praecedentem PAULI orationem contraxisse, praetermittentem etiam, quae ille de *fide* sua *in* CHRISTO *posita* declarasset. Tum animadvertere neglexit haec duo: et ipsos mentionem *sectae Christianae* facere incepisse Iudaeos; et eos dicendo: *γνωστόν ἐστιν ἡμῖν, ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται*, sectam illam *longe lateque* dixisse *propagatam.* Nec vim assecutus est verborum *παρὰ σοῦ*, quae talis esse videtur, ut Iudaeorum responsio sic explicanda sit: Ex TE *vero audire cupimus, quid sentias: istius enim sectae placitis alibi aeque atque hac in urbe contradici res nobis cognita est.* Quae si recte se habet interpretatio, illi sane homines, quacumque tandem de causa ita loquebantur, nihil attulerunt in medium, unde *Romae* societatem Christianam minus ordinatam fuisse sequatur. Sed huic sententiae, nescio equidem, an praesidium in eo quoque non quaerendum sit, quod Apostolus Epistolam ad Romanos non inscripsit *τῇ ἐκκλησίᾳ.* Ex comparatione enim Epistolarum ad *Corinthios, Galatas* et *Thessalonicenses* cum Epistola ad *Colossenses* similique, quae falso ad *Ephesios* missa dicitur, colligere posse mihi videor, eum hac inscriptione societates, quas ipse constituisset, ab aliis distinxisse [1]). At PAULUM tamen illam, ubi Epistolam scriberet ad solos rerum sacrarum moderatores mittendam, ut cum omnibus CHRISTI sectatoribus communi-

---

[1]) Si quis excipiendam putat Epistolam ad *Philippenses*, videat ille, an verba Cap. I: 1: *πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τοῖς οὖσιν ἐν Φιλίπποις, σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις* non eodem tendant ac magis usitata *τῇ ἐκκλησίᾳ.*

caretur, in eius fronte quoque posuisse, luculenter, nisi fallor, apparet ex obtestatione 1 *Thess.* V: 27: *Ὁρκίζω (Ἐνορκίζω) ὑμᾶς τὸν Κύριον, ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς.* Progredior ad rationem concludendam. Ergo Romanos CHRISTI sectatores habuisse, qui multitudini praeessent, satis probabile est; an iam unius quasi corporis vinculo omnes rite coniuncti fuerint, valde dubium et incertum.

Et PAULUM quidem eo tempore, quo *Caesareae* captivus teneretur, Romanos CHRISTI sectatores convenire cupivisse, e Divina cogimus voce *Act.* XXIII: 11: *Bono animo esto: nam* ROMAM *adire ibique de me testimonium edere tibi destinatum est.* Sed iam *Ephesi*, uti *Act.* XIX: 21 traditum est, sibi *Romam* visere proposuit; neque hoc propositum tantum habuit, sed cum aliis communicavit. Quod si fando ad Romanorum aures perlatum, ne dicam amicis illa in urbe versantibus ab ipso Apostolo scriptum esse credimus, profecto nihil credimus, quod abhorret a probabili. Et quum crebrae eius percursationes *Asiae minoris* eiusque itinera per *Macedoniam* et *Achaiam* longe lateque fama celebrarentur, quis dubitat, quin *Romani* adventum eius avide exspectaverint? Verum ubi, et huic exspectationi, et suo optato brevi satisfactum iri sperat, ecce! necopinata quaedam eum premit necessitas diutius quam velit in *Ionia* manendi [1]). Hinc igitur demum tumultu, quem DEMETRIUS excitaverat, sedato proficiscitur et, *Troade* aliquamdiu commoratus, per *Macedoniam Corinthum* venit [2]). Fortasse ibi ab amicis

---

[1]) *Act.* XIX: 22 coll. 2 Cor. I: 15, 16.

[2]) *Act.* XX: 1 sqq. 2. *Cor.* II: 12, 13. VII: 5. IX: 3. sqq.

Romae habitantibus Literas accipit, quibus ei ad iter propositum maturandum admoveantur stimuli; vel ab hominibus nuper illa urbe egressis, uti TERTIO et QUARTO [1]), narrari audit, quae nullam traiiciendi moram interponere sinant. Certe innotescunt ei iniqui suum in candorem fidemque rumores, qui ibidem per ora volitant et ab haud paucis, ut fieri solet, facile creduntur. Quam ob rem hac in Epistola lectoribus non solum plus semel adventum suum instare declarat [2]), sed commemorationi precationis suae assiduae, ut sibi Deus paratam faciat viam, hanc etiam veri testificationem praemittit: *Μάρτυς γάρ μού ἐστιν ὁ Θεὸς, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ* [3]). Cuiusmodi testificationem quum auctor iis tantum in locis adhibuerit, ubi falsae amovendae essent suspiciones [4]), nescio, cur Viri Docti in quaestionibus, quae hîc aguntur, excutiendis verba eius praeterierint, vel ad illa, uti BROUWERUS [5]) etiam, non satis attenderint.

Sed novo stimulo PAULUM ad *Italiam* adeundam incitavit id, quod Cap. XV: 23 narrat verbis: *Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις.* Hîc enim, si vulgaris eorum stat interpretatio, a WETTIO, BAURO, MAIERO, PHILIPPO etiam probata, ad lectores suos refert, se in Orientalibus coeli tractibus Euan-

---

[1]) *Rom.* XVI: 22, 23.

[2]) *Rom.* I: 13 sqq. XV: 22 sqq.

[3]) *Rom.* I: 9.

[4]) 2 *Cor.* I: 23. *Phil.* I: 8. 1 *Thess.* II: 5.

[5]) *Onderzoek naar het doel en beloop van het schrijven van Apostel* PAULUS *in de elf eerste hoofddeelen van den Brief aan de Romeinen.* p. 76, 77.

gelii annunciationem adeo consummasse, ut nullum ibi amplius CHRISTI praedicandi locum habeat. Quid vero, si graviorem causam, cur ad CHRISTUM praedicandum mare traiicere seque *Romam* convertere debeat, ab auctore allatam esse dixero? Quid, si verbis eius hunc sensum tribuero: *In hac Achaiae regione, cui illustrandae nunc deservio, nullus mihi amplius, ubi tuto commorari possim, locus est?* Nimirum vocabulum τόπος *Luc.* II: 7. XIV: 9 et alibi *locum commorandi* significat, nusquam *locum ad annunciationem Euangelii idoneum.* Nec PAULUM vocabulo *κλίματα* usum esse, ut *Orientales coeli tractus*, sed ut *unam regionem* vel *provinciam* denotaret, docet comparatio verborum eius *Gal.* I: 21 et 2 *Cor.* XI: 10, ubi ipse nobis auctor est formulae *ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις* explicandae *ἐν τοῖς κλίμασι τῆς Ἀχαΐας.* Ad quaestionem autem, quid *Achaiam* Apostolo periculosam fecerit, AMMONIO [1]) auctore respondeatur, insidias ei, ut etiam *Act.* XX: 3 traditur, a Iudaeis positas, paulo antequam haec scriberet, patuisse. Quod huic interpretationi RÜCKERTUS obiicit, eam in orationem contextam incurrere, reapse nullius ponderis esse deprehendetur, dummodo praecedentia recte intelligamus. Nam si verba *πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ* vs. 19 ad similia *Matth.* III: 15. *Act.* XII: 25. *Rom.* XIII: 8, imprimis *Col.* I: 25 accurate exiguntur, apparet PAULUM non dicere, se Orientem, inde ab *Hierosolymis* et regionibus circumiacentibus [2])

---

[1]) Ad h. l. in *Nov. Test. Gr. perpet. adnot. illustr. a* I. B. KOPPE. *Curavit* C. F. AMMON.

[2]) Si verba *καὶ κύκλῳ* sic explicantur, nemini creabunt molestiam. Ea autem sic explicare iubet ipse PAULUS, quem LUCAS *Act.* XXVI:

usque ad *Illyricum, Euangelio* CHRISTI *plenum fecisse,* quae sane impudens fuisset iactatio, sed ibi *munus Euangelii praedicandi ex omni parte peregisse.* Sequentia: ἵνα μὴ ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομῶ vs. 20, si secundum RÜCKERTI placitum exponuntur: *ne persequar institutionem ab aliis inceptam,* eodem fere redeunt atque connexa: οὐχ ὅπου ὠνομάσθη Χριστός. Immo vocabulum θεμέλιον, uti 1 *Cor.* III: 10 sqq. *societatem* CHRISTI ab Apostolo quodam eiusve legato *rite conditam* indicare videtur, ut sibi velit PAULUS: *ne in alius cuiuslibet, qui societatis rite conditae auctor est, provinciam invadam.* Hoc igitur ne fortuito fiat, se id providenter agere inquit, ut sibi caveat ab adeundis locis, ubi CHRISTI nomen celebrari audiverit. Quum autem allatis vs. 21 vatis antiqui verbis addat vs. 22: Διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην τὰ πολλὰ τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, Particula διό non ad proxime praecedentia referri debet, sed ad id, quod vs. 19 scripsit, sibi Euangelii variis in regionibus annunciandi negotium mandatum esse, quippe quod caput orationis est, unde vs. 20, 21 paululum discessit. Atque huius structurae probitas non solum intelligitur ex Cap. I: 13, sed eam hoc loco ipse ostendit auctor interponenda formula τὰ πολλά, quae nullam, ut WETTIUS aliique putant, difficultatem parit, si eam secundum loquendi usum cum FRITZSCHIO, MEIIERO et PHILIPPO interpretamur *in plerisque casibus* seu *plerumque.* PAULUS enim, uti plus semel aliis occupationibus quam Euangelii annunciatione persequenda impeditus est, quominus

---

20 dicentem facit, se non solum *Hierosolymis* Euangelium annunciasse, sed illud etiam εἰς πᾶσαν τὴν χώραν τῆς Ἰουδαίας propagasse.

se *Romam* conferret, ita nunc ad proficiscendum *Hierosolyma* coactus est cura pauperibus in *Iudaea* succurrendi. Verba autem ἵνα μὴ ἐπ᾽ ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομῶ si supra recte explicavi, ea sane scrupulum animo eius iniectum, quo a visenda *Roma* cohiberetur, proponere nequeunt, quoniam probe sciebat, hac in urbe neque Apostolorum aliquem, neque eorum legatum fuisse, qui Christianorum hominum societati fundamenta constitueret [1]). Itaque temere RÜCKERTUS aliique orationi contextae inesse aiunt, quae impediant, quominus verbis: *Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις*, PAULUM dicentem faciamus, *se in Achaiae regione non amplius tuto commorari posse.* Sed etiamsi eum Euangelii praedicationem per totum Orientem peractam significasse concedamus, neutiquam tamen hac in re causa fuisse potuit, cur ibi nullum amplius haberet locum muneris sui obeundi. Quidni enim morem sibi antea usitatum [2]) secutus atque illuc reversus esset, ut crescentia vitae melioris semina aleret novaque spargeret? At si se Iudaeorum malitia ex *Achaiae* regione pelli scripsit, lectoribus simul narravit, doctrinae salutis tradendae viam sibi hac in regione occlusam esse.

Disputatis praeparatam puto responsionem ad quaestionem, quid PAULUM nunc ad Epistolam Romanis scribendam moverit. Occasionem ei datam Epistolae per PHOEBEN Diaconissam illam in urbem mittendae omnes memorant interpretes. Sed uti in scribendi *causa* expli-

---

[1]) Cff. disputata ad *Cap.* I: 5, 6.

[2]) *Act.* XIV: 21 sqq. XV: 36 sqq. XVI: 4 sqq. XVIII: 23 cet.

canda CHRYSOSTOMUS [1]) aliique veteres haeserunt, sic apud recentiores non ita multa reperiemus, quae ad eam, si, duce KÖLLNERO, a *consilio* distinguitur, in luce ponendam conducant. Attamen ea, nisi fallor, Cap. XV: 30 sqq. satis perspicue indicatur, ubi Apostolus lectores precari iussit, *ut aversis, quae portenderentur in Iudaea, malis* negotium sibi demandatum *Hierosolymis* ex voto perageret Deoque adiuvante *laete ad illos veniret*. Erat igitur haud sine metu, ne spem in *Italiam* traiiciendi *Romam*que veniendi fallere cogeretur. Eodem tendit illud, quod LUCAS [2]) eum dicentem facit, se nescire, quid sibi destinatum sit, sed ubique sibi praesagiri vincula capitisque pericula. Itaque futuri incertus PHOEBEN proficisci noluit sine Literis, quae Romanis animi sui documento forent. Sed hac etiam occasione utendum censuit ad nunc occupanda, quae verebatur, ut sibi coram exponere liceret. Quod agens TERTIO cuidam, quam ipse scribere non poterat, dictavit Epistolam, uti gravissimi argumenti, ita longioris seriei. Si autem tum demum, quum hic labor ad finem vergeret, malorum, quae ipsi in *Iudaea* pararentur, atrocitatem Apostolo innotuisse sumimus, in promtu causa est, cur in Epistolae illius introitu nullam eorum mentionem fecerit. Nec vero incredibile est, easdem Iudaeorum *Achaiae* insidias, quae nunc ei itineris maritimi in terrestre mutandi necessitatem imponerent, ad detegendas quoque incolarum *Iudaeae* molitiones contulisse. Atque haec si probanda sunt, cadit, praeter alia, quod BAURUS ex comparatione

---

[1]) *Homil. in Ep. ad Rom. Opp.* T. IX. MONTEF.
[2]) *Act.* XX: 22 sqq.

Capitis XV: 22, 23 cum I: 13 eruere conatus est.

Si quis scire cupit, an PAULUS, Epistolam TERTIO dictare incipiens, connexam rerum scribendarum, quam antea meditatus esset, seriem ante oculos habuerit, arduum non erit desiderium eius explere. Quamvis enim frequentes produnt transgressiones et excursiones, eum haud raro ingenio suo ita indulsisse, ut calamo excipienda praeberet, quae menti agitatae ex improviso subitoque oborirentur, vel sic tamen propositum suum, etiam ubi ex diverticulo in viam redeundum erat, persequi non neglexit. Quod et bipartita tractatio eorum, quae Contemplativi et Activi generis sunt, et argumentationis cohaerentia priori maxime in parte testatur. At quonam *consilio* auctor hac argumentatione usus sit, quaestio est, de qua Viri Docti inter se vehementer dissentiunt. Quod post alios MICHAËLIS [1]), BOSVELDIUS [2]), GREVIUS contenderunt, PAULUM doctrinae Christianae capita eorumve summam Romanis explicare voluisse, nostratibus inserviens BROUWERUS bene refutavit. Gravia itidem opposuit interpretibus, qui Apostolum id egisse aiunt, ut redargueret Iudaeo-Christianos, qui CHRISTI sectatores ex gentibus exteris congregatos legum Mosaicarum iugo submittere cuperent. Utique Tragoediae illius, quae, ut post alios bene monet WETTIUS, in Epistola ad Galatas agitur, huic Epistolae nulla insunt vestigia. Nec litium et discordiarum, quas auctor componere volu-

---

[1]) *Inl. in de Goddel. Schriften van het N. V.* Tom. II. Part. 2. p. 525 sqq.

[2]) *Verklaring van Paulus' Brief aan de Romeinen.* Tom. I. p. 2, 3 et al.

erit, ulla hîc mentio facta est. Verum inde non sequitur, rem acu tetigisse interpretes, quotquot, et antiquiori et recentiori memoria, PAULO nullum aliud scribendi institutum fuisse sumerent, quam ut Romanos plena Euangelii cognitione studioque animum et vitam ad eius doctrinam conformandi imbueret. Magis certe mihi cum SCHWEGLERO arridet, quod BAURO visum est, auctorem ad suum, qui dicitur, *Universalismum Romae* defendendum Epistolam scripsisse argumenti Apologetici. At multa vero Vir Doctus cupidius arripuit, quibus hanc sententiam et tueri, et cum variis scholae suae placitis in concordiam redigere conaretur. Itaque nemo indignari poterit, si periculum faciam in medium afferendi quae melioris notae esse videantur.

Nimirum hac in Epistola nihil frequentius attingitur, quam *gentium exterarum*, quae dicitur, *vocatio* ad CHRISTI communionem. Non solum hoc argumentum tractatur Cap. IX—XI, sed ut eo alii etiam loci, nempe Cap. II: 17 sqq. IV: 10 sqq. XV: 8 sqq. 15 sqq. magis minusve spectant, sic eius ratio iam habetur in Prooemio Cap. 1: 5 sqq. et Exordio vs. 13 sqq. PAULO autem, si LUCAE fides est [1]), quam maxime curae cordique fuit, se huius causae praestare vindicem. Quis vero ignorat, quod idem tradit LUCAS [2]), hinc imprimis enata esse maledicta, calumnias, vexationes, quibus eum Iudaei hominesque illorum sermone corrupti insectarentur? Quis dubitat adeo, quin *Romam* incoluerint Iudaei, qui haud lenius

---

[1]) *Act.* XIV: 27. XXI: 19. XXVIII: 28.

[2]) *Act.* XIII: 45 sqq. XIV: 2, 5, 19. XV: 1 sqq. XVII: 13. XVIII: 5, 6, 12, 13. XXI: 28. XXII: 21, 22.

ferrent populares, quicunque gentes exteras bonorum Divinitus promissorum secum, sine legis Mosaicae observatione, participes facerent? Hoc autem non latuisse Apostolum, probe intelligimus inde, quod magna illa in urbe gavisus est amicorum copia. Nec nescire potuit, hominum malevolorum clamores eo comparatos esse, ut et rerum Divinarum propagationi obstarent, et mutuam sectatorum CHRISTI concordiam et pacem turbarent, et animos a sua persona alienarent. Si enim haec Epistola quibusdam prodit indiciis [1]), leviora, quae in Christiana Romanorum societate cernerentur, ei sive ex colloquiis *Corinthi* vel alibi habitis, seu ex acceptis Literis, cognita fuisse, quidni credamus, graviora quoque ad eius notitiam pervenisse? Quae quum ita essent, nunc, quoad poterat, carere voluit, ne sibi brevi post, si, prospere peracto versus *Hierosolyma* itinere, in Occidentem adveniret, statim crearentur molestiae; vel providendum censuit, ne *Romae*, si manu violenta ipse in Oriente retineretur, sectatoribus CHRISTI, quorum animi contra fallaces hominum sermones confirmandi essent, acrius praesentiae suae desiderium relinqueret. Ergo his CHRISTI sectatoribus Epistolam scripsit, cuius maiori in parte habituri essent, quo ad refellendas Iudaeorum argutias adiuvarentur ipsique perversis opinionibus et scru-

---

[1]) Unum alterumqne suo loco attingetur infra. Sed huc quoque referendum puto, quod legitur *Rom.* XV: 14, ubi verborum: *πέπεισμαι δέ, ἀδελφοί μου, καὶ αὐτὸς ἐγὼ περὶ ὑμῶν* cet. vim infringimus, nisi in iis agnoscimus rescriptum ad id, quod plures paucioresve Romanorum iactassent, *se omnis boni plenos esse.* Ceterum Cf. HORNIUS, *Introduct. to the Critic. Study and Knowledge of the Holy Scriptures.* Ed. VIII. Vol. IV. p. 354, 355.

pulis liberarentur. Uti autem plerique recentioris memoriae interpretes cum BROUWERO hoc vel huiusmodi consilium PAULO tribuunt, sic inde tantum Cap. II: 17 explicari posse videtur subita orationis transgressio ad Iudaeos compellandos. Nec tamen Apostoli consilium omnino assecutos esse puto, qui, uti iam OECUMENIUS [1]), *in gentium exterarum vocatione ad* CHRISTI *communionem* causam cernere nolint, unde omnis disputatio quodammodo pendeat, iis etiam in locis, quorum argumentum alius generis esse videatur. Sed ut intelligat quisque, quam bene secundum hanc sententiam singula cohaereant, tabellam lineamenta Epistolae ante oculos collocantem proponere iuvabit.

Prooemium (Cap. I: 1—7), quod gentium exterarum vocationem ad CHRISTI communionem iam attingit, excipitur exordio ad praedicandam probitatem a Deo proficiscentem veramque salutem, cuius homines, haud secus ex gentibus illis quam ex Iudaeis exorti, favore Divino per fidem Euangelio habendam fiant participes. Cap. I: 8—17. Atque sic tanquam fundamento totius disputationis posito, videamus, quaenam sequantur.

Gentes exterae omnino omnes, a Deo abalienatae et depravatae, Deo maiestatis suae vindice, miserrima in conditione versantur. I: 18—32.

Eiusdem miseriae onere oppressi sunt Iudaei, pravis opinionibus, cupiditatibus moribusque servientes II: 1—III: 20.

Iam misericordia commotus Deus ad utrosque, sine partium studio, e servitute liberandos per IESUM

[1]) *Comment. in Ep. ad Rom.* p. 196. MORELL.

CHRISTUM intercessit eosque pariter ad fidem hoc in Filio suo ponendam vocari iubet, ut homines exteri aeque atque Iudaei, hanc viam ingressi, salutem consequantur. III: 21—31.

Nihil aliud quam fidem esse, utrisque aequaliter patentem, quo homines placeant Deo, ABRAHAMI docet exemplum. IV: 1—25.

Itaque [1]) per fidem factum est, ut homines utriusque partis, se ad CHRISTUM generis humani causa in cruce mortuum convertentes, cum Deo in gratiam reconciliarentur. V: 1—11.

Hinc sequitur, quemadmodum omnes cum ADAMO mortui sint, quotquot sibi cum eo peccandi culpam contraherent, sic nunc omnes, quotquot per fidem CHRISTI communionem ineant, probitatis a Deo proficiscentis vitaeque aeternae participes fieri. V: 12—21.

Quod tantum abest, ut peccandi pariat licentiam, ut verum CHRISTI sectatorem a peccando absterreat et ad vitam novam Deoque dicatam perducat. VI: 1—14.

Talem enim ut vitam agerent, omnes, qui per fidem cum CHRISTO coniungebantur, legis vinculo soluti inque libertatem asserti sunt. VI: 15—VII: 6.

Neque aliter sentire iubet Mosaicae legis cogitatio, quippe quae ipsa, quamquam sancta et bona, vi careat homines ex rerum adspectabilium servitute ad excelsiora appetenda erigendi et vel in pectore depravato peccandi libidinem foveat. VII: 7—25.

---

[1]) Mirifice et contra communem interpretum sententiam GLÖCKLERUS, p. XXII et 66, priorem huius Epistolae partem ita distinxit, ut Capita V—XI a quatuor praecedentibus avelleret.

CHRISTI vero sectatores, uti ex hominum multitudine ad omnis pietatis et virtutis studium convocati sunt, ita etiam conscientia gaudent mentis cum Deo coniunctae: quare in quibuslibet difficultatibus ope Divina confidere et certa beatitatis futurae spe duci possunt. VIII: 1—39.

Quae quum ita sint, crescit auctoris oratio [1]) ad annunciandum eius dolorem, quod Iudaeorum plerique CHRISTI communionem spernentes a Deo alieni esse pergant. IX: 1—5.

Hinc autem non cogendum est, loco suo excidisse promissionem Divinam, utpote non cunctis datam ABRAHAMI filiis et nepotibus. IX; 6—13.

Neque in hac hominum distinctione quaedam Dei apparet iniustitia, sed Divina agendi libertas, omnia regens ad manifestandam virtutum suarum gloriam; quo factum est, ut haud secus ex gentibus exteris quam ex Iudaeis congregarentur sectatores CHRISTI. IX: 14—29.

At plerorumque Iudaeorum reiectio eorum tribuenda est contumaciae, siquidem probitatem vere ita dictam per legis Mosaicae observationem quaerentes, Euangelio fidem, quam solam Deus favore suo prosequitur, habere nolebant. IX: 30—X: 13.

Propterea tamen, quod pauci se Deo submittunt,

---

[1]) Minus crescit quam decrescit oratio, si verum est, quod THOLUCKIO, WETTIO, MAIERO aliisque placuit interpretibus, in Cap. IX—XI Epistolae cerni *appendicem*, quae, nisi exstaret, nullum sui relictura esset desiderium. Sed rectissime BAURUS p. 341 sqq. se huic sententiae opposuit, nec lectu indigna sunt monita PHILIPPI. Et contrariam partem tenendam esse videbit, qui mecum *gentium exterarum vocationem ad* CHRISTI *communionem* totius disputationis caput habeat.

ceteri ei pertinaciter resistunt, nemo Iudaeorum excluditur, sed omnes una cum hominibus, qui ex gentibus exteris orti sunt, ad fidem vocantur. X: 14—XI: 10.

Quid? quod Deus contumacibus prospicere neutiquam desinit, sed gentibus exteris per fidem secum reconciliandis id agit, ut paulatim illi animadvertant, quantum damni obstinatione sua sibi pepererint atque sic tandem per fidem in viam salutis redeant. XI: 11—28.

Atque hac omni in re laudanda est inenarrabilis sapientia Dei, qui ex gentibus exteris magnam hominum multitudinem ad CHRISTI communionem perducit, ut Iudaeos tandem poenitentiam agentes favore suo complectatur. XI: 29—36.

Iam sectatores Christi utraque ex stirpe oriundos grati animi sensus coram Deo hominibusque explicare oportet virtutibus quibuscunque, etiam erga inimicos, praestandis. XII: 1—21.

Haud secus officiis quibuslibet civilibus et publicis satisfaciendum est, quam privatis. XIII: 1—7.

Sed in eo cernitur quod maximi ponderis est, ut omnes, quotquot CHRISTI nomine insigniti sunt, se mutua caritate prosequantur. XIII: 8—10.

Quocum cohaeret illud, frena pravis iniicienda esse cupiditatibus, ut caste et sobrie vivatur. XIII: 11—14.

In ciborum vero et dierum faciendo discrimine quum alii rigidiores, alii laxiores sint, cavendum est, ne quis illos ad religionem violandam sollicitet, aut hos acrius condemnet, atque id maxime agendum, ut omnium concordia promoveatur. XIV: 1—XV: 6.

Ad sibi invicem succurrendum homines ex Iudaeis et ex gentibus exteris ortos aequaliter excitat exem-

plum CHRISTI, qui illis fidei auctor fuit [1]), ut liberarentur promissa Divinitus his data. XV: 7—13.

Et PAULUS, utpote CHRISTO gentium exterarum causa ministrans, haec mutua utrorumque officia [2]) commonefacere non metuit, quamquam illud, quod nonnulli iactabant, se omnis boni plenos et idoneos esse ad alios corrigendos, ipse negare nolebat. XV: 14—17.

Ut autem Euangelii per Orientem propagandi officio adhuc impeditus erat, quominus *Romam* adiret; sic nunc negotio pauperibus CHRISTI sectatoribus Macedonum et Graecorum dona afferendi ad proficiscendum in Iudaeam vocatur: attamen se brevi venturum pollicetur, nisi violenter intercedant Iudaei. XV: 18—33.

Iam lectoribus, quibus Epistola distinata est, mandat, ut PHOEBEN, tabellarii vice functuram, ubi advenerit, comiter excipiant et ut ad propinquos suos et amicos aliosque CHRISTI sectatores sibi cognitos salutationem suam perferant. XVI: 1—16.

Deinde eosdem hortatur, ut a sua communione arceant homines, qui, CHRISTUM in ore ferentes, pla-

---

[1]) Quod Cap. XV: 8 de CHRISTO legitur, ad causam suam tuendam BAURUS cupidius arripuit, quippe arcte connexum cum iis, quae supra Cap. III: 1, 2. IX: 3. sqq. exstant.

[2]) PAULUM verbis *τολμηρότερον δὲ ἔγραψα ὑμῖν* ea tantum significasse, quae Cap. XIV en XV scripsisset, MEIJERUS recte monet. Qui Capita etiam XII en XIII spectari putant, rationem habere negligunt sequentium: *διὰ τὴν χάριν* cet. Qui ulteriora et vel totius Epistolae argumenta auctori ante oculos fuisse volunt, potestatis immemores sunt Participio *ἐπαναμιμνήσκων* tribuendae. Utrisque obstat vocabulum *τολμηρότερον*. Verba autem interpretanda sunt: *audaciori modo vobis scripsi*, non vero: *audacius egi vobis scribendo*, quod iubet BAURUS contra loquendi usum.

cita propagare student morum honestati contraria. XVI: 17—20 [1]).

Tum nomine eorum, qui *Romae* spectati vel certe cogniti erant, dicta salute, Epistolam usitata benedicendi formula concludit. XVI: 21—24.

Sed conclusionem sequitur XVI: 25—27 laudatio Dei, gentium exterarum vocationem ad CHRISTI communionem celebrans, quam auctorem, relectis, priusquam *Romam* mitterentur, Literis, vel ipsum manu sua, vel per scribam suum, raptim, prout ex pectore commoto emanaret, apposuisse conieci supra [2]).

---

[1]) Quum homines hic notati differant ab iis, quos spectant verba Cap. XV: 14, 15, neutiquam loci illi inter se repugnant. Sed haud scio, an PAULUS Verbo ἐμάθετε Pronomen ὑμεῖς praeponens significaverit, inter suam interesse doctrinam et eam, qua Epistolae suae lectores imbuti essent.

[2]) His prelo iam subiectis vidi, REICHIUM, *Comment. Crit. in N. T.* Tom. I. p. 88 sqq. id egisse, ut sententiam suam, hanc Doxologiam spuriam esse, novis argumentis contra dissentientes defenderet. Equidem, quum huius loci non sit singula accurate ponderare, hoc negotium aliis relinquere debeo. Sed quamquam subdubito, an Viro Egregio causam suam omnino vincere contigerit, eius tamen disputatio talis est, ut diligenter examinari mereatur. Quomodocunque vero dirimatur quaestio, idem totius Epistolae manebit argumentum.

INTERPRETATIO

EPISTOLAE PAULI AD ROMANOS.

CAPUT I.

Vers. 1.

Interpretationem huius Epistolae aliarumque incipere solent a quaestione, cur in fronte legamus *Παῦλος*, non vero *Σαῦλος*, qua terminatione *Act.* VII: 58 multisque locis germanum auctoris nomen *Σαούλ*, quod etiam *Act.* IX: 4 et alibi exstat, Graecum factum est. Commemorare nolo, quae Viri Docti hac de re disputarunt [1]). Neque aliquid certi novimus, quam Apostolum se ubique *Παῦλον* dixisse, nusquam *Σαῦλον*, et LUCAM sibi quoque in illius appellationis usu constitisse, postquam *Act.* XIII: 9 scripsisset: *Σαῦλος δὲ, ὁ καὶ Παῦλος*. Sed talis mihi quaestio esse videtur, ut, si cui eam dirimere contingeret, ne

---

[1]) Qui praecipua huc pertinentia legere cupit, adeat WINERUM, *Bibl. Realwörterbuch*. Ed. III. Tom. II. p. 212, 213. Mihi nondum displicet quod ante multos annos disputavi in *Comm. Perp. ad Philipp.* I: 1.

sic quidem allatum foret, quod ad scripta auctoris intelligenda quodammodo prodesset.

Nomini suo auctor adiunxit tria, quibus huius Epistolae scribendae ius sibi vindicaret. De primo: *δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ* iam ORIGENES aliique veteres aliena commentati sunt. Res ipsa loquitur, vocabulo *δοῦλος*, Graecorum auribus ingrato, gratam tributam esse notionem. Dupliciter illud accipi potest, ut hominem significet, vel IESU CHRISTI *nomen profitentem*, vel *ministri eius munere fungentem.* Utrumque cum CHRYSOSTOMO comprehendit THEOPHYLACTUS [1]). Sed electionem, uti fieri debet, ita vulgo fecerunt interpretes. Et paucio-ores quidem huic illud praetulerunt, quod recentiori memoria FRITZSCHIUS defendere conatus est, et hac interpretatione caveri aiens, ne *Tautologia* in orationem inducatur, et PAULUM, si ei ante oculos obversatus esset *minister*, scripturum fuisse *ὑπηρέτης* vel *διάκονος*, Sed *Gradationem*, neutiquam vero *Tautologiam*, in oratione cerni, si vocabulum *δοῦλος* ad *ministri munus* referatur, recte monuit REICHIUS [2]), quamquam aeque ac RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS [3]), KREHLIUS summatim cum FRITZSCHIO consentiens. Et falluntur, qui sumunt, vocabula *ὑπηρέτης* et *διάκονος* magis accommodata esse quam *δοῦλος* ad *ministrum* denotandum. Primum enim literas Novi Testamenti Veteris Testamenti usum *Gal.* I: 10. *Col.* IV: 12. 2 Tim. II: 24 hactenus sequi videmus, ut formula *δοῦλος Χριστοῦ* vel simili CHRISTI *ministrum* proponant. Neque in contrariam partem af-

---

[1]) *Comm. in Ep. ad Rom. Opp.* Tom. II. *Venet.* 1755.

[2]) *Versuch einer ausf. Erklärung* cet.

[3]) *Comment. sur l'Epitre aux Romains.*

ferri potest 1 *Cor.* VII: 22, ubi ea tantum ad Antithesin faciendam usurpata est, aeque atque *Ephes.* VI: 6, quo in loco quum *δοῦλοι Χριστοῦ ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ homines Christiani* sint, *obedientes Deo*, perspicue docemur, quid inter *δοῦλον Χριστοῦ* et *δοῦλον τοῦ Θεοῦ* intersit. Deinde, uti dubitari nequit, quin *Phil.* I: 1 PAULUS et TIMOTHEUS se *δούλους Ἰησοῦ Χριστοῦ* appellaverint, ut *ministrorum* titulo a CHRISTI sectatoribus distinguerentur, sic *Jac.* I: 1, *Jud.* 1 appellatio illa caret omni pondere, nisi auctores se in Epistolarum fronte *ministros* IESU CHRISTI dixisse censentur, ut aures sibi praeberent lectores. Ubi autem vocabula *δοῦλος* et *ἀπόστολος* connexa sunt, nempe *Tit.* I: 1 et 2 *Pet.* I: 1, prius haud secus ac posterius inservit ad conciliandam scriptori fidem illam, quam homines Christiani non sui aequalibus, vel quibusvis Dei cultoribus, sed solis IESU CHRISTI et sic quidem *Dei ministris* tribuere debent. Itaque PAULUS ad Romanos scribere incipiens formula *δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ* eo tantum consilio uti potuit, ut, ad *mandatum sibi doctoris Christiani munus* provocando, Literis suis fidem conciliaret. Nec profecto mirandum est, hanc interpretationem MELANCHTHONI [1]) CALVINO [2]), BEZAE [3]), GROTIO et plerisque VV. DD. placuisse, et recentiori memoria THOLUCKIUM, MEIERUM, PHILIPPUM, REITHMAYRUM [4]), alios eam strenue tuitos esse.

Quoniam varii generis erant, qui doctoris Christiani munere fungebantur, PAULUS alteri titulo alterum

---

[1]) *Comment. in Ep. P. ad Rom.* Opp. Tom III. Witteb. 1563.

[2]) *Comment. in Ep. ad Rom.*

[3]) JESU CHRISTI D. N. *Novum Testamentum.*

[4]) *Commentar zum Briefe an die Römer.*

κλητὸς ἀπόστολος adscripsit, ut primo se in ordine collocaret. *Ἀποστόλους* in libris Novi Testamenti per excellentiam dictos esse duodecim illos interioris admissionis discipulos, qui vita IESU haec in terra testes et spectatores fuerint, et vulgo cognitum est, et ipse plus semel monui [1]). Et hoc quidem nomine IESUS eos insignivisse videtur, quum eos per varias Palaestinae regiones emitteret, ut animos ad regni Divini adventum praepararent [2]). Recensio autem eorum *Matth.* X: 2 sqq. *Luc.* VI: 14 sqq. nisi fallor, lectoribus ante oculos ponit, quomodo bini iter susceperint ad negotium sibi demandatum peragendum. Post IESU vero mortem reditumque in vitam et abitum in coelos haec appellatio ad gravius translata est negotium Euangelii per omnes terras propagandi. Quo consilio et MATTHIAS IUDAE proditoris locum occupavit, et PAULUS Apostolis adiunctus est. Sed iam satis diu interpretibus haud paucis concedendum vidi, primo rerum Christianarum tempore plures quam tredecim illos *Apostoli* nomen gessisse [3]). Illud enim, uti *Act.* XIV: 4, 14. *Phil.* II: 25. 2 *Cor.* VIII: 23,

---

[1]) *Comment.* c. p. 197. Multo iam ante in *Annotat. in loca nonnulla N. T.* p. 151 sqq. Sed cum veris, quae ibi proponuntur, dubia etiam et falsa permixta sunt. Nec hodie mihi omnino satisfaciunt, quae WINERUS l. c. Tom. I. p. 69 sqq. in medium attulit.

[2]) Cff. *Marc.* III: 14. VI: 30. *Luc.* IX: 10, imprimis *Luc.* VI. 13, item XXII: 35.

[3]) Rem attigi in *Comm. Perp. in* 1 *Cor.* XV: p. 45 sqq. Interpretibus ibi laudatis adiungi possunt OLSHAUSENIUS et KREHLIUS ad *Rom.* I: 1. item SCHERER in COLANI, *Revue de Théol. et de Philos. Chrét.* Vol. III. p. 349. Qui Veterum testimonio nonnihil ponderis inesse censet, adeat CHRYS. OECUM. THEOPHYL. ad 1 *Cor.* XV: 7. THEODORETI *interpret.* ad eundem l. Opp. Tom. III. NOESSELT. PELAGII *Comment.* ibid. apud HIERONYM. Opp. Tom. V. MART. alios.

sine involucro ad BARNABAM, EPAPHRODITUM, alios defertur, sic 1 *Cor.* IX: 5. XV: 7 ita quoque usurpatur, ut ad *Fratres* IESU et, qui inter eos excelluisse videtur, IACOBUM referendum sit, nisi verbis alienam notionem affingere velimus [1]). Deinde in promtu sunt loci, ut *Luc.* XXII: 14. *Act.* I: 26. VIII: 14. XVI: 4. *Gal.* I: 17, qui, si diligenter lustrantur, plurium, quam quos supra memoravimus, Apostolorum vestigia produnt. Illi autem omnes *Apostoli* dicti sunt, quoniam *emissi* erant *ab hominibus Spiritu Sancto*, quo CHRISTI sectatores utebantur, *auctore*, ut intelligimus ex *Act.* XIII: 2—4 coll. *Gal.* I: 1. aliisque locis supra iam allatis. Primi vero, qui Apostolorum titulo ab aliis distinguebantur, hoc sibi una cum MATTHIA habuerunt proprium, ut IESU CHRISTI *legati* essent. Atque talem se PAULUS, quamquam bis (*Act.* XIV: 4, 14) a LUCA aeque ac BARNABAS *Apostolus* vocatur, quatenus ab hominibus Spiritu Sancto auctore emissus erat, ipse ubique professus est, et hoc etiam in loco, siquidem rationem habebat praecedentium Ἰησοῦ Χριστοῦ vocabulum ἀπόστολος enuncians.

Sed hanc sibi dignitatem Paulus quoque vindicavit usu Adiectivi κλητός. FRITZSCHIUS enim temere illud redundare sumsit, neque animadvertit Adiectivum Substantivo praepositum esse, quod in Graeco sermone efficacitatis causa fieri solet. Propterea tamen probanda non est OLSHAUSENII sententia, eodem illud redire atque ἐκλεκτός. Sic enim quod in libris Novi Testamenti *praecedens* est confunditur cum *consequenti*, et quodammodo iam occupatur, quod proximo ἀφωρισμέ-

---

[1]) Cff. *Gal.* I: 19. II: 9.

νος inest. Sine dubio vocabulum *κλητός* eandem habet notionem ac vs. 6 aliisque in locis, ubi CHRISTI spectat sectatores. Ergo hoc Adiectivum Verbale pariter quidem ac Participium *κεκλημένος* vertendo reddendum est *vocatus*, sed ita tamen, quod bene iam vidit BEZA, explicandum, ut homo intelligatur *haud secus adductus quam vocatus*. Falluntur autem, qui WETSTENIO [1]) credunt monenti, vocationem hominum ad *fidem* Deo, ad *munus* vero *Apostoli* CHRISTO tribui solere atque ideo hîc reticeri putant *a* CHRISTO. Quod ut tueatur REICHIUS [2]), minus recte provocat ad 1 *Cor.* I: 1, ubi, etiamsi receptum *κλητός* genuinum sit, sequentibus *ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ* adiecta est formula *διὰ θελήματος Θεοῦ*, quemadmodum etiam 2 *Cor.* I: 1. *Ephes.* I: 1. *Col.* I: 1 al. Quid? quod PAULUS vocationem suam ad Apostoli munus 1 *Cor.* XV: 9, 10. *Gal.* I: 16, etiam 1 *Tim.* I: 11—17 Divino favori acceptam refert. Itaque, auctore BEZA, quem praeter alios STUARTUS et MAIERUS secuti sunt, formula *κλητὸς ἀπόστολος* explicari debet: *a Deo per* IESUM CHRISTUM *vocatus factusque Apostolus*. Ceterum Adiectivo *κλητός* PAULUS non usus est ad se a falsis Apostolis distinguendum, quod huius loci non erat, sed ad Literis suis gravitatem adhibendam, quippe a viro profectis haud inferiori illis, qui Divinitus vocati essent. Cff. KREHLIUS, WETTIUS, OLTRAMARIUS.

Sequitur tertia dignitatis nota, sed cum praecedenti

[1]) *Nov. Test. Graece*, ad h. l.

[2]) Si quis REICHIO assentitur, ne sic quidem Vocabulo *κλητός* subiungere ei licet *ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ*, quod convenit Participio *κεκλημένος*. Adiectivum Verbale sibi requirit Genitivum inde pendentem, ut iam apparet ex vs. 6.

arcte connexa: *ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ.* Quod FRITZSCHIUS aliique contendunt, vocabulum *εὐαγγέλιον* sine Articulo, quum ipsum satis definitum sit, idem significare ac *τὸ εὐαγγέλιον*, regula nititur a WINERO [1]) proposita, sed ita, nisi fallor, comparata, ut nova disquisitione indigeat. Equidem, si PAULUS Articulum, quo alibi utebatur, hoc loco sine causa omisit, mirabilem habeo eius breviloquentiam. Quid? quod Genitivus *Θεοῦ*, qui proxime sequitur, eo quoque caret. Ergo cum PHILIPPO comparare non ausim *Rom.* XV: 16. 1 *Thess.* II: 2, 8, 9. 1 *Pet.* IV: 17, ubi legimus *τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ.* Immo PAULUM a more recepto decedentem studiose scripsisse puto *εὐαγγέλιον Θεοῦ* ad generatim denotandum *Divinum argumenti exoptati nuncium*, seu *qualis a Deo proficiscatur*, sermone vernaculo: *eene Goddelijke heilmaar.* Et haud scio, an hoc ipsum sibi voluerit CHRYSOSTOMUS, cui se unanimi consensu opposuerunt recentioris memoriae interpretes. Breviter autem Apostolus, uti vs. 9 multisque locis, *Euangelii praedicationem* per Metonyniam dixit *εὐαγγέλιον.* Participium *ἀφωρισμένος* quod attinet, recte FRITZSCHIUS illud interpretatur *delectus prae aliis.* Hoc autem quum OLSHAUSENIUS explicari iubeat *delectus a Spiritu Sancto*, contendit sane, quod nec loco, ad quem provocat, *Act.* XIII: 2, probari potest, siquidem ibi Spiritus Sanctus non ipse delegisse, sed deligendi negotium hominibus commisisse traditur, neque huic etiam loco convenit, nisi in eum importare velimus, quod post praecedentia *κλητὸς ἀπόστολος* vehementer frigeat. Iure igitur meritoque MEIIERUS cum

---

[1]) *Grammat. des neutest. Sprachidioms.* Ed. V. p. 135 sqq.

aliis hanc interpretationem reiecit. Nec minus recte longe quaesitam refutavit ERASMI, DRUSII, GROTII sententiam, PAULUM *Pharisaeorum* nomen respexisse, quum scriberet ἀφωρισμένος. Ubi vero Vir Doctus cum OLTRAMARIO, PHILIPPO aliisque efficacitatem Dei in PAULUM, quum hic iter versus *Damascum* faceret, indicari censet, vereor, ne Participio notionem et alienam tribuat, et minus commendatam Adiectivo κλητός, quocum illud, utpote Participium Perfecti, eodem in ordine poni nequit. Utique REICHIUM sequi mentisque auctoris explicandae causa adscribere placet *ab utero matris.* Sicuti enim Apostolus *Gal.* I: 15 verbis *καὶ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ* praemisit: *ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου;* sic a verisimili non abhorret, eum, inverso ordine, Participium ἀφωρισμένος formulae κλητὸς ἀπόστολος subiicientem, *infantiae suae tempus* ante oculos habuisse. Atque hoc sumto ad duo praecedentia accedit tertium, quod gravitatem orationis insigniter auget. Sed quum PAULUS in enunciando solo Participio substiterit, fortasse haud male egerunt FRITZSCHIUS et RÜCKERTUS nihil ipsi definientes. Quodammodo iam praecessit CHRYSOSTOMUS diversa tempora coniungens scribendo: *Ἐμοὶ δὲ ἐνταῦθα οὐ τὴν ἀποκλήρωσιν δοκεῖ μόνον αἰνίττεσθαι, ἀλλ᾽ ὅτι πάλαι καὶ ἄνωθεν πρὸς τοῦτο ἦν τεταγμένος.*

Vers. 2.

Quemadmodum PAULUS se vs. 1 plus uno nomine Romanis commendare conatur, sic hoc vs. Euangelii,

cuius praedicatio ei mandata est, originem alte repetit [1]), et sine dubio quidem ad ostendendum, quanti illud habendum sit. Qui de singulari consilio, quo hoc orationi insertum sit, subtilius disputant, a RÜCKERTO haud temere reprehenduntur. Recte quoque ille causam agit editorum et interpretum recentioris memoriae, qui secum mutuo consentiunt in tollendis Parentheseos notis, quas hunc in locum importarunt Veteres, etiam GRIESBACHIUS. PAULUS orationem vs 1 inceptam libere et excursibus, quoties novi quid ipsi in mentem venit, faciendis persequitur, donec vs. 7 eam absolvat.

Ipsa huius vers. oratio nihil fere habet, quod difficultatem pariat. Verba ὃ προεπηγγείλατο interpretanda sunt: *quod antea i. e. maioribus nostris promisit*, sicuti composita προειπεῖν, προκαταγγέλλειν, προγράφειν, προμαρτύρεσθαι, *Act.* I: 16. III: 18. *Rom.* XV: 4. 1 *Pet.* I: 11, temporum praeteritorum memoriam renovant. Aptissime autem Deus Euangelium promisisse dicitur, quoniam regnum praenunciaverat Divinum, universo generi humano salutiferum, quod postea IESUS instare, Apostoli advenisse docuerunt [2]). Sequentia διὰ τῶν προφητῶν αὑτοῦ i. e. *per vates suos*, vi sua privari videntur, si quis cum KÖLLNERO *sedecim* tantum *Prophetas, quorum libros Veteris Testamenti codex una serie continet*, intelligi vult, vel cum MEIIERO SAMUELEM *primum eorum* habet, *qui agmen ducat.* Illi enim sententiae

---

[1]) Cf. BROUWERUS p. 68 sqq.

[2]) Cff. *Matth.* IV: 23. IX: 35. XXIV: 14. *Marc.* I: 14, 15. *Luc.* IV: 43. VIII: 1. *Act.* VIII: 12. item *Act.* I: 9. XIX: 8. XX: 25. XXVIII: 23, 31.

valde obstat Pronomen αὑτοῦ; haec ferri nequit propterea, quod neque *Act.* III: 24, neque Cap. XIII: 20, neque alibi SAMUEL primus Prophetarum appellatur. Immo, ut recte etiam monet PHILIPPUS, significari videntur *omnes quotquot ab antiquo* προφῆται *dicti sunt,* MOSES haud secus quam DAVIDES aliique. Cf. *Act.* III: 21, 22. Atque hanc interpretationem valde confirmant verba ἐν γραφαῖς ἁγίαις, nisi in sensum ab auctoris mente alienum contorquentur. FRITZSCHIUS, WETTIUS, KREHLIUS, OLTRAMARIUS formulam γραφαὶ ἅγιαι sufficere aiunt ad *cunctos Veteris Testamenti libros* denotandos. Atqui Adiectivum ἅγιαι nihil aliud denotat quam *sacros* esse libros, qui memorentur. Neque a me impetrare possum ut credam, PAULUM, si hoc loco idem sibi vellet ac *Rom.* XV: 4. 1 *Cor.* XV: 3, 4 et alibi, loquendi usum adeo deseruisse, ut vocabulo γραφαί Articulum non praeponeret. Provocant quidem VV. DD. ad *Rom.* XVI: 26 et 2 *Tim.* III: 16, sed frustra. Hîc enim Apostolus scribendo πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος sine dubio sibi voluit *omne scriptum, quod Divinitus inspiratum est* [1]); illic γραφαὶ προφητικαί esse videntur *libri a vatibus conscripti*, ut Adiectivo προφητικαί librorum *qualitas* itidem tantum declaretur. Nihil igitur mirandi in eo est, quod BAUMGARTEN-CRUSIUS cum aliis verba ἐν γραφαῖς ἁγίαις explicuit *in locis Literarum Sacrarum*, nec RÜCKERTUS illud omnino improbavit. Sed veram nobis interpretationem,

---

[1]) Evidenter hoc probasse mihi videor in libro s. c. *De betrekking van het gevoel* cet. p. 167, 168. Docti horum dierum interpretes, uti WIESINGERUS, *Die Briefe des A. Paulus an die Philipper* cet. ad h. l. in veterem denuo errorem lapsi sunt.

nisi fallor, monstrat id, quod *Act.* III: 24. de vatibus aetate posterioribus SAMUELE legitur: *ὅσοι ἐλάλησαν καὶ κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας.* Similiter formula *ἐν γραφαῖς ἁγίαις*, quae respondet vernaculae *in heilige schriften*, denotantur *Scripta Sacra Veteris Testamenti, quotquot vaticinantur* ea, quae ad regnum Divinum seu CHRISTUM principem eius pertinent. Itaque idem hîc exstat orationis genus, quo PAULUS vs. praecedenti usus est.

Vs. 3, 4.

Nunc vero auctor non amplius rerum qualitatem, sed res ipsas proponit, incipiens a verbis *περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, de Filio suo* i. e. *de* IESU CHRISTO, ut mentem suam inferius explicat, ubi etiam notionem detegit huic formulae tribuendam. Plerique, quos etiam sequitur WINZERUS [1]), verba illa referri iubent ad remotiora *εὐαγγέλιον Θεοῦ,* FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, MEIIERUS, REITHMAYRUS, alii, duce THEODORETO, ad propius *προεπηγγείλατο.* Loquendi usus ad controversiam dirimendam nihil affert, quoniam Praepositio *περί* alibi neque a Nomine *εὐαγγέλιον* pendet, neque a Verbo *προεπαγγέλλεσθαι* vel simili. Literae item Veteris Testamenti, quorum testimonia KREHLIUS urget, secundum interpretationem PAULI tempore tritam, pariter praebent, quod utrique structurae faveat. Sed perpe-

---

[1]) *Adnotationes ad loca quaedam Ep. P. ad Rom.* p. 5.

tuus, quem orationi inesse vidimus, progressus ab iis impeditur, qui haec verba cum remotioribus *εὐαγγέλιον Θεοῦ* coniungunt. Tum verba *τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ*, quomodocunque intelliguntur, eadem in sententia praecedere quidem potest *ὃ προεπηγγείλατο περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, non vero *εὐαγγέλιον Θεοῦ περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, nisi ingratum ei languorem obtrudere velimus.

Iam si *promissionis eventus* et *ipsa promissio* ad eandem orationis seriem pertinent, hîc quoque laudandi sunt editores et interpretes, qui Parentheseos delerunt notas, quibus ab antiquo haud pauci verba *τοῦ γενομένου — ἀναστάσεως νεκρῶν* a circumiectis secreverant. Hinc sequitur etiam probandum esse Comma, quod a LACHMANNO et TISCHENDORFIO [1]) iis praepositum est. Quod autem VV. DD. hoc de loco disputarunt tantae amplitudinis est, ut extra fines huic scholae constitutos longe egrediendum sit, si singula deinceps ponderare velim. Ergo pleraque illorum obiter tantum attingens vel silentio prorsus praeteriens id maxime agam, ut meam qualemcunque sententiam breviter exponam atque defendam.

Duo nunc proponit Apostolus, ex duobus desumta temporibus, altero, quo Filius Dei hominum in vitam venit, altero, quo ille in vitam rediit ex morte. Silentio praetermittuntur media, nempe his in terris ab eo magnifice gesta, donec se Deo obedientem praestaret crucis supplicio ferendo. Hinc intelligitur, PAULUM non eo scripsisse consilio, ut cuncta, quae formula *υἱοῦ Θεοῦ* denotantur, comprehenderet. Quod uti

---

[1]) In N. T. *Editione prima*, in *secunda* non item.

MEIIERUS minus recte contendit, sic rursus scite monet, orationem duo habere membra per Asyndeton ita composita, ut posterius priori gravius sit, cuius rei exemplorum copiam praebent Literae Sacrae et scripta Graecorum [1]). Hac autem in dicendi ratione si quis cum THOLUCKIO Gradationem cerni dixerit, acriter eum non reprehendam. Et alteri membro formulas inesse alterius membri formulis oppositas, quis quaeso est, qui negare ausit? Sed FRITZSCHIUS aliique, quorum iudicio omnia his in membris Antithesi continentur, communem evitare nequeunt errorem multorum, quibus PAULUS humanae Filii Dei naturae Divinam opponere visus est. Multo minus OLSHAUSENIO et WETTIO assentiendum est, talem esse Antithesin, ut altera tantum eius pars et quidem posterior in Dei Filium quadret; quippe quod Apostolum sane ineptum facit disputatorem. Et nihil agunt, qui Particulas *quidem* et *sed* (*μέν* et *δέ*), quasi omissas, orationi inserunt, quod ab ORIGENIS interprete ad nostram aetatem propagatum est, ut suo exemplo docent GREVIUS, BENECKIUS [2]), RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS. Huiusmodi, sive Ellipsis seu Breviloquentia, et veteribus plane fuit incognita, et hinc est aliena. Utrumque enim, quod PAULUS verbis *περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ* subiungit, secundum cogitandi leges aequaliter accommodatum esse debet ad hunc Filium Dei ab aliis

---

[1]) Cff. KÜHNERUS, *Ausf. Gramm. der Griech. Sprache.* Tom. II. p. 459 sqq. item 376, 377. ALT. *Grammat. linguae Graecae* cet. p. 256, 257. WINER. *Gramm.* p. 682, 683. Exemplum valde simile exstat *Gal.* IV. 4.

[2]) *Der Brief Pauli an die Römer erläutert,* ad h. l.

quibuslibet distinguendum, et revera eo accommodatum esse deprehendetur.

Alteram Filii Dei ab antiquo promissi notam auctor exhibere incipit a verbis *τοῦ γενομένου*, quae, ambiguitatis evitandae causa, Latine reddere malo: *qui natus est*, quam cum Vulgata: *qui factus est*, cui interpretationi, quamvis a nonnullis [1]) defenditur, certe non favet Participium *γενόμενος* in oratione simili *Gal.* IV: 4. Legenti autem *Rom.* XVI: 25, 26 et *Tit.* I: 2, 3 mihi oborta est coniectura, PAULUM brevitatis studio impeditum esse, quominus scriberet: *ἐφανέρωσε δὲ, γενομένου αὐτοῦ -- καὶ ὁρισθέντος αὐτοῦ* cet.

Sequentia *ἐκ σπέρματος Δαβὶδ*, *ex semine* DAVIDIS i. e. *progenie* DAVIDIS, neminem exercebunt. Hinc nempe Iudaei Messiam oriturum sperarunt aetate IESU, uti narratur *Joann.* VII: 42 al. AMMONIUS autem et BOEHMIUS [2]), eorum sententiam a IESU *Matth.* XXII: 41 sqq. improbatam esse contendentes, minus perspectum habuerunt, illum de origine sua quaestionem tantum movisse ad confundendos Pharisaeos, qui Psalm. CX regem terrestrem promitti putarent DAVIDIS similem. Et sicuti ubique in N. T. ex DAVIDE ortus esse traditur, sic hoc 2 *Tim.* II: 8 poni videtur inter elementa doctrinae firmiter tenendae.

Nec multo difficilior intellectu est notio adiunctae formulae *κατὰ σάρκα*. Orationis seriem perturbant, qui OECUMENII probant annotationem huic formulae

---

[1]) Cf. CORNEL. A LAPIDE, *Comm. in omnes D. Pauli Epistolas*, ad h. l.

[2]) *Epistola Pauli ad Rom. Graece* cet. ad h. l.

subiectam: *Κατὰ γὰρ πνεῦμα υἱὸς Θεοῦ ἦν.* A PAULO enim illa aeque ad *Filium Dei* describendum adhibita est ac sequens *κατὰ πνεῦμα.* Sensum eius quod attinet, minus VV. DD. de eo inter se discrepant, quam discrepare videntur. Praecipuus vero error inde oritur, quod longe plurimi non animadvertunt, vocabulum *σάρξ* in N. T. non solum ab opposito *πνεῦμα*, sed etiam ab affini *σῶμα* distingui. At haec tamen distinctio inde quoque luculenter apparet, quod formula *κατὰ σάρκα* PAULO perfamiliaris est, nusquam vero, aut in Epistolis eius, aut aliis in Scriptis exstat *κατὰ σῶμα.* Neque ita scribi potest, quoniam notio rei singularis, vocabulo *σῶμα* propria, hoc non admittit. Praesertim cum hoc loco comparari merentur *Rom.* IX: 3, 5. 1 *Cor.* X: 18. *Gal.* IV: 23, 29, ubi itidem originis humanae ratio habetur. Sed haud secus sensum formulae *κατὰ σάρκα* pervertunt, qui eam interpretantur *secundum originem quoad corpus*, quam qui eam referunt ad totam IESU personam, ac si pariter *corpus* et *animum* significet, quod nuperrime post multos alios MAIERUS sibi voluit. Immo GRIETHUYSENIUS noster, quamvis ei omnes, nec nodos expedire, nec Literarum Sacrarum locos, de quibus disputabat, in luce ponere contigit, satis tamen effecisse videtur, *materiam* hominis *animalem* denotari, ubi PAULUS de origine humana scripserit *κατὰ σάρκα* [1]). Ergo hîc etiam nihil aliud, nisi fallor, superest quam illud explicare: *quatenus animalis erat* vel *materiae animalis particeps.*

Verum quum ingentem DAVIDES habuisset sobolem

---

[1]) *De notionibus voc. ΣΩΜΑ et ΣΑΡΞ in N. T. interpretatione distinguendis.* p. 55. al.

materiae animalis participem, huic notae PAULUS addendam esse vidit alteram, qua Filius Dei a ceteris omnibus distingueretur. Scripsit igitur *τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει*, quae praecedentibus *τοῦ γενομένου* respondent. Nam postrema *ἐν δυνάμει* cum sequentibus *κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης* coniungenda esse, ac si posita sint pro *ἐν δυνάμει τοῦ Ἁγίου Πνεύματος* hodie nemo amplius est, qui dicat. Sed alia difficultatem pariunt.

Et primum quidem in censum venit Participium *ὁρισθέντος*. Vulgatus Latinus, interpretans *praedestinatus est*, Simplex pro Composito *προορισθέντος* sumsit et temporum confusionem in orationem importavit. Frustra quoque laborarunt, quotquot ipsi verbo *ὁρίζειν declarandi* notionem vindicare annitebantur, quod iam egit MUSCULUS [1]), item ERASMUS [2]), Graecorum, uti CHRYSOSTOMI et THEOPHYLACTI, auctoritate fretus. Nihil aliud Verbum illud significat quam *definire*, *decernere*, *constituere*, ut etiam GROTIUS opportune monuit. FRITZSCHIUS igitur, quem quodammodo secuti sunt MEIIERUS, WETTIUS, STUARTUS, PHILIPPUS, Graeca *τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ* Latine reddi iussit: *qui constitutus est Filius Dei.* Si autem quaestio movetur, quomodo ille, quem Deus iam apud Iordanum *Filium suum* appellasset, dici tandem possit, Filius Dei postea constitutus esse; respondent VV. DD. eum nunc *inter homines* vel *coram hominibus* talem esse constitutum, qualis iam antea appellatus esset. Et quam recte ita respondeant, infra omnino docebit interpretatio ver-

---

[1]) *Comment. in Ep. D. Apost. Paul. ad Romanos*, ad h. l.

[2]) In *Bibl. Crit.* ad h. l.

borum *ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν*. Sed hoc sibi voluisse auctorem, iam produnt adiuncta *υἱοῦ Θεοῦ*, dummodo bene intelligantur. Quamquam enim ambiguitatis culpam sibi contraxisset scribendo *υἱοῦ αὐτοῦ*, de industria tamen repetiit vocabulum *Θεοῦ*, ut *plenum* proponeret *honoris titulum*, quem IESUS CHRISTUS post reditum suum in vitam gessisset inter homines. Ergo quod Apostoli in mente fuit, sic enucleatur: *Divinitus factum est, ut ab hominibus* DEI *diceretur* FILIUS. Similiter aliis etiam in locis *Nomen* pro *Pronomine* usurpatur, ut orationem *obliquam recta* excipiat. Sic VV. DD. [1]) iam monuerunt, *Ioann.* IV: 1. ad ea, quae fama ferret, scripto mandanda pro *ὅτι πλείονας* vel *ὅτι αὐτὸς πλείονας* positum esse *ὅτι Ἰησοῦς πλείονας*. Alicubi [2]) ipse notavi *Matth.* XII: 2, ubi auctor non *τὰ ἔργα αὐτοῦ*, sed *τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ* scripsit, ut eadem plane, quae fando audivisset, IOANNES cum lectore communicaret. PAULUS quoque 1 *Cor.* XI: 23, ut rem referret, prout sibi tradita esset, legendum praebuit *ὅτι ὁ Κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτί*, non vero *ὅτι ἐν τῇ νυκτί*, vel *ὅτι αὐτὸς ἐν τῇ νυκτί*, quo satisfactum fuisset. Et eiusdem fortasse indolis *Ephes.* II: 7 formula est *ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις*.

Sequentia *ἐν δυνάμει* connecti nequeunt cum proxime praecedentibus *υἱοῦ Θεοῦ*, si haec inserviunt ad

---

[1]) ALTIUS. l. c. p. 81. WINERUS. p. 168.

[2]) *Proeve van Grondslagen voor eene nieuwe Nederd. Vert. van het N. T.* cet. p. 136 sqq. ubi disputavi de huiusmodi formulis usu tritis in alium sermonem ita convertendis, ut lector, quales illae sint, intelligat. Cff. quae scripsi in libro: *De leer van den Doop en het Avondmaal.* cet. p. 114, 115.

honoris titulum, qui hominum in ore et sermone fuit, praedicandum. Referenda igitur sunt ad Participium ὁρισθέντος. Hinc quisque intelligit, praeter alia minus probabilia cadere etiam sententiam MELANCHTHONIS, nuper a PHILIPPO probatam, ea explicanda esse Adiectivo *potens;* quod minus congruit quoque cum subiectis, non CHRISTI, sed *Dei* potentiam memorantibus. Multo melius hodie plerique cum LUTHERO [1]) statuunt, ea Adverbii sustinere vicem, ut interpretanda sint *potenter*, vel, quod praeferendum videtur, *efficaciter*. Sic formula ἐν δυνάμει *Marc.* IX: 1. *Col.* I: 29. 2 *Thess.* I: 11 usurpatur, ut monuit MEIIERUS, item OLTRAMARIUS, qui multus est in hac interpretatione defendenda. Causam vero, cur illa Participio ὁρισθέντος adiuncta sit, equidem dubito, an omnino assecuturi simus, nisi animadvertamus, Verbum ὁρίζω ea vix aut ne vix quidem carere posse, ut intelligatur, Deum quod constituit non constituisse in mente sua, neque effato quodam, sed *re in facto posita* [2]).

Si formula ἐν δυνάμει cum Participio ὁρισθέντος connexa est, ab eo quoque pendere debent verba κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. Inde vero, quod haec praecedentibus κατὰ σάρκα respondent, sequitur, ea cum multis veterum, quos recentiori memoria secuti sunt FLATTUS [3]), PHILIPPUS, MAIERUS, explicari non posse *secundum naturam eius Divinam*, quoniam *natura Divina* opposita quidem est *naturae humanae*, σαρκὶ seu *materiae*

---

[1]) *Biblia* d. i. *Die gantze H. S. Hamb.* 1671 ad h. l.

[2]) De hac triplici verborum nonnullorum interpretatione infra, et quidem ad *Rom.* VIII: 3, disputandi erit copia.

[3]) *Vorlesungen über den Brief. P. an die Römer* cet. ad h. l.

animali non item. Nec rem acu tangunt, qui ad hanc sententiam tuendam comparari iubent 1 *Tim.* III: 16. 1 *Pet.* III: 18, ubi σάρξ et πνεῦμα *naturae humanae* et *Divinae* notionem etiam non admittunt. Cf. 1 *Pet.* IV: 6. Et vulgo VV. DD. perversa interpretatione formulae κατὰ σάρκα hanc sibi fraudem fieri patiuntur, ut a sensu oppositorum κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης quoque aberrent. Tum aliena haud pauci hunc in locum important vocabulo πνεῦμα accipiendo, quasi scriptum sit τὸ πνεῦμα. Qua culpa tenentur omnes, quotquot *Spiritus Sancti*, quae dicitur, *personam*, vel, per Prosopopoeiam, *vim Dei* proponi contendunt. Quare assentiendum etiam non est FRITZSCHIO aliisque interpretantibus: *secundum Spiritum Sanctum* scil. *ei concessum.* Multo minus hoc et quidquid eius simile est se commendat, quoniam eo sumitur, Substantivum ἁγιωσύνης nihil aliud sibi velle quam Adiectivum ἅγιον. Illud vero, quum PAULUS ubique scripserit πνεῦμα ἅγιον, temere sumitur, etiamsi causam ignoremus, cur hic a suo loquendi usu decesserit. Et haec ipsa insolentia formulae πνεῦμα ἁγιωσύνης praesertim mirificam peperit interpretum dissensionem, quam RÜCKERTUS, WETTIUS, STUARTUS, OLTRAMARIUS, alii nobis adspectabilem faciunt. Sed si animadvertimus, Praepositioni κατά Nomen subiectum esse sine Articulo, via nobis, nisi fallor, monstratur inveniendi quod verum, vel saltem satis probabile est. Vocabulum Ecclesiasticum ἁγιωσύνης, quod Vulgatus cum PELAGIO, AMBROSIASTRO veterumque plurimis reddidit barbaro *sanctificationis*, nihil aliud quam *sanctitatem* significare apparet ex 2 *Cor.* VII: 1. 1 *Thess.* III: 13, item ex *Psalm.* XCV: 6. XCVI: 12. CXLIV: 5, ubi usurpatur de Deo, cui

profecto consentanea non est, quae dicitur, *sanctificatio* [1]). Iam si coniuncta πνεῦμα ἁγιωσύνης explicare volumus, scribendum est, quamquam minus Latine: *Spiritus, qualis sanctorum est*, quemadmodum *Rom.* VIII: 15. 1 *Cor.* IV: 21. *Gal.* VI: 1 πνεῦμα δουλείας, υἱοθεσίας, πρᾳότητος denotat *Spiritum, qualis servorum, filiorum adoptatorum, mansuetorum est.* Quod vero e N. T. tantum per Analogiam cogi potest, ante oculos ponit *Testamentum Levi* [2]), in quo Patriarcha filiis suis de Messiae sectatoribus praedicit: πνεῦμα ἁγιωσύνης ἔσται ἐπ᾽ αὐτοῖς i. e. *ducentur a Spiritu, qualis sanctorum est.* Itaque ab auctoris mente non longe deflectere mihi videor, si integram formulam κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ita expono, ut eum faciam dicentem: *qualenus sanctitatis studio ducebatur.* Hoc autem Apostolus consulte praecedentibus ἐν δυνάμει adiunxit, ne quis illa alienum in sensum verteret. Et quam egregie illud etiam cum remotioribus τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ cohaereat, iam quisque intelliget inde, quod in Filium Dei nihil magis quadrat quam vita sanctitatis studio imaginem Dei Sanctissimi referens. Sed quidquid fortasse dubii vel subobscuri remanserit in nexu orationis, interpretandis postremis ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν me in luce collocaturum spero.

Discrepant inter se VV. DD. utrum in formula ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν ad Praepositionem explicandam scribere oporteat *inde a* vel *post*, an vero *per*. Illud

---

[1]) Mirandum est, ipsum VALCKENARIUM, *Select. e Schol.* Ed. WASSENB. Tom. II. p. 378 interpretatum esse *sanctificatio.* Sed meliora post alios docuit PALMIUS noster, *Bijbel* ad h. l.

[2]) Apud FABRIC. *Cod. Pseudep.* V. T. Vol. I. p. 587.

placuit THEODORETO, LUTHERO, ROSENMULLERO [1]), GLÖCKLERO, aliis; hoc BEZA, ne antiquiores memorem, auctore plerisque recentioris aetatis. Utrumque coniungere conatus est FLATTUS et quodammodo etiam STENGELIUS. Nec sane qui alterutrum probat in loquendi usum peccare censendus est. Sed infra nullam, cur a prima Praepositionis notione discedatur, causam esse videbimus. Sequentibus *ἀναστάσεως νεκρῶν* multi, etiam WINZERUS, OLTRAMARIUS, REITHMAYRUS, MAIERUS, breviloquentiam inesse contenderunt, ut scripta sint pro *ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν*. Sed meliora praeter WETTIUM, KREHLIUM et PHILIPPUM docuit MEIIERUS, diu ante MEIIERUM BENGELIUS [2]). Nimirum frustra in N. T. quaeritur formula *ἀνάστασις ἐκ νεκρῶν*; nam 1 *Pet.* I: 3, quem locum FRITZSCHIUS post alios excitavit, legimus *δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν*. Semel tantum vel bis, *Luc.* XX: 35. *Act.* IV: 2 [3]), se offert *ἡ ἀνάστασις ἡ ἐκ νεκρῶν*, sed inserviens ad hanc *ἀνάστασιν* ab alia qualicunque distinguendam. Deinde si his in Literis usitata esset *ἀνάστασις ἐκ νεκρῶν*, notione tamen a recepta *ἀνάστασις νεκρῶν* differret. Illa enim nihil aliud significare potest quam *reditum in vitam ex mortuorum receptaculo*, dum hac *ipsi mortui in vitam redire dicuntur* [4]). Quemadmodum autem *Act.* XVII: 32. XXIII: 6. 1 *Cor.* XV: 11. generatim proponun-

---

[1]) *Scholia in N. T.* Ed. IV. ad h. l.

[2]) In *Gnomone* ad h. l.

[3]) GRIESB. receptae *τὴν ἐκ νεκρῶν* aequalem censet lectionem *των νεκρῶν*, sed minus audiendus videtur. Multo probabilior est correctio *Phil.* III. 11: *εἰς τὴν ἐξανάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν*, nec tamen certa.

[4]) Cff. Disput. in *Comm. in Ep. ad Phil.* p. 236, 237.

tur mortui in vitam redeuntes, sic PAULUS hoc loco generatim *ἀνάστασιν νεκρῶν* laudavit, ut lectori relinqueret formulae ad Dei Filium applicandae rationem. Haec vero secundum Analogiam doctrinae Novi Testamenti fit applicatio, si verba sic exponuntur: *ex eo, quod reditus mortuorum in vitam reditu eius illustratus et inchoatus est* [1]). Et hac interpretatione primam quoque notionem Praepositionis *ἐκ* retinemus. Quod quamquam reapse non multum a sententia discedit eorum, qui Latine *per* quam *ex* scribere malunt, propterea tamen suadendum videtur, quia formula *ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν* praecedenti *ἐκ σπέρματος Δαβίδ* respondet. Ceterum haec Praepositio quum pendeat a Participio *ὁρισθέντος*, structura illa verborum orationem facit *praegnantem*, cuius multa iam a GLASSIO [2]) congesta sunt exempla. Ergo *Deus* IESUM CHRISTUM *publice Filium suum declarasse* dicitur *faciendo, ut reditum mortuorum in vitam reditu suo illustraret et inchoaret.* Atque sic nunc apparet, quatenus cum CHRYSOSTOMO aliisque interpretibus antiquioris et recentioris aetatis consentiendum sit, quotquot Participio *ὁρισθέντος* *declarandi* notionem ab eo alienam tribuerunt.

Absoluta Filii Dei descriptione praecedentibus *τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ* per Appositionem subiiciuntur Verba *Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν*, quae communis omnium bonorum interpretum sententia est. GLÖCKLERUS aiens, Verbum *ἐλάβομεν*, quod vs. 5 sequitur, postulare, ut Pronomen *ἡμῶν* ad *solum* PAULUM referatur, et hunc auctorem saepe Plurali ad se indican-

---

[1]) Cff. *Act.* XXVI: 23. 1 *Cor.* XV: 20, 23. *Col.* I: 18.

[2]) *Phil. Sacr.* Tom. I. p. 185 sqq. DATH.

dum usum esse, vehementer se fefellit. Pronomen enim illud, vocabulo *κύριος* postpositum, uti *Rom.* IV: 24. V: 1, 11, 21 et in aliis locis omnibus, ita hîc etiam *homines* significat *Christianos*, quorum *Dominus* IESUS CHRISTUS appellatur, quippe regni divini Princeps et totius societatis velut Caput. Eandem autem vim haec habet appellatio, ubi ille tantum *Κύριος* dicitur, excepta formula comparandi *Κύριος κυρίων Apoc.* XVII: 14. XIX: 16, dictione *οὗτός ἐστι πάντων Κύριος Act.* X: 36, qua *Deus* denotari videtur, non item [1]).

Vers. 5.

Memorato IESU CHRISTO pergit auctor *δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολήν*. Qui cum AUGUSTINO hîc duo praedicari putant, quorum alterum *hominem* spectet, alterum *legatum* CHRISTI, ut etiam OLSHAUSENIUS et KREHLIUS, minus meminerunt, hoc quidem cum orationis argumento congruere, illud vero non item. Magis cum eo congruit sententia CHRYSOSTOMI, cui CALVINUS, BEZA, GROTIUS, WETSTENIUS, alii, nuperrime MAIERUS, calculum adiecerunt, PAULUM per Hendiadyn *χάριν καὶ ἀποστολήν* scripsisse pro *χάριν τῆς ἀποστολῆς*. Sed etiamsi hoc sumi possit, ubi Particulam *καί* interpretari licet *et quidem* [2]), omnis tamen illa structurae corrigendae ratio tam lubrica et

[1]) Vide quae disputavi in *Magazijn voor Kritiek en Exegetiek des N. T.* Tom. II. p. 17 sqq.

[2]) WINERI *Progr. de Hypall. et Hendiad. in N. T. libris* (Erl. 1824) mihi inspicere non contigit; sed multum lucis mihi praebuit

incerta est, ut cum KÖLLNERO plerique eam improbaverint recentioris memoriae interpretes. Quid? quod in oratione nihil desiderii relinquitur, si, Graeca vertendo reddentes *favorem et Apostolatum*, eundem intelligimus *favorem Dei*, quo PAULUS *Rom.* XV: 15. 1 *Cor.* XV: 10. *Gal.* II: 9. *Eph.* III: 2, 3 et alibi factum esse praedicat, ut sibi *Apostoli munus* mandaretur. Vocabula δι᾽ οὗ idem sonare ac Latina *per quem*, hodie uno fere ore VV. DD. dicunt. Nec BAUMGARTEN-CRUSIUS comparando 1 *Cor.* I: 9. *Gal.* I: 1 probavit, ea pro παρ᾽ οὗ vel ὑφ᾽ οὗ scripta esse. Constanter enim PAULUS, ut supra iam vidimus, Deum professus est auctorem, ubi se CHRISTI *legatum* vocabat. Quod FRITZSCHIUS [1]) etiam docuit, quamquam cupidius, nisi fallor, contendens, vocabula διά τινος passim ita poni, ut ab ὑπό τινος nihil differant. Verbum igitur ἐλάβομεν explicandum est *accepimus Divinitus.* Illud autem ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, omnes, quantum novi, Graeci, tum *Ambrosiaster* aliique Latini ad PAULUM *ceterosque Apostolos* retulerunt. Quis primus *solum* PAULUM significari dixerit, ignoro. Quodammodo fortasse PELAGIUS se huius viae ducem praebuit. Consenserunt, etiam post Sacrorum instaurationem, praestantissimi quique, quos recentiores secuti sunt, nuperrime PHILIPPUS et MAIERUS, Plurale pro Singulari positum esse aientes. Sed sumendo, auctorem Numeros permutasse, orationi ineptam affinxerunt Tautologiam, qua vs. 5 repe-

---

FRITZSCHII *Excurs. IV* subiect. *Comment. perp. in Euang.* MATTHAEI p. 853 sqq. Cf. etiam HARLESS, *Comment. über den Brief Pauli an die Ephesiër.* p. 93, 94, 586.

[1]) *Pauli ad Rom. Ep.* ad h. l.

titur quod vs. 1 iam expressum est. Si vero illa permutatione repudiata mentem PAULI cum BENGELIO explicamus: *ego ceterique, quotquot* CHRISTI *legati sumus*, omnia via et ratione procedunt. Sic enim ipsius muneris Apostolici gravitas in luce ponitur, utpote Divinitus in homines collati, ut gentes exterae aeque atque Iudaei ad fidem perducerentur. Quod ut huius loci est, ita convenit cum mandato, quo IESUS Discipulos suos, quamvis illud minus intelligebant, obstrinxit *Matth.* XXVIII: 19, 20. *Marc.* XVI: 15, 16. *Luc.* XXIV: 47. *Act.* I: 8. Nondum dixi mihi valde suspectum esse, quidquid Grammatici et interpretes de tali Numerorum permutatione praecipiant [1]). Sed credere quoque non possum, PAULUM, qui vs. 6 Singulari *εὐχαριστῶ* de eo utatur, quod sibi proprium est, vs. 5 Plurali *ἐλάβομεν* uti ad illud, quod cum omnibus IESU CHRISTI legatis commune habet, sibi soli attribuendum.

Consilium Dei PAULUS sic exponere incipit: *εἰς ὑπακοὴν πίστεως*. Sed si saepe hac in patria nostra causam habemus dolendi, quod exteris in regionibus plane incognita manent, quae nos sermone vernaculo scribi-

---

1) CRELLIUS, *Comm. in Ep. P. ad Rom.* ad h. l. excitat *Gal.* I: 8, 9 et IV: 17; sed hîc pro ἡμᾶς legendum est ὑμᾶς, illic PAULUS Plurale et Singulare ita distinxit, ut altero *se suosque socios*, altero *se solum* proponeret. Similiter Pluralis notio retineri debet 1 *Cor.* I: 23. II: 6. IV: 1 aliisque in locis saepe allatis, in quibus auctor sibi, sive Apostolos, seu suos comites et adiutores adiunxit. Alius generis est quod apud EUSEBIUM, *Hist. Eccles.* Lib. V. Cap. 24 profitetur POLYCRATES: *Οἱ γὰρ ἐμοῦ μείζονες εἰρήκασι· Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις.* Sed quod PETRUS *Act.* V: 29 solus dixit, collegarum dixit nomine. Nec comparanda sunt quae habet MATTH. *Ausführl. Gramm.* Ed. III. p. 747 sqq.

mus, ego hoc nunc vehementer doleo. Ante aliquot nempe annos in lucem edidi commentationem, qua probasse mihi videor, Verba priora εἰς ὑπακοὴν πίστεως explicanda esse: *ut obedientia erga Deum praestaretur fide Euangelio habenda* [1]). At hoc tamen, quantum scio, latuit omnes, quotquot peregre hoc de loco postea disputabant. Me autem quum nondum poeniteat eorum, quae in medium attuli, praecipua eorum nunc quam brevissime recensere lubet, uno alteroque, quibus confirmentur, iis adiecto. Ergo sententia mea huc redit: Vocabulum πίστις, ut etiam WINERUS [2]), REICHIUS, MEIJERUS, PHILIPPUS alii, quamvis nonnulli eorum subdubitantes, monuerunt, in N. T. nusquam significare *doctrinam fidei:* huic notioni quoque non favere verba παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει, *Iud.* 3, quippe quae sibi velint: *vos adhortans, ut communis salutis causa certetis fide, quae cum* CHRISTI *sectatoribus semel communicata est:* neque hanc interpretationem niti eo, quod LUCAS *Act.* VI: 7 de magna multitudine sacerdotum narrat: ὑπήκουον τῇ πίστει: Verbo enim ὑπήκουον Tertium Casum non adiunctum esse, qui Latinorum Dativo, uti sumit Traditio Exegetica, sed qui eorum Ablativo respondeat: homines igitur *Euangelio*, quod in huius orationis principio appellatione τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ significatur, *fide habenda* dici

---

[1]) *Bijdragen tot bevord. van Bijb. uitlegkunde.* Tom. II. p. 123 sqq. Disputatis postea, Tom. III p. 106 sqq. epistolam adieci, ut verba *Iud.* 20: τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτοὺς explicanda esse probarem: *fide vestra sanctissima vosmet ipsi erigentes* i. e. promoventes in vobis ipsi omnis pietatis et virtutis studium.

[2]) *Pauli ad Galatas Epistola* cet. p. 92.

obedivisse Deo: aliis quidem in locis formulam ὑπακούειν πίστει vel τῇ πίστει non exstare praeterquam *Hebr.* XI: 8; ibi vero auctoris scribentis: Πίστει καλούμενος Ἀβραὰμ ὑπήκουσεν ἐξελθεῖν mentem sine dubio fuisse: *Fide factum est, ut* ABRAHAMUS, *quum Divinitus vocaretur ad exeundum e patria sua, Deo obediret:* et pariter verba huius loci εἰς ὑπακοὴν πίστεως explicari debere: *ut obediretur Deo fide Euangelio habenda.* Πίστις igitur hîc eadem animi, in Novi Testamenti libris ubique commendata, fides est, qua se quis totum Deo tradit utpote Patri, qualem se in IESU CHRISTO Filio suo hominibus fecit adspectabilem. Vocabulum ὑπακοή suppresso nomine Dei, uti Cap. V: 19. XV: 18. XVI: 19, 26, *obedientiam* denotat *erga Deum praestandam.* Similiter Verbum ὑπακούειν sine nomine exstat *Phil.* II: 12, item *Rom.* VI: 12, ubi spurium est quidquid libri veteres praeter εἰς τὸ ὑπακούειν continent. Si Verbo adiectum legitur τῷ εὐαγγελίῳ, ut *Rom.* X: 16. 2 *Thess.* I: 8, itidem interpretandum est: *Deo obedire Euangelio per fidem accipiendo.* Propterea autem Dei commemoratio, etiam in usu Adiectivi ὑπήκοος *Phil.* II: 8, praetermissa est, quod *nulla* Scriptoribus Sacris cognita erat *obedientia nisi erga Deum praestanda.* Iam duo illa ὑπακοὴ πίστεως similiter coniuncta sunt ac Cap. IV: 13 δικαιοσύνη πίστεως, ut posterius inserviat ad prius definiendum. Perperam vero FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, alii comparari iubent 2 *Cor.* X: 5 et 1 *Pet.* I: 22, ubi vocabulum ὑπακοή sequuntur Genitivi τοῦ Χριστοῦ et τῆς ἀληθείας, quorum notio mere Obiectiva est. Quomodo autem MEIIERUS et PHILIPPUS, a quibus πίστις Subiective accipitur, a se impetrare potuerint, ut ipsi

quoque hos locos compararent, equidem non intelligo. Sed vel sic quidem utrique loco ad interpretationem meam labefactandam nihil inest, quatenus in altero proponitur *obedientia erga Deum praestanda, quod attinet* CHRISTUM i. e. CHRISTO *profitendo*, in altero *obedientia erga Deum praestanda, quod attinet veritatem* i. e. *veritate sequenda.* Similiter enim verba *εἰς ὑπακοὴν πίστεως* explicari possunt *ad obedientiam erga Deum praestandam, quod attinet fidem* i. e. *fide Euangelio habenda.* Cum his autem Subiecta *ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν* arcte cohaerere, hodie satis constat. Recte itidem plerique *omnes omnino gentes, Iudaeis non exclusis*, significari monent. Quod iam intelligitur ex Articulo *τοῖς* vocabulis *πᾶσι* et *ἔθνεσιν* interposito, uti Cap. XV: 11. XVI: 26. *Gal.* III: 8 et al. Frustra post alios MAIERUS contrariam in partem disputat provocando ad *Rom.* II: 14, 24. III: 29. IX: 24, 30. XI: 13, ubi tantum *ἔθνη* vel *τὰ ἔθνη* legimus [1]). Ceterum Plurali *ἐλάβομεν* sapienter PAULUS adiicit, voluisse Deum, ut *in gentibus exteris aeque atque in Iudaeis* fides esset, qua Euangelio habenda sibi obediretur. Nihil enim, et huic Prooemio, et totius Epistolae argumento accommodatius fuit quam declaratio, omnibus, quotquot se CHRISTI legatos vocarent, Divinitus mandatum esse, quod ipse nunc perageret.

Postrema *ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ* ad totum hoc interiectum pertinere, nemo hodie negabit. Dudum ea,

---

[1]) Cff. KLUIT. *Vindic. Art. O,H,TO in N. T.* Tom. I. Part. 1. p. 125 sqq. MIDDLETON. *The Doctrine of the Gr. Article.* Ed. ROSE. p. 103, 104. WINER. *Gramm.* p. 133. ROST. *Griech. Gramm.* Ed. V. p. 442 sqq.

nec hodie poenitet, interpretatus sum: *ut nomen eius illustraretur* [1]). Quum autem interpretes recentioris memoriae fere omnes eandem notionem Praepositioni ὑπέρ tribuant, propter dissensionem nonnullorum, uti OLTRAMARII, necesse non est hac de re disputare. Multum quoque laboris non pariunt, qui vocabulum ὄνομα non ipsum *nomen*, sed *personae gloriam*, *dignitatem*, *maiestatem* spectare volunt, uti etiam PHILIPPUS et MAIERUS. Nihil aliud probari potest, quam locos esse, in quibus *nominis* appellatio usurpata sit ad *nominis excellentiam* indicandam [2]). *Nominis* vero notio, ubicunque ὄνομα legitur, nusquam negligenda est, quanto minus, si sermo est de *gravissimo nomine Dei* vel CHRISTI. Ita hîc *nominis* fit mentio ad honorificum *Domini societatis Christianae* titulum, qui vs. 4 in CHRISTUM confertur, significandum.

Vers. 6.

Quod generatim dixit, nunc PAULUS ad Epistolae suae applicat lectores. LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS, Comma verbis: ἐν οἷς ἐστε καὶ ὑμεῖς subiectum tollentes, sequentia: κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ arcte cum iis connexerunt. Hoc tamen recte improbarunt RÜC-

---

[1]) *Comment.* ad *Phil.* II: 13.

[2]) Nihil aliud igitur probant, quae V. D. in *Godgeleerde Bijdragen.* 1839. p. 515 sqq. et MULLERUS, *Commentat. de locis quibusdam Ep. Pauli ad Philipp.* p. 31 humaniter opposuerunt iis, quae disputaveram in *Comment.* ad *Phil.* II: 9. Quod iudicium quoque est WIESINGERI, qui me omnem amovisse censet causam dubitandi, an vocabulum ὄνομα quid amplius quam *nomen* denotet.

KERTUS et BAUMGARTEN-CRUSIUS. Non solum enim oratio ita comparata est, ut vulgarem commendet distinctionem, sed haec quatuor ἐν οἷς ἐστε κλητοί eodem tanquam vinculo etiam contineri non posse videntur. Fallitur autem WETTIUS, ubi verba: *in quibus (gentibus) vos etiam estis*, tenuiorem contendit habere sensum. Immo gravia illa sunt, dummodo cum praecedentibus rite coniungantur. Voluit nempe PAULUS, ut ipsi viderent lectores, se, quum Literis eos adiret, non sua sponte hoc facere, sed mandato Divino, quod communiter accepissent Apostoli, ipse vero nunc exsequeretur. De adiectis κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ brevis esse possum propter disputata ad vs. 1. Praeeunte CALVINO, interpretes plerique, etiam OLTRAMARIUS, KREHLIUS, WETTIUS, PHILIPPUS, notarunt, PAULUM vocationem hominum ad CHRISTI communionem *Deo* tribuere solere. Quod verum esse apparet ex Cap. VIII: 30. IX: 11, 24 aliisque locis. Ergo, discriminis Adiectivi Verbalis κλητοί et Participii κεκλημένοι habita etiam ratione, mens auctoris sic erit explicanda: *sectatores* IESU CHRISTI, *Divinitus ad eum vocati et perducti*. Hic autem titulus orationi deesse non potuit, quoniam auctor se nondum ad Epistolae suae converterat lectores. Sed eum quoque adscripsit, ut illi ipsi ex hac sua communione CHRISTI intelligerent, se inter homines esse, quorum salutem Deus curae Apostolorum commisisset.

Vers. 7.

In viam, unde digressus est, PAULUS revertitur scri-

bendo hominibus, quibus Epistola sua destinata est: *Πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ ἀγαπητοῖς Θεοῦ,* quae, deleto Commate, quod habet Editio Recepta, cum FRITZSCHIO, RÜCKERTO, REITHMAYRO aliisque connectenda sunt. Huius structurae probitas non solum inde apparet, quod formula *πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ* significare quidem potest *omnibus Romae degentibus*, minime vero, quamvis eam sic explicant REICHIUS, KÖLLNERUS et satis multi: *omnibus, qui Romae degunt*, CHRISTI *sectatoribus*, sed etiam ex 1 *Cor.* I: 2. 2 *Cor.* I: 1. *Eph.* I: 1. *Phil.* I: 1. Haud temere autem VV. DD. memorati subtilitatem improbant eorum, qui cum WOLFIO [1]) PAULUM id egisse putarunt, ut *advenas* pariter et *urbis incolas* comprehenderet. Alibi enim in Epistolarum fronte vocabulum *πᾶσι* huic opinioni non favet, et hîc etiam circumiecta vs. 6, 8 sqq. 15 evidenter docent, intelligendos tantum esse *Romanos* i. e. *Romae incolas* CHRISTI *nomen profitentes*. Nec loquendi usus commendat ipsius FRITZSCHII coniecturam, auctorem scripsisse *πᾶσι τοῖς οὖσιν,* quoniam sibi ante oculos *et ignoti* obversarentur, *et noti*, uti AQUILA, PRISCILLA, ANDRONICUS. Sed quae supra [2]) disputavi, iam sufficere spero ad refellendos interpretes, qui AQUILAE et aliorum, quorum nomina Cap. XVI exstant, hîc rationem haberi volunt. Et satis quoque valent, nisi fallor, ad dirimendam quaestionem, cur PAULUS non scripserit: *τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Ῥώμῃ.* Quidquid vero huius rei est, sine ulla distinctione

---

[1]) *Curae Philol. et Crit.* ad h. l.

[2]) *Introit.* p. 6 sqq.

scripsisse videtur: *omnibus quotquot Romae sunt dilecti Deo.* At negare tamen nolo, quod inter alios existimavit KLEEIUS, studiose eum incepisse a vocabulo *πᾶσι*, ut eodem loco et numero haberentur homines Christiani e gentibus exteris et ex Iudaeis orti. Quod confirmari videbimus animadvertendo, haec ipsa *πᾶσι τοῖς οὖσιν* cet. respondere praecedentibus vs. 5 *ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν*.

Sed *ἀγαπητοὶ Θεοῦ* etiam esse poterant homines, qui Euangelium implicite in corde, non explicate in ore habebant, quia illud iis nondum erat annunciatum. Ergo PAULUS, ut Epistolae suae lectores ab huiusmodi hominibus distingueret, adscripsit *κλητοῖς ἁγίοις*. Qua in formula Adiectivum *ἁγίοις* pro Substantivo positum, quemadmodum 1 *Cor.* I: 2, cum Adiectivo Verbali *κλητοῖς* ita compositum est, ut sermo Latinus non habeat, quo ad literam reddatur. Sensus vero, quem praebet ea, huc redire videtur: *ad* IESUM CHRISTUM *vocati et perducti, quo sacri estis Deo.* Sed quid repetam, quae ad *Phil.* I: 1 de notione vocabuli *ἅγιος* disputavi? Neque iterum narrare iuvabit, quae pertinent ad votum: *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ*, ibidem vs. 2. quoque factum. Nunc illud aeque atque antea Puncto a praecedentibus separandum et explicandum censeo: *Favorem suum et omnem beatitatem hinc affluentem* (vel *emanantem*) *vobis impertiat Deus, Pater noster, et Dominus,* IESUS CHRISTUS. Interpretibus autem propterea a me refutatis, quod Genitivum *Κυρίου* non a Praepositone *ἀπό*, sed a Nomine *πατρός* fecissent pendentem, recentiori memoria calculum adiecisse vidi GLÖCKLERUM et STENGELIUM. Sed prudenter Veterum,

etiam CRELLII et SLICHTINGII [1]), vestigiis cum plerisque ingressi sunt STUARTUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, MAIERUS. Temere enim ad alteram interpretationem tuendam afferuntur Cap. XV: 6. 2 *Cor.* I: 3. *Eph.* I: 3. 1 *Pet.* I: 3, ubi Deus quidem *Pater* IESU CHRISTI vocatur, sed verba *ἡμῶν καί* orationi non inserta sunt.

Vers. 8.

Prooemio succedit Exordium, ad lectorum animos erigendos apprime compositum. Quantopere de iis gaudeat, PAULUS sic explicare incipit: *Πρῶτον μὲν εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Iam verba *πρῶτον μέν*, quum iis non respondeant *ἔπειτα δέ*, explicanda esse *ante omnia quidem*, nemo paulo perspicacior ROSENMÜLLERO, KOPPIO, FLATTO, GLÖCKLERO concedet. Ubique observari debet notio vulgaris *primum quidem*, sive desiderata *ἔπειτα δέ* sequentibus implicite insunt, seu Apodosis ibi frustra quaeritur. Ita hîc, sicuti Cap. III: 2 et 1 *Cor.* XI: 18, in oratione cernitur Anacoluthon, inde profectum, quod auctori inter dictandam Epistolam varia in mentem venerunt, quibus avocaretur ab incepto persequendo [2]).

---

[1]) *Comment. posthum. in plerosque N. T. libros* ad. h. l.

[2]) Cf. praeter FRITZSCHIUM aliosque interpretes WINERUS p. 625. Locos, in quibus post *πρῶτον μέν* desiderantur *ἔπειτα δέ*, adfatim praebet *Thesaur.* STEPHAN. *Ed.* HAS. et DINDORF. ad. h. l. Luculentum exemplum reperi in verbis NICARCHI, *Epig.* 14:

— — — πρῶτον μὲν — — καινὴν ἔχε τὴν ναῦν·
Καὶ μὴ χειμῶνος, τοῦ δὲ θέρους ἀνάγου.

Adscribens autem *εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου* i. e. *gratias ago Deo meo*, similiter Epistolam exorsus est ac DEMOSTHENES *orationem* suam *pro corona* dicendo: *Πρῶτον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις*. Verba nihil habent, quod nos morari possit. Nam Pronomen *μου* ex animo auctoris emanavit commoto, ut Deum omnium, quotquot CHRISTI communione uterentur, *suüm* etiam Deum esse declararet. Eodem tetendit 1 *Cor*. I: 4. 2 *Cor*. XII: 21. *Phil*. I: 3. IV: 19. *Philem*. 4 [1]). Quos qui inspexerit locos ibique nihil legerit, quod similitudine accedat ad formulam *διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ*, ultro quoque videbit ipse, illam hoc loco non cum Pronomine *μου*, sed cum Verbo *εὐχαριστῶ* coniungendam esse. Quomodo autem ea explicanda sit, usus loquendi neque alibi docet, nec Cap. VII: 25, ubi pro recepto substituendum videtur *χάρις τῷ Θεῷ*. In magna vero dissensione interpretum tutissimum erit ita versari, ut omnis arceatur rei infra demum indicatae occupatio. Idcirco improbari meretur sententia multorum, PAULUM gratias agere pro fide, ad quam Romani per IESUM CHRISTUM perducti sint. Multo magis eius, quod pariter et sequens suadet oratio, et vis Praepositionis *διά*, rationem habebimus, si illud *per* IESUM CHRISTUM, auctore MEIJERO, sic intelligimus, ut Apostolus IESUM CHRISTUM *ducem* dicat, *per quem gratias agens accedat ad Deum*. Atque hoc valde commendatur, tam locis similibus *Rom*. XV: 30 et 1 *Cor*. I: 10, quam, ut monet KREHLIUS, eo

---

[1]) De Genitivo Pronominis Nominibus adiecto data opera disputavi in libro s. c. *De betrekking van het gevoel*. cet. p. 196 sqq.

potissimum, quod *Eph.* V: 20 formula ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ pendet a Participio εὐχαριστοῦντες et *Col.* III: 17 verba ἐν ὀνόματι [Κυρίου] Ἰησοῦ et δι' αὐτοῦ inter se permutantur.

Causam, cur Deo gratias agat, nunc Apostolus sic enarrat: ὑπὲρ πάντων ὑμῶν. Adiectivo iterum repetito PELAGIUS scite subiunxit: *non pro Iudaeis solis.* Sed utrum Praepositio ὑπέρ genuina an spuria sit, quaestio est nondum diremta. Librarios, opinione connecti non posse εὐχαριστῶ ὑπὲρ ὑμῶν deceptos, pravae suae sedulitati indulsisse, neutiquam probabile est, siquidem Praepositionem illam 1 *Cor.* X: 30. 2 *Cor.* I: 11. *Eph.* I: 16. V: 20, ubi itidem a Verbo εὐχαριστεῖν pendet, omnes, quantum scio, reliquerunt intactam. Nihil aliud fraudem iis fecisse videtur quam literarum similitudo, quae saepissime confusionem Particularum περί et ὑπέρ peperit [1]). Ergo Editionem Receptam fulcire censendi non sunt VV. DD. qui homines alteram (ὑπέρ) in alteram (περί) propterea mutasse coniiciunt, quod vel intellectu difficilior esset, vel rarioris usus [2]). Antiquissimorum vero Codicum testimoniis ponderatis Editionem illam cum LACHMANNO et TISCHENDORFIO, quibus assentiuntur RÜCKERTUS et KREHLIUS, corrigendam puto, ut scribatur περὶ πάν-

---

[1]) Ita *Marc.* XIV: 24. *Act.* XII: 5. XXVI: 1. 1 *Cor.* I: 13. 2 *Cor.* I: 8. *Col.* I: 3. II: 1. 1 *Thess.* III: 2, Cff. WINERUS p. 489 et qui ibi laudantur.

[2]) Sed hoc ipsum sine causa sumi apparet inde, quod Praepositio περί Verbum εὐχαριστεῖν, si excipimus *Col.* I: 3, tantum sequitur 1 *Cor.* I: 4. 1 *Thess.* I: 2. 2 *Thess.* I: 3. II: 13.

των ὑμῶν, de vobis omnibus. Horum autem testimoniorum fidem augebimus MEIJERI argumentatione, ubi librarios id, quod 1 *Cor.* I: 4. *Col.* I: 3. 1 *Thess.* I: 2. 2 *Thess.* I: 3 exstat, huc transtulisse contendit, in illum ipsum retorquenda. Vix enim credibile est, PAULUM, qui in *Epistolarum fronte* Verbo εὐχαριστῶ adscribere soleret *περὶ ὑμῶν, hoc in Exordio* ei *ὑπὲρ ὑμῶν* adscripsisse. Sed si Receptum *ὑπέρ* alteri praeferendum sit, subsistere debemus in Graecis Latine interpretandis: *vestra omnium causa,* ne hoc in prius orationis membrum importetur explicatio, quam sibi auctor ad posterius reservavit.

Et explicatio quidem haec est: *ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ.* Apostolus Hyperbole usus est, sed minus audaci quam LUCAS *Act.* II: 5. Quum enim *Romae* nomen celebratissimum esset, res ipsa loquitur, incolarum illius urbis quoque celebratam fuisse fidem, ubicunque CHRISTI sectatores degerent. Similia leguntur 1 *Thess.* I: 8 et quodammodo *Rom.* XVI: 19. Quod AMMONIUS contendit, PAULUM contradicere LUCAE *Act.* XXVIII: 21, 23, a REICHIO nollem probatum. Repugnantiam, qua uterque locus primo adspectu laborare videatur, me supra [1]), si minus sustulisse, certe levasse spero. Vocabulo autem *πίστις* quum OLTRAMARIUS *pietatem* significari aiat, notionem deserit ei vs. 5, 12 et ubique propriam. Nec secundum loquendi usum commendabile est, quod post KOPPIUM aliosque FRITZSCHIUS et BAUMGARTEN-CRUSIUS volunt, *fidei ardorem et constantiam* intelligi. Rectissime MEIJERUS *meram* proponi monet *fidem.* Ille vero itidem

---

[1]) *Introit.* p. 11.

falsus est annotando, sequentia *καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ fidei efficacitatem* demum inducere. Ut enim similia: *Χριστὸς καταγγέλλεται Phil.* I: 18 tantum significant: CHRISTUS *annunciatur,* ita his nihil aliud inest quam *annunciatur in toto mundo.* Mentem ipse suam *Rom.* XVI: 19 interpretatur PAULUS scribens: *ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο* i. e. *Obedientia vestra erga Deum praestita, quod* CHRISTI *sectatores facti estis, ad omnium notitiam pervenit.* Quemadmodum autem ibi adiecta *θέλω δὲ ὑμᾶς σοφοὺς* cet. luculenter docent, qualia et quanta Apostolus in Romanorum fide desideraverit; sic hoc in Capite non legeremus, quae vs. 11 sqq. exstant, nisi ille lectores suos expertes habuisset multorum, quae ad fidem requiruntur. Quare audiendi etiam non sunt, quotquot cum KREHLIO, PHILIPPO, MAIERO *laudabilem fidei indolem* praedicari putant. Sed Verbo *καταγγέλλεται* nihil alieni RÜCKERTUS affinxit monendo, huius Epistolae auctorem minus gratias egisse, quod Romanorum fides praedicaretur ubicunque terrarum, quam quod illi *fidem haberent* omnibus cognitam. Praecessit cum aliis ESTIUS [1]), imprudenter tamen probans CHRYSOSTOMI verba: *Πέτρος ἐκήρυξεν ἐκεῖ, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐκείνου ἑαυτοῦ ἡγεῖται.* Utique si PAULUS PETRUM vel alium etiam Apostolum *Romae* Euangelium annunciasse scivisset, in mentem ei non venisset gaudium suum propterea, quod fides Romanorum per omnium ora volitaret, explicare. Hoc enim non solum fecit, ut bene vidit THOLUCKIUS, ob fidei propagationem inde ad varias regiones redundaturam, sed etiam ob hunc rei

[1]) *Comment. in omnes b. Pauli et alior. Apost. Epistolas* ad h. l.

Christianae mirabilem ex initiis sibi incognitis progressum.

Vers. 9, 10.

Iam orationem auctor sic persequitur: *Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεός, testis enim meus est Deus.* Testationem Dei per Particulam *γάρ* Verbum *εὐχαριστῶ* spectare, nemo non videt. Causam vero, cur PAULUS ea usus sit, ab interpretibus, nisi fallor, minus intellectam supra [1]) explicare conatus sum. Suspicionem igitur Romanorum amovere voluit a commemoratione precationis suae assiduae, ut sibi Deus paratam *Romae* adeundae faceret viam. Quo gravior autem Dei testatio sit, superioribus primum addit: *ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου.* Verbum *λατρεύειν,* quod cum HESYCHIO [2]), CHRYSOSTOMUS aliique veteres bene interpretantur *δουλεύω,* ubique in Literis Sacris denotat *Deum* [vel *deos*] *religiose colere,* atque hîc *Deo ministrare.* Itaque scribendum est, uti *Act.* XXVII: 23, *cui ministro*, vel *cuius ministrum ago.* Quale autem nobis proponere debeamus ministerium, docent connexa *ἐν τῷ πνεύματί μου* i. e. uti 1 *Cor.* XIV: 14. 2 *Cor.* II: 12 alibi, *in animo meo.* Atque sic illud sine dubio distinguitur ab illa rituum sacrorum observatione, in qua Iudaei omnesque gentes PAULI aetate rerum Di-

---

[1]) *Introitus* p. 14.

[2]) *Lexic.* Ed. ALB. ad v. *λατρεύω.* Cf. *Glossar. Graec.* ALB. p. 90 et 155, ubi etiam *λατρεία* explicatur *δουλεία.* Locorum copiam praebet *Thes.* STEPH. sed aliunde quam ex Literis Sacris desumtorum.

vinarum caput posuerunt. Sed ipsum auctorem, ut cum CHRYSOSTOMO THEOPHYLACTUS putavit, his verbis usum esse, ut Iudaeorum gentiumque exterarum religionibus suam longe praeferendam esse significaret, haud sine causa FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS aliique, nuperrime MAIERUS, negarunt, quippe orationi *Phil.* III: 3 quidem consentaneum, huic vero orationi non item. Nihil aliud sibi voluit, quam se *vere et sincere* ministrare Deo, vel, uti 2 *Tim.* I: 3 scripsit, *ἐν καθαρᾷ συνειδήσει.* Iam quanam in re hoc ministerium versaretur, ostendit sequentibus: *ἐν τῷ εὐαγγελίῳ* i. e. per eandem Metonymiam ac vs. 1, *in Euangelio praedicando.* Genitivus autem his adiunctus *τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ* utrum Obiectivus an Subiectivus sit, KÖLLNERUS et STUARTUS dubium esse monent, ceteri omnes, quantum nóvi, horum dierum interpretes, praeeuntibus CALVINO, BEZA aliisque, illud verum, hoc falsum habent, et summo quidem iure. Non solum enim oratio praecedens vs. 1—3 postulat, ut hîc interpretemur *Euangelium vel nuncius laetus de Filio eius;* sed usus etiam loquendi. Ubicunque formula *τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ* exstat, significatur *Euangelium, in quo conspicuus* CHRISTUS *est,* uti *Rom.* XV: 19. 1 *Cor.* IX: 12. 2 *Cor.* II: 12 et al. quod apparet quoque ex formula simili, quae illi respondet, *τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ* 2 *Cor.* IV: 4. Et eodem modo *Matth.* IV: 23. *Act.* XX: 24. *Eph.* I: 13. VI: 15, quibus in locis legimus *τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, τῆς χάριτος, τῆς σωτηρίας, τῆς εἰρήνης,* se offert Genitivus Obiecti. Itaque PAULUS testationis suae pondus duobus probat argumentis: pietatis suae sinceritate et muneris, quo fungitur, gravitate.

Quid vero ille testatur? Nimirum *ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι* i. e. *ut vestri assidue mentionem faciam.* Minus recte enim GROTIUS, RAPHELIUS [1]), aliique, quos FLATTUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, WETTIUS, KREBLIUS sequuntur, Particulam *ὡς* pro *ὅτι* positam esse volunt. Nec Grammaticis [2]), qui hoc saepe fieri contendunt, aures praebendae videntur. Prudenter WINERUS [3]) harum, quamvis reapse eodem tendant, Coniunctionum usu homines inter se differre monet in mente sua explicanda. Nihil aliud arguunt exempla ex *Marc.* XII: 26. *Luc.* VI: 4 *Act.* X: 38 petita ad probandum, alteram alterius vicem sustinere. Quid? quod Particula *ὡς* ibidem haud secus quam 2 *Cor.* VII: 15. *Phil.* I: 8. 1 *Thess.* II: 10, 11 *modum rei* satis evidenter proponit. Itaque CALVINO, REICHIO, MEIJERO, PHILIPPO assentiendum est, ubi hîc etiam *modi* rationem, haberi iubent [4]). Formulam *μνείαν ποιοῦμαι,* non significare *recordor,* ut REICHIO, RÜCKERTO et GLÖCKLERO placuit, sed *commemoro* vel *mentionem facio,* in N. T. constans docet loquendi usus [5]).

Romanorum mentionem *apud Deum* fieri, ostendit Apostolus adscribendo: *Πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος* i. e. *Semper in precibus meis petens.* Nequidquam egerunt, qui verba *πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου,* vel solum Adverbium *πάντοτε,* quod

---

1) *Observ. Phil.-crit.* Tom. II. ad h. l.

2) VIGERUS *de praec. Gr. dict. Idiotismis.* p. 561, 564, 565 HERM. TROLLOPE, *A Greek Gramm. to the N. T.* p. 189.

3) *Gramm.* p. 526, 527. Cf. MADVIG, *Synt. der Gr. Spr.* 172, 173.

4) Similiter explicandi sunt loci allati apud VIGERUM, item apud MATTH. Tom. II. p. 1225 et ROSTIUM p. 615.

5) Cff. disputat. ad *Phil.* I: 5 ibique MULLERUS.

quodammodo iam visum est CHRYSOSTOMO et PELAGIO, deleto commate, ad orationem praecedentem referebant. Describere nolo quae FRITZSCHIUS aliique, etiam MELVINUS [1]), pro distinctione recepta eademque ab omnibus fere horum dierum interpretibus probata disputarunt. Nec multo maiorem molestiam mihi creabit argumentum precationis: *εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς.* Dubitari nequit, quin Particulae *εἴπως ἤδη ποτέ* cum ERASMO Latine reddendae sint: *si quo pacto* (vel *fortasse*) *tandem aliquando.* Hominem illae produnt valde verentem, ut voti sui compos fiat. Atque hoc verebatur PAULUS propter impedimenta, quae sibi identidem illata esse vs. 13 queritur. Nunc vero exoptans, ut Divinitus sibi contingat, quod nondum fieri potuit, orationi inserit *ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ*, *in voluntate Dei*, vel *volente Deo.* Alia autem difficultate haec non laborat oratio, quam quae cernitur in Verbo *εὐοδωθήσομαι.* Nusquam frequentior eius usus est quam apud Alex. V. T. interpretem [2]). Ibi etiam non frustra quaerentur loci, in quibus post se habet Infinitivum. Nulla igitur causa est ERASMO aliisque assentiendi, qui hîc Infinitivum *ἐλθεῖν*, praecedentibus: *εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ* tanquam in Parenthesi positis, cum Participio *δεόμενος* connectunt. Quod hodie interpretes una propemodum voce improbare, nemo mirabitur, si cogitaverit, hac distin-

---

[1]) *Comment. in divin. Pauli Epist. ad Romanos cur.* G. LINDSAY ALEXANDER ad h. l.

[2]) Cff. cum STEPHANI *Thes.* BIELII *Nov. Thesaur. Philol.* et SCHLEUSNERI *Nov. Thesaur. Philol.-crit.* v. *εὐοδόω.*

ctione orationi sensum tribui, qui in Dei incurrat reverentiam PAULI animo penitus impressam. Sed gravior est quaestio, quae de interpretatione Verbi *εὐοδόω* agitur. OECUMENIUM [1]) suo quisque modo secuti sunt STEPHANUS, VATABLUS [2]), ESTIUS, BEZA, WETSTENIUS propriam *itineris prosperi* vel *viae paratae* notionem urgentes. Quae quidem notio veteribus haud raro ante oculos fuit, uti *Genes.* XXIV: 27, ubi legimus: *Ἐμὲ εὐώδωκε Κύριος εἰς οἶκον τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Κυρίου μου* i. e. *Mihi Dominus viam paravit ad domum* cet. [3]). Et hunc in locum Verbum *εὐοδωθήσομαι* egregie quadrat, si Graeca sic explicamus: *si fortasse tandem aliquando volente Deo mihi parata sit via ad vos veniendi.* Hac autem interpretatione, quum PAULUM nihil aliud precantem faciat, quam ut amoveatur quidquid *Romam* venire impediat, tollitur quoque quod cum KYPKIO [4]) FRITZSCHIUS aliique ei obiecerunt. Nondum igitur constat, cum plerisque, exclusa propria verbi notione, interpretandum esse: *Si forte tandem aliquando volente Deo hac felicitate utar, ut ad vos veniam.* MEIIERUS quidem et PHILIPPUS Passivum nusquam proprie usurpatum esse aiunt, sed hoc argumentum levius habeo, quum supra probatum sit, Activum ita usurpatum esse. Deinde contradicunt iis verba *Prov.* XVII: 8:

---

[1]) Verba OECUMENII sunt: *Εὐκολίαν φησὶ σχολὴν καὶ ἐπὶ καλῷ τὴν πρὸς ὑμᾶς ὁδόν.* Sed in orationem haud dubie vitium irrepsit. Quid si pro *ἐπὶ καλῷ* scribitur *εὔκολον*?

[2]) Uterque in *Bibl. Crit.* ad h. l.

[3]) Ita etiam affine *εὐοδέω* frequenter apud MARC. ANTON. *De rebus suis*, uti Lib. VI. § 17. VII. § 53, 55. VIII. § 7. Cf. GATAK. p. 180.

[4]) *Observ. Sacr.* Tom. II. ad h. l.

Οὗ δ' ἂν ἐπιστρέψῃ εὐοδωθήσεται, quae vix aut ne vix quidem aliter explicari possunt quam: *quocunque se verterit, paratam habebit viam.* Nec perturbabor, si quis ad 1 *Cor.* XVI: 2. 3 *Joann.* 2 provocaverit: nam quod ab illis locis alienum est, hoc loco oratio contexta et quidem vs. 13 postulare videtur.

Vers. 11, 12.

Ut sciant lectores, quonam incitamento ad hanc assiduam precationem permoveatur, Apostolus animi explicare incipit desiderium: *Ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς.* Antea me id agere memini, ut verbo *ἐπιποθῶ* notionem *valde* vel *ardenter cupiendi* vindicarem [1]), sed meliora me docuit FRITZSCHIUS, cuius sententiae RÜCKERTUS et WETTIUS suffragati sunt. Fortiter quidem KREHLIUS, meam etiam disputationem laudans, se FRITZSCHIO opposuit, sed nihil amplius probavit, quam satis multos esse locos, qui *ardenter cupientis* cogitationem admittant, uti 1 *Thess.* III: 6. 2 *Tim.* I: 4. Orationem alicubi talem esse, ut vis Praepositionis urgenda sit, aut loquendi usum hoc omnino requirere, neque ille probavit, neque argumentum a FRITZSCHIO inde petitum, quod in N. T. nusquam Simplex *ποθῶ*, ubique Compositum *ἐπιποθῶ* exstat, ceteraque ab eo allata [2]) evertere potuit. Quemadmodum igitur PHILIP-

---

[1]) *Comm.* ad *Phil* I: 8.

[2]) Inter locos, in quibus *ἐπιποθεῖν* reddi nequeat *valde cupio*, esse etiam censeo *Psalm.* XLI: 1, ubi verba *ὃν τρόπον* et *οὕτως* iam desiderii

PUS se cohiberi non passus est, quominus FRITZSCHII partes sequeretur, sic ego nunc Graeca fidenter interpretor: *Cupio enim vos videre.* Cf. Cap. XV: 23.

Quonam consilio feratur Apostolus, ostendunt adiecta: *ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικόν.* Vocabulo *χάρισμα miracula* vel *miraculorum vim* denotari, BENGELIUS aliique temere sumserunt, uti ex connexo *πνευματικόν*, ex sequentibus *εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς* et ex Verbo *εὐαγγελίσασθαι* vs. 15 luculenter apparet. At cum WETTIO tamen asseverare nolo, PAULUM nihil aliud ante oculos habuisse quam *παράκλησιν* vs. 12 propositam. Nam ne dicam, *παράκλησιν* illam, ut infra videbimus, a dono hîc memorato distinguendam esse, nec Pronomen *τι* favere sententiae, *solatium* significari, animadverti debet, Apostolum non solum de *dando*, sed etiam de *accipiendo* solatio scripsisse. Credibile mihi est, eum, nihil certi ante oculos habentem, generatim promisisse quidquid Romanis salutare foret. Sed modestiae quoque causa promisit *τι χάρισμα*, ne hominibus, qui CHRISTI communione iam gaudebant, vanus iactator videretur. Cur autem donum, cuius spem faciebat, appellaverit *πνευματικόν*, lis est inter VV. DD. Satis multi cum FRITZSCHIO, WETTIO, MEIIERO interpretantur *a Spiritu Sancto profectum;* sed difficile dictu est, quomodo PAULUS scribere potuerit, se huiusmodi donum in lectores suos collaturum esse. Nec tamen audiendi sunt, qui, hanc interpretationem impugnantes, Apostolum sibi voluisse contendunt *ad animum pertinens* vel simile

---

ardorem significant. Notandum quoque est, HESYCHIUM vocabulum *πόθος* non solum interpretari *ἔρως* et *ζήτησις*, sed etiam *ἐπιπόθησις*.

quid. Quod quamvis OLTRAMARIUS copiose defendere conatur, probabilem tamen non affert causam, cur vir ille, a quo nemo sane donum alius generis exspectare poterat, diserte monuerit lectores, tale esse donum, quod polliceretur. Deinde defensio eius magna ex parte nititur comparatione locorum, in quibus hoc vocabulum oppositum est praecedentibus vel sequentibus, quae *animum humanum* intelligi iubent, uti *Rom.* XV: 27. et 1 *Cor.* XV: 44, 46. Quid? quod vel sic quidem ibi proponitur animus, qualis CHRISTI sectatorum est, qui a *Spiritu Sancto* ducuntur. Omnibus ad calculum vocatis optime hac in lite versari videntur, qui vocabulum πνευματικόν, quod aliter vertendo reddi nequit quam minus Latino *spirituale*, cum MAIERO aliisque explicant *Spiritus Sancti naturam referens*. Eadem explicatio orationi omnino accommodata est *Eph.* I: 3. V: 19. *Col.* III: 16. 1 *Pet.* II: 5. Et revera ei favent, quae non solum BUTTMANNUS [1]), ad quem VV. DD. provocant, sed etiam LOBECKIUS [2]) et KRÜGERUS [3]) monent de Adiectivis in ικος desinentibus. Verbum autem μεταδιδόναι *impertiendi* notionem habere, omnes norunt. Quae quum ita sint, auctor sibi voluit: *ut vobis donum aliquod impertiam Spiritus Sancti naturam referens.* Iam addidit: *quo firmiores exsistatis fide.* Eum enim, TERTIO dictantem: εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, aeque ac Cap. XVI: 25, reticuisse τῇ πίστει, aliunde apparet. Cff. *Act.* XVI: 5. 2 *Thess.* III: 2, 3. 2 *Pet.* I: 12 aliique loci.

---

[1]) *Ausf. Griech. Sprachlehre.* Tom. II. Pars 2. p. 339.
[2]) Ad *Phrynichi Eclog.* p. 228, 242, 243.
[3]) *Griech. Sprachlehre für Schulen.* Tom I. Pars 1. p. 194.

Minus vero, ut bene monet OLSHAUSENIUS, *doctoris*, quam *fratris* titulum sibi ambiens, PAULUS praecedentia sic corrigit et emollit: *Τοῦτο δέ ἐστι συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν.* KOPPIO aliisque interpretibus concedere nequeo, intelligi debere *ὑμᾶς καὶ ἐμαυτόν*: hoc enim vetant verba *ἐν ὑμῖν.* Sed dubitari quoque potest, an auctor dicere non maluisset *ὑμῖν* quam *ἐν ὑμῖν*, si unum *ἐμαυτόν* vel potius *ἐμέ* intelligendum esset, quod hodie maxime placet interpretibus, etiam KREHLIO, PHILIPPO, MAIERO, et iam THEODORETO placuit, THEOPHYLACTO, ERASMO, LUTHERO, aliis. Deinde Grammaticae leges hoc Pronomen ferre non videntur, si correctio *τοῦτο δέ ἐστι συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν* spectat proxime praecedentia *εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς.* Atqui hanc correctionem eo referendam esse, neutiquam cum nonnullis, praeeunte GROTIO, ad Verbum remotius *ἐπιποθῶ*, vel ad proprius *μεταδῶ*, non solum ex utriusque formulae intelligimus similitudine, sed etiam inde, quod proxima quidem illa indigent oratione, qua emolliantur, cetera vero non item. Ergo haud scio, an nihil aliud salvo loquendi usu supersit, quam FRITZSCHIUM sequi Pronomen *ὑμᾶς*, quod praecedit, repetentem. Multo minus ab eo dissentiendum est de notione Verbi *συμπαρακληθῆναι*, quippe quod his diebus VV. DD. tam circumiectorum causa, quam propter locos similes 1 *Thess.* III: 2. 2 *Thess.* II: 17, communiter interpretantur *confirmare*, *corroborare*, *erigere.* Hactenus tantum dissentio, ut in Verbo Composito *συμπαρακληθῆναι*, uti Cap. II: 15. VI: 6. VIII: 17, Dativum, et quidem *ἐμοί*, latere putem, et sequentia *ἐν ὑμῖν* explicem *vestris in animis*, quemadmodum Cap. VIII: 9—11 sine dubio explicanda sunt. Formula

autem *τοῦτο δέ ἐστι*, *hoc vero est*, quum, aeque ac *τοῦτ᾽ ἔστι* Cap. VII: 18 et alibi, scriptoris se corrigentis, nullo modo, uti 1 *Pet.* I: 25, vocabulum interpretantis sit, nihil aliud sibi vult quam *immo vero*. Itaque hunc habeamus orationis sensum: *immo vero, ut vos mecum erigamini vestris in animis.*

Connexa *διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ* nonnihil difficultatis habent, quod veteres neglexerunt. Iudice BEZA PAULUS pro *εἰς ἀλλήλους* scribere maluit *ἐν ἀλλήλοις* quam *ἀλλήλων*. Secundum FRITZSCHIUM scribendum fuisset, aut: *διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως, ὑμῖν τε καὶ ἐμοί*, aut: *διὰ τῆς ἀλλήλων πίστεως, ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ*, quod KREHLIUS omnino probat. Sed vulgo VV. DD. de eo inter se consentiunt, structurae confusionem orationi inesse. Et hoc quidem propterea sumunt, quod verba *ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ* inservire putant ad difficiliora *ἐν ἀλλήλοις* explicanda. Ergo coniuncta *διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως*, CALVINO etiam aliisque viris magnae doctrinae praeeuntibus, interpretantur *per mutuam fidem*. Sed quomodo tandem *fides* dici potest *mutua*, nisi *fides* intelligatur, *qua se mutuo prosequuntur homines?* Veterum enim auctoritate abutuntur, qui eorum libros cum GROTIO et THOLUCKIO excitant ad stabiliendam opinionem, vocabula *ἐν ἀλλήλοις* exponi posse *in utrisque* [1]). Et ubi illa in N. T. exstant, nempe *Marc.* IX: 50. *Joann.* XIII: 35. *Rom.* XV: 5, adiuncta sunt verbis, quae *caritatis mutuae* denotant *officia*. Praeterea secundum loquendi usum, ut apparet ex *Act.* V: 14. 1 *Cor.* I: 2. *Jac.* III: 7, Genitivus *ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ* pendet a

[1]) Cff. SCHAEFER in *Thesaur.* STEPHANI et KÜHNER. l. c. p. 325.

praecedente Nomine πίστεως, quocum igitur, deleto commate, quod interpositum est, connecti debet, ducibus interpretibus *Syro* et *Vulgato.* Quod ut vidit REICHIUS, ita recte orationi deesse monuit Participium ἐνεργουμένης vel simile. Ergo hîc incidimus in Breviloquentiam magna exemplorum copia probatam [1]), ita ut mens auctoris huc redeat: *per vestram pariter et meam, quae in eo, quod erga nos invicem praestamus, cernitur, fidem.* Ratione autem ita conclusa, opus quoque non est Vocabulo πίστεως cum KÖLLNERO, RÜCKERTO multisque aliis notionem quaerere ab usitata et vulgari discedentem.

Vers. 13.

Quam propensus in Romanos CHRISTI sectatores sit, Apostolus novo ostendit argumento, eoque ad orationis progressum accommodato: *Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, Ἀδελφοὶ, ὅτι πολλάκις προεθέμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς,* i. e. *Nolo vero vos nescire, Fratres, saepe mihi propositum fuisse, ut ad vos venirem.* Hoc de PAULI proposito supra [2]) iam satis disputavi. Appellatione *Ἀδελφοί,* quemadmodum similibus in locis 1 *Cor.* XII: 1. 2 *Cor.* I: 8. 1 *Thess.* IV: 13, ubi eadem exstat dicendi formula, usus est ad suam caritatem lectoribus significandam. Particulam autem δέ orationi non solum, ut RÜCKERTUS, MEIIERUS aliique monuerunt, eius

---

[1]) Cf. WINERUS l. c. p. 655 sqq.

[2]) *Introit.* p. 13.

persequendae causa inseruit, sed etiam ut a desiderio suo Romanos videndi consilium suum *Romam* veniendi distingueret. Ergo, nisi fallor, sibi voluit: *sed plus vobis dicam: scitote saepe mihi* cet.

Iam ne causam, cur consilium suum non peregerit, infra exponere cogeretur, hîc eam obiter attigit verbis: *καὶ ἐκωλύθην ἄχρι τοῦ δεῦρο*, quae, me iudice, a plerisque editoribus recte in Parenthesi posita sunt, quoniam continent interiectionem vitae communis, quam adspectabilem faciunt unci recentiore tempore inventi. Qui ad Parenthesin tollendam haec verba etiam a coniunctione ὅτι pendere contendunt, uti KÖLLNERUS et KREHLIUS, seriem orationis perturbant, quoniam ea cum sequenti ἵνα non cohaerent. Quod recentiori memoria nonnulli cum BEZA aliisque antiquioribus sumserunt, Particulae *καί* vim Latinarum *sed, quamvis, attamen* tribui posse, refellere nihil attinet. Recte sine dubio FRITZSCHIUS, MEIERUS, WETTIUS eam nihil aliud quam Latinam *et* significare monuerunt. Et hanc significationem retinet, ubi auctores ei sua in mente vim addiderunt adversantem, quam oratores gestu corporis, vultu, oris flexione indicabant [1]), uti hoc loco PAULUS dicere voluit: *Et* [*tamen*] *impeditus sum adhuc.* Apostolo autem praesertim impedimento erant muneris sui negotia, quae Cap. XV: 18 sqq. memorantur.

---

[1]) Locis a WINERO p. 514 allatis addantur *Matth.* VI: 26. *Joann.* III: 11. 1 *Cor.* V: 2, ubi temere vocabulum ὅμως omissum dicitur apud NOS. *Ellips. Graec.* SCHAEF. p. 774. Graeca καὶ ὑμεῖς interpretanda sunt: *Et vos* [*tamen*]. Recte STUARTUS, *Gramm. of the New Testam. dialect.* Ed. II. p. 285 ipsius Particulae significationem distinxit a potestate, quam ei praebet oratio contexta.

Et hoc quidem mihi proposui, inquit, ἵνα τινὰ καρπὸν σχῶ καὶ ἐν ὑμῖν, καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν. Sic enim cum GRIESBACHIO, MATTHAEIO, LACHMANNO, SCHOLZIO, GOESCHENIO, TISCHENDORFIO, quibus omnes interpretes recentiores assentiuntur, Editio corrigenda est Recepta, quae, facta Nominis et Pronominis traiectione, habet καρπόν τινα. Fortasse praecedens ἵνα librariis hanc fraudem fecit, ut Pronomen demum animadverterent, postquam Nomen iam scripsissent, vel etiam, quod nonnullis in libris cernitur, prorsus omitterent. Levioris ponderis argumento KREHLIUS utitur ad Praesens ἔχω substituendum pro Aoristo σχῶ, quod FRITZSCHIUS satis defendit et commendant quoque Grammaticae Leges. Vocabulum καρπός si quis dubitat, an aeque ac nonnunquam Latinum *fructus*, inserviat ad *terrae fruges* denotandas, in memoriam revocet notissimum illud HOMERI [1]) ἀρούρης καρπὸν ἔδειν, vel quod SOCRATES apud PLATONEM [2]) de terra sua natali dicit, èam primam protulisse τὸν τῶν πυρῶν καὶ κριθῶν καρπόν. Idem praesto est apud Scriptores N. T, uti *Matth.* XIII: 8, 26. *Joann.* IV: 36. 2 *Tim.* II: 6. PAULUS igitur imaginem petere potuit ab agricola, cuius labore fit, ut segetes in arvis laete adolescant. Imaginem inde petitam esse, post alios docuit MAIERUS. Hinc sequitur quoque, eandem, quae in PAULI scriptis ubique obvia est, notionem *fructus* arcte tenendam esse. Cf. Cap. VI: 21, 22. Verbo autem σχῶ sua notio *habendi* a

---

[1]) *Iliad.* Z. vers. 142.

[2]) *Menexen.* p. 228. STEPH.

nemine ademta esset, si omnibus penetrare contigisset in sensum locorum, ubi primo tantum adspectu Simplex ἔχειν pro Composito παρέχειν, aut pro κτᾶσθαι legitur. Sed actum agere nolo refellendis commentis, quorum levitatem interpretes, imprimis FRITZSCHIUS et MEIIERUS, in luce iam collocarunt. Itaque Graeca ἵνα τινὰ καρπὸν σχῶ Latine reddenda sunt: *ut aliquem fructum haberem*, unde tamen non sequitur, PAULUM *sibi* fructum quaesivisse, sed *suum* duxit, quod suo ex labore in Romanos redundaturum erat. Sublata autem imagine dixit: *ut non inutilis sim* vel potius *essem*. Quae GROTII interpretatio et modestiae significationem ex Graeco sermone in Latinum transfert, et summatim a plerisque probatur. In subiectis καὶ ἐν ὑμῖν, καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν interpretes nihil magis exercuit quam duplicata Particula καί. GLÖCKLERUS, incommodum, quod hinc oritur, amovere cupiens, verba sic dividenda censuit, ut altera pars καὶ ἐν ὑμῖν ad vs. 13 referatur, altera καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν ad vs. 14. Iam antea THOLUCKIUS hanc opinionem refutaverat, GLÖCKLERO se opposuit MEIIERUS. Hic vero duplicationem, ex animi ardore, quo se auctor ferri passus esset, profectam et a Graecorum more non alienam esse contendens, FRITZSCHIUM quidem multosque VV. DD. et WINERUM [1]) adeo secum habuit consentientes, sed rem, si quid video, acu non tetigit. Equidem certe non dubito, quin illi hîc ingratam redundantiam tueri conati sint excitandis locis, qui gratam sermonis vulgaris ubertatem imitantur. Huius generis enim omnes

---

[1]) L. c. p. 519. Idem egit ALTIUS l. c. p. 259, ubi exempla etiam ex scriptoribus Latinis congessit.

sunt, quos HARTUNGIUS [1]) aliique [2]) ex optimae notae scriptoribus collegerunt. Neque aliter se habent exempla ex N. T. petita, imprimis *Matth.* XVIII: 33. *Col.* III: 13, ubi duplicatio Particulae in offensionem incurrere nequit [3]). Nusquam Particula illa cum oratione ita composita est, ut verba, quae ibi eminere debent, Protasin appendicis instar subsequantur. Ista vero inepta se hoc loco prodit structura, si verba *καὶ ἐν ὑμῖν* ad Protasin referuntur et Latine redduntur *etiam in vobis.* Quidni PAULUS, si hoc volebat, TERTIO suo dictavit: *ἵνα καὶ ἐν ὑμῖν τινα καρπὸν σχῶ καθὼς* cet. quemadmodum alibi, uti Cap. XIV: 9. 1 *Cor.* IV: 8. *Col.* IV: 16, duo illa *ἵνα καί* coniuncta sunt? Sed omne, quod negotium facessit, tollitur distinctione ita mutanda, ut Comma, verbis *καὶ ἐν ὑμῖν καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν* ab antiquo interiectum, hinc auferatur iisque praeponatur. Quo facto Particula *καί* non reddenda est *etiam*, sed nihil aliud significat quam Latina *et*, quod explicari debet *et quidem*, uti *Joann.* I: 16. 1 *Cor.* III: 5. XV: 38 [4]) et alibi. Iam si Apostolus dicit: *et [quidem] in vobis sicuti etiam in ceteris gentibus*, hoc excipit praecedentia: *ut non inutilis essem*, quo clarius videant Romani, se ceteris gentibus non superiores esse. Deinde cum hac distinguendi et

---

[1]) *Lehre von den Partikeln der Griech. Sprache.* Tom. I. p. 126, 127.

[2]) Cff. MATTH. p. 1482. ROST. p. 696.

[3]) WINERUS l. c. etiam provocat ad 2 *Cor.* I: 6 et *Rom.* XI: 30, 31; sed illo in loco propter librorum veterum dissensionem omnia incerta sunt, in hoc vero Particula *καί* ex Protasi orationis expellenda est. Magis in censum venit 1 *Thess.* II: 14.

[4]) Haec exempla attulit WINERUS p. 515. Cf. KÜHNER. Tom. II. p. 421 sqq. ROST. p. 697.

interpretandi ratione multo magis quam cum vulgari consentaneum est Asyndeton, quod vs. 14 sequitur. Ceterum disputatis verbo addantur tria: argumenti, quod hîc tractatur, causa praestare, ut vocabulum *ἔθνεσιν*, aeque ac vs. 5, cum FRITZSCHIO et MEIIERO, interpretemur *gentibus* (*volken*), quam cum WETTIO et PHILIPPO *Ethnicis* (*heidenen*); nihil obstare, quominus Graeca *ἐν ὑμῖν* et *ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν* Latine explicentur *vestris animis* et *animis ceterarum gentium*; denique huic postremo commodius cogitando addi *non inutilis sum*, quam, quod post alios MAIERUS voluit, *esse conor*.

Vers. 14, 15.

Quam gravi argumento nitatur quod sibi saepe proposuerit, nunc auctor ex muneris sui ratione lectoribus sic explicat: *Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί* i. e. *Graecis pariter ac barbaris, doctis pariter atque indoctis debitor sum.* Quonam sensu iis debitor sit, non enunciat animos suspensos tenens, sed eum reticuisse Verbum *εὐαγγελίζεσθαι*, satis perspicue ostendit Particula *καί*, quae vs. 15 Pronomini *ὑμῖν* praemissa est. Quod ipsum iam prorsus evertit KOPPII opinionem, ceterum satis superque a FRITZSCHIO et RÜCKERTO refutatam, Apostolum sibi voluisse: *Multis diversissimisque hominum generibus quam plurimum gaudii et solaminis debeo.* Vocabulo *βάρβαρος* veteres *omnes gentes a Graecis* distinxisse, evidenter probarunt VV. DD., laudati a REICHIO et MEIIERO, qui satis etiam illustrarunt distribu-

tionem, quam PAULUS a sui temporis more mutuatus est. Altera eius pars *Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις*, *populorum origines*, altera *σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις hominum* spectat *ingenia*. Sibi invicem tamen illae non respondent, quoniam, ut bene monet OLSHAUSENIUS, inter Graecos tam indocti quam docti, inter barbaros tam docti quam indocti fuerunt. Egregie hunc in locum convenit dictum FRONTONIS [1]): *Παραβαλῶ δ' ἐμαυτὸν Ἀναχάρσιδι, οὐ μὰ Δία κατὰ τὴν σοφίαν, ἀλλὰ κατὰ τὸ βάρβαρος ὁμοίως εἶναι. Ἦν γὰρ ὁ μὲν Σκύθης τῶν νομάδων Σκυθῶν, ἐγὼ δὲ Λίβυς τῶν Λιβύων τῶν νομάδων.* Hinc sequitur, quaestionem, utrum PAULUS inter barbaros, quod post alios KÖLLNERUS et REICHIUS volunt, an inter Graecos, quod *Ambrosiastro* pluribusque placuit, numeraverit Romanos, revera supervacaneam esse. Hodie cum plerisque interpretibus OLTRAMARIUS, KREHLIUS, WETTIUS, PHILIPPUS, MAIERUS de eo consentiunt, Apostolum vulgari distributione usum esse ad *omnes promiscue homines* denotandos. Sed illa profecto, utpote vanam loquacitatem fastidiens, non usus esset, nisi Romanis persuadere studuisset, se his nobilissimae urbis incolis aeque atque aliis debitorem esse. Debitorem autem se dicit ex Dei imperio, quo obligatus ita erat PAULUS, ut sine gravi crimine detrectare id non posset. Sunt verba GROTII, a RÜCKERTO etiam laudata.

Atqui sic Apostolus Romanos praeparavit ad legendum: *Οὕτω τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελίσασθαι.* Corrigendi studium sapit quidquid in libris veterum ab Editione decedit Recepta.

---

[1]) *Reliquiae* ed. a NIEBUHRIO p. 61.

Verborum autem distinctio ab eorum pendet interpretatione, de qua VV. DD. inter se discrepant. Et litem iam parit Adverbium *οὕτω*, quod plerique cum CALVINO, ESTIO, CRELLIO interpretantur *itaque*, nonnulli cum REICHIO meram comparandi Particulam esse volunt, Latine reddendam *ita*. Hoc vero in PAULI orationem non quadrat, illud minus congruit cum loquendi usu, nisi sumere licet, eandem notionem uni vocabulo *οὕτω* ac duobus *καὶ οὕτω* tribui posse. Sed multo gravior controversia est, quam inferunt sequentia: *τὸ κατ᾽ ἐμὲ πρόθυμον*. Formulam *τὸ κατ᾽ ἐμέ* seorsum poni et explicari posse: *quod ad me attinet*, satis testatum est [1]). Ergo a circumiectis eam seiungentes multi, etiam MEIIERUS et WETTIUS, cum LUTHERO et CALVINO vocabulum *πρόθυμον* pro *προθυμία* [2]) *ἐστί*, vel etiam *πρόθυμός εἰμι* sumunt et verba interpretantur: *quod ad me attinet, promtitudo est* (quod minus Latine), vel *promtus sum*. Alii vero cum BEZA et GROTIO alteri *τὸ κατ᾽ ἐμέ* orationis Subiectum, alteri *πρόθυμον* eius Praedicatum inesse putantes, PAULUM dicentem faciunt: *quantum in me est promtum est*, quod valde commendat RÜCKERTUS. Plerique tamen, quorum dux maxime KYPKIUS est, verba *τὸ κατ᾽ ἐμὲ πρόθυμον* connectunt, ut inde oriatur sensus: *pro-*

---

[1]) Post BENGELIUM FRITZSCHIUS etiam excitavit DARII dictum *Esr.* VI: 11: *Ὁ οἶκος αὐτοῦ τὸ κατ᾽ ἐμὲ ποιηθήσεται*, sed, ut exemplum inde capi possit, Verbum *ποιηθήσεται* mutandum est in *πορθήσεται*.

[2]) Difficultatem huius interpretationis valde aggravant, qui vocabulum *πρόθυμον* pro *ἡ προθυμία* positum esse volunt cum HAABIO, *Hebr.-Griech. Grammatik* p. 131, ubi similia dicuntur Adiectiva, quorum Neutrum Articulus praecedit, uti *τὸ χρηστόν Rom.* II: 4.

pensio ad me attinens, vel *mea animi propensio est*. Ita FRITZSCHIUS, quocum summatim etiam consentiunt OLTRAMARIUS, STUARTUS [1]), KREHLIUS, PHILIPPUS, MAIERUS. Equidem nullam interpretandi rationem tam exploratam et probatam habeo, ut nihil dubii relinquatur. At vero si optio facienda est, hanc illis longe praeferendam duco, quoniam ei magis favet loquendi usus. Opportune MAIERUS ex JOSEPHO excitavit *τὸ περὶ αὐτοὺς πρόθυμον τοῦ Θεοῦ* [2]). Nec minus simile est EURIPIDIS illud *Μήτοι τὸ γ' ἐμὸν πρόθυμον φίλοισιν ἀπέστω* [3]). Eiusdem quoque generis est CRISPINI dictum apud HERODIANUM: *τὸ ἐς τὰς μάχας πρόθυμον* [4]). Conferri etiam merentur formulae *τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλόν* et *τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον*, *Luc.* XVI: 15 et *Col.* II: 14. Praetereo quae a KYPKIO, FRITZSCHIO aliisque, cum ad hanc interpretationem tuendam, tum ad dissentientes refellendos in medium allata sunt. Animadvertendum tamen est, non plane eadem esse *τὸ πρόθυμόν μου* et *τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον;* sed PAULUM scribi maluisse *κατ' ἐμέ* quam *μου*, quo clarius illud, quod inter suam propensionem et Dei voluntatem intererat, lectorum incurreret in oculos. Similiter Praepositio *κατά* *Rom.* IX: 11. XI: 21. 2 *Cor.* VII: 10. *Ephes.* I: 15 et al. inservit ad id, quod sequenti vocabulo inest, significantius indicandum [5]). Fateor, dif-

---

[1]) *A Commentary* cet. ad h. l.

[2]) *Antiq. Iud.* Lib. IV. Cap. 8. § 13.

[3]) *Med.* vs. 178.

[4]) *Histor.* Lib. VIII. Cap. 3. § 15, ubi consulatur IRMISCH.

[5]) Vide WINER. p. 221 et cf. BERNHARD. *Wissenschaftl. Syntax der Griech. Sprache.* p. 241. MATTH. p. 1358. VIGER. p. 636 ibique HERMANN. p. 861.

ficultatem, quam Adverbium οὕτω, si veram suam notionem (*sic* vel *ita*) retinet, orationis tenori parit, hac quoque via ineunda tolli non posse. Sed hoc minus doleo, quia mens auctoris satis intelligitur, si verba interpretamur: *Sic mea est propensio ad Euangelium vobis etiam, qui Romae estis, praedicandum.* Illis autem: τοῖς ἐν Ῥώμῃ, *qui Romae estis*, quanta insit efficacitas accommodata praecedentibus: καὶ ἐν ὑμῖν καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν, commonstrare non opus est.

Vers. 16.

Cur paratus sit ad Euangelium praedicandum *Romae*, PAULUS lectoribus enarrat dicto gravissimo: Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον. Verba τοῦ Χριστοῦ ei in Editione Recepta adiecta MATTHAEUS quidem cum WHITBYO [1]) aliisque tueri conatur, sed si argumentis, tam internis, quam externis, pretium suum statuitur, illa librariis et interpretibus, quibus a vocabulo εὐαγγέλιον abesse non posse videbantur, tribuenda et hinc expellenda sunt. Sic iudicarunt etiam Editores recentioris memoriae, quantum novi, omnes. Genuina nemo dubitabit quin vertendo reddenda sint: *Nam non pudet me Euangelii.* His KOPPIUS, PLATTUS, KÖLLNERUS, OLSHAUSENIUS, KREHLIUS, multorum vestigiis insistentes, Litoten inesse putarunt, sed sibi non constiterunt ipsi, quum verba ita explicarent, ut aientibus admiscerent negantia. Cur vero PAULUS haec in ore habuit, si dicere volebat: *Nam magno mihi honori duco* vel simile

---

[1]) *Observat. Philol.-crit.* p. 221, 222.

quid? SIMMIAS, ut hoc utar, apud PLATONEM [1]) ait: *Καὶ δὴ καὶ νῦν ἔγωγε οὐκ ἐπαισχυνθήσομαι ἔρεσθαι;* illa vero non aliter explicanda esse quam: *Atque ego sane nunc non verebor interrogare*, docent sequentia: *οὐδὲ ἐμαυτὸν αἰτιάσομαι*, quibus excipiuntur. Similiter negans forma in aientem converti nequit *2 Tim.* I: 8, 12, 16. Quod ut hîc fiat, frustra KOPPIUS aliique provocant ad locos nihil indicantes, uti 2 *Cor.* IV: 2. *Gal.* VI: 14. *Phil.* III: 8. Infitias ire nolo, sub forma negante aientem latere; sed ubi quaestio est, quid verba denotent, huius involucri rationem habere non licet. Itaque recte iudicasse reor, quotquot cum REICHIO auctorem nihil aliud dicentem facerent quam: *non pudet me Euangelii.* Valde enim probabile est, PAULUM a se propulsare voluisse, quidquid suspectum in eo videretur, quod *Romam* venire differret, ubi artes et disciplinae cum omni humanitate sedem suam collocassent [2]).

Iam statim, quid omnem avertat pudorem, lectoribus ostendit. De *Euangelio* primum dicitur: *δύναμις γὰρ Θεοῦ ἐστι.* Nonnulli hoc illustrare voluerunt regula GLASSII [3]), nomen Dei saepe usurpari ad indicandum quod suo in genere summum est. Sed non memini me in N. T. Superlativum reperire sic propositum: nam dissimiles sunt loci *Act.* VII: 20. 2 *Cor.* X: 4, ubi Genitivus non exstat, sed Dativus. Similibus autem in locis formula *δύναμις Θεοῦ* aliam sibi

---

[1]) *Phaedon.* p. 85.

[2]) Vide *Introit.* p. 13, 14.

[3]) L. c. Tom. I. p. 44 sqq. Sed ipsa regula sublestioris fidei esse videtur. Cff. quae disputavi ad *Phil.* IV: 7.

postulat interpretationem. Huius numeri vero non sunt illi, in quibus utrique vocabulo Articulus praepositus est, uti *Matth.* XXII: 29. *Marc.* XII: 24. *Luc.* XXII: 69, etiam *Act.* VIII: 10, sed tantum 1 *Cor.* I: 18, 24. II: 5 ceterique, quotquot Articulo carent. Ibi *Θεοῦ* dicitur *δύναμις*, ut ab *humana* qualicunque vi discernatur *Divina*. Genitivus vario modo explicandus est pro circumiectae orationis argumento verborumque structura. Sed accurata distinctio utriusque *Θεοῦ* et *τοῦ Θεοῦ* proderit ad dirimendam quaestionem, utrum se hîc Genitivus *auctoris* offerat, an *possessoris*. Altero *vis* proponitur *a Deo proficiscens*, altero *vis Dei propria*. Et recentiori memoria illud KÖLLNERO, FRITZSCHIO, OLTRAMARIO, KREHLIO, MAIERO, hoc WETTIO, RÜCKERTO, BAUMGARTEN-CRUSIO, PHILIPPO placuisse reperi. Equidem non dubito, quin Genitivus *Θεοῦ*, quoniam vocabulo *δύναμις* sine Articulo subiectus est, Genitivus *possessoris* sit, Dei, quae dicitur, *essentiam*, non *existentiam* spectans [1]). Sed ne cui in formis *Θεοῦ* et *τοῦ Θεοῦ* distinguendis argutior esse videar, verba describere lubet Viri Gravissimi. „Non additur," inquit ERASMUS, „Articulus *τοῦ Θεοῦ*, quod *Deus* hîc ponitur non tanquam certa Persona, sed pro ipsa Natura Divina, ut distinguatur adversus *homines*." Hinc quoque apparet, falli BAUMGARTEN-CRUSIUM, qui cum SUICERO [2]), BEZA aliisque vocabulum *δύναμις* interpretatur *organon, quo Deus utitur*. Neque, ad huius vocabuli interpretationi succurrendum, cum REICHIO

---

[1]) Cff. supra disput. ad vs. 1, 2, 4.

[2]) *Thesaur. Eccles.* Tom. I. p. 969. Laudant etiam THEODORETUM, sed hic minus aperte interpretationi illi favet.

et KREHLIO contendendum est, per Metonymiam *Euangelii argumentum* indicari, quo ei alia notio affingi debet, quam in huius sententiae habet principio. Negare nolo ad mentem auctoris explicandam circumlocutionem requiri. Sed res omnis, ut arbitror, in vado erit, si hac circumlocutione utimur: *Per illud* (Euangelium) *enim Divina se praestat efficacitas*, nempe εἰς σωτηρίαν, quod sequitur, i. e. *ad salutem*. Similiter 2 *Cor*. XIII: 4 verba ζησόμεθα σὺν αὐτῷ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ εἰς ὑμᾶς explicanda sunt: *vivemus cum eo per Divinam, quae se erga nos praestat, efficacitatem*. Imprimis comparari meretur quod narrat LUCAS, Cap. V: 17: Καὶ δύναμις Κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς, et quod sine dubio hunc habet sensum: *Et Divina se praestabat efficacitas ad eos sanandos*, scil. homines, qui advenerant, ut IESUM docentem audirent, suosque aegrotos ad eum portaverant [1]). Vocabulum quod attinet σωτηρίαν, illud proprie *liberationem mali* significare, RÜCKERTO quidem largior; sed quum liberatio, sectatoribus CHRISTI promissa, ad *veram* eorum *et perennem salutem* ducat, hinc factum est, ut scriptores N. T. ubi nihil afferrent, quo vocabuli illius notio restringeretur, hanc salutem denotarent. Satis superque hoc praeter alios probavit PHILIPPUS, quamquam sufficiens non esse videtur causa solam cum eo *beatitatem vitae futurae* intelligendi. Hactenus autem inter σωτηρίαν et τὴν σω–

---

[1]) Recte cum EUTHYMIO *Zigab. Comm. in IV Euang. Gr. et Lat. Ed.* MATTHAEO Tom. II. p. 329, CALVINUS aliique *Deum* hoc loco Κύριον appellari existimarunt. Nusquam enim in LUCAE *Euangelio* IESUS aliter appellatur quam cum Articulo ὁ Κύριος. Simile est, quod Cap. I: 66 legimus: Καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ᾽ αὐτοῦ.

τηρίαν interest, ut haec *ipsam* proponat *salutem, cuius omnes participes sunt*, illa vero *partem salutis, qua quisque fruitur,* quod iam elucebit ex comparatione Cap. XI: 11 et XIII: 11 cum Cap. X: 1, 10, ubi formula εἰς σωτηρίαν significat: *ut quisque salutis particeps fiat.*

Spem factam PAULUS terminis suis circumscribit praecedentibus addendo παντὶ τῷ πιστεύοντι, *omni fidem habenti*, scil. *Euangelio* vel *Deo*, quod quisque sua sponte intelligit, uti Cap. X: 4. At haec tamen circumscriptio viam salutis pandit latissime patentem. Nec sine causa, ut MEIIERUS recte monet, Adiectivum παντί Participio πιστεύοντι praepositum est. Apostolus hoc loco minus docere voluit, *fidem habendam esse, ut quis salutem consequatur,* quam *hanc salutem paratam esse omnibus, quotquot fidem habeant.* Et veram illam animi postulat fidem vs. 5 iam explicatam, cuius in commendatione sibi ille ubique constat. Nunc vero ad illustrandum Adiectivum παντί subnectit: Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι, *Iudaeo primum et Graeco.* Nam ab uno alteroque librario vocabulum πρῶτον propterea omissum est, quod ei offensioni erat. Nec hoc tamen valde mirabimur, siquidem VV. DD. recentiori etiam memoria, de vocabulo illo contenderunt. ERASMO duce, FRITZSCHIUS, WETTIUS, PHILIPPUS interpretati sunt *potissimum*. Sed KREHLIUS nec loquendi usum, neque orationem contextam hanc interpretationem ferre probavit [1]). *Temporis ordo* sine dubio significatur ideo-

[1]) MAIERUS quoque docuit, vocabulum *potissimum* hanc in orationem non quadrare; sed ubi contendit, Adverbium πρῶτον *enumerationi* inservire, ut enunciato *primum* respondeat *secundo* vel *deinde*, quod Particulae καί insit, aut ipse affert quod hinc alienum est, aut ad sententiam a se improbatam, *tempora* indicari, reapse revertitur.

que nihil aliud scribendum est quam *primum*, quod menti etiam auctoris Cap. II: 9, 10 consentaneum esse temere negatur. Et sic omnes, quantum mihi cognitum est, Graeci, quos praeter alios secutus est MEIIERUS. Argumento autem caret, quod cum PHILIPPO aiunt, orationem frigere, si PAULUM faciamus dicentem, Divina Euangelii efficacitate ad salutem Iudaeos prius quam Graecos gavisos esse. Apostolus enim non solum id egit, ut lectorum in memoriam revocaret, quod satis superque ex rebus sui temporis scirent ipsi, sed ut suam etiam agendi rationem iis proponeret. Ad Romanos igitur pertulit, se gentes exteras pariter atque Iudaeos adire, ut salutis aeternae per fidem participes fierent, sed ab invitandis Iudaeis incipere [1]). Verum ad res magis quam ad verba intentus mentem suam et breviter enunciavit, et ita quoque, ut in unum coalescerent haec duo: *Ἰουδαίῳ τε καὶ Ἕλληνι, ἀλλὰ Ἰουδαίῳ πρῶτον.* Ceterum omnium regionum gentes *Graecos* appellavit, utpote celebratissimos sibique et popularibus suis, ut notavit GROTIUS, maxime cognitos.

Vers. 17.

Ad confirmandum quod vs. 16 professus est, PAULUS ei subiungit: *Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ* cet. Qui hoc autem tantum referunt ad doctrinam efficacitatis Divinae se per Euangelium praestantis ad salutem afferendam, dissolvunt, quae vs. 16 arcte cohaerent, et ad servandam orationis seriem notionem vocabuli *δικαιοσύνη*

---

[1]) Cff. *Act.* XIII: 46. XXVIII: 28 in *Introit.* p. 20 iam notati.

amplificare debent. Immo auctor, ut cum FRITZSCHIO et MEIERO plerique bene viderunt, probatum it, hanc salutarem efficacitatem se praestare pariter *erga Iudaeos et Graecos, quotquot Euangelio fidem habeant.* Quod agens fundamentum ponit, quo tota prioris Epistolae partis nititur disputatio. Quare miranda non est communis interpretum sedulitas ad hunc locum explicandum. Sed nihil magis arduum esse prodere videntur lites et controversiae, quae ad haec nostra tempora de eo agitantur.

Acerrimam discrepantiam peperit quaestio, quid sibi velit formula *δικαιοσύνη Θεοῦ, proprietatem* vel *actionem* vel *studium ipsius Dei,* an *Divinum illud quod hominis est.* Huic illud iam praetulerunt nonnulli veteres, duce ORIGENE, qui formulam interpretatur *iustitia Dei.* Secuti sunt interpretes recentioris memoriae, haud ita pridem BOSVELDIUS, VOORSTIUS [1]), STENGELIUS, USTERIUS [2]), KREHLIUS. Et sane si attendimus ad praecedens *δύναμις Θεοῦ* et sequens *ὀργὴ Θεοῦ,* haec duo, primo certe adspectu, postulare videntur, ut medium *δικαιοσύνη Θεοῦ* ad *ipsum* etiam *Deum* referamus. Quod magis probabile facit multorum, quibus altera interpretatio placet, etiam KÖLLNERI, RÜCKERTI, FRITZSCHII, MEIERI, WETTII sententia, verbis *Θεοῦ δικαιοσύνην* Cap. III: 5 significari tantum *quod ipsius Dei est.* GROTIUS adeo et REICHIUS, quamvis summatim cum his consentiunt, formulis similibus *τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ* et *ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν* ibid. vs. 25 et 26 et 2

---

[1]) *Annot. in loca selecta N. T.* Spec. II.

[2]) *Entwickelung des Paul. Lehrbegriffs.* Ed. V. p. 91.

Pet. I: 1 eandem significationem tribuunt. Attamen satis multa esse novimus vocabula cum Genitivo *Θεοῦ* coniuncta, quorum notiones differant pro orationis diversitate [1]). Deinde quod aiunt VV. DD. laudati, haud scio, an temere sumtum sit. PETRI enim verba non inepte explicabuntur: *in communione integritatis* (*probitatis*) *illius, quae Dei nostri est.* Nec locum *Rom.* III: 25, 26, si ad *Divinum illud, quod hominis est,* referatur, alienum in sensum torqueri videbimus infra, ubi me etiam difficultatem, quae ex vs. 5 eiusdem Capitis oritur, sublaturum spero. Tum in Grammaticae non peccat leges, qui tria illa *δύναμις Θεοῦ, δικαιοσύνη Θεοῦ* et *ὀργὴ Θεοῦ* aequaliter interpretatur *efficacitas Divina, integritas* (*probitas*) *Divina* et *ira Divina*, sed singula exponit, prout argumenti indoles postulat [2]). Praeterea formula *ἡ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη*, ut ex *Rom.* X: 3 apparet, denotare quidem potest *illam hominis integritatem* vel *probitatem, quae talis a Deo habetur* vel *a Deo proficiscitur;* sed ubi sine Articulo legimus *δικαιοσύνη Θεοῦ* vel *Θεοῦ δικαιοσύνη*, vehementer dubito, an loquendi usus ferat, ut *ipsius Dei proprietatem* vel *actionem* vel *studium* intelligamus [3]).

Minus igitur operae pretium factum iri puto examinandis variis rationibus interpretum, qui hoc loco for-

---

[1]) Exemplo esse potest vocabulum *πίστις Marc.* XI: 22. *Rom.* III: 3, *χάρις Hebr.* II: 9. 1 *Pet.* IV: 10, *ἀλήθεια Rom.* I: 25. XV: 8, *ναός* 2 *Cor.* VI: 16. 2 *Thess.* II: 4, *λόγος* 1 *Thess.* II: 13. 1 *Tim.* IV: 5, *ἀγάπη Luc.* XI: 42. *Rom.* VIII: 39.

[2]) Cf. praeter alios REICHIUS ad h. l.

[3]) THEOPHYL. *δικαιοσύνην Θεοῦ* idem esse sumsit ac *τὴν δικαιοσύνην τοῦ Θεοῦ*. Atque ita multi. WETTIUS etiam Articulum parum curat, sed in argumentatione eius principii cernitur petitio.

mulam *δικαιοσύνη Θεοῦ* ad *ipsum Deum* referri iubent. Utique ceteris se magis commendat VOORSTII sententia, a qua nuper KREHLIUS haud longe decessit, intelligi debere *singularem benignitatis Dei demonstrationem* sive *ex benignitate proficiscentem Dei* erga homines *favorem*. Et me diu id agere memini, ut quod a Praeceptore didicissem de Sacris Literis optime merito, meos inter discipulos propagarem. Sed sensim scrupuli mihi iniecti sunt, eo graviores, quo clarius argumenta, cum supra iam allata, tum alia, habebam ante oculos. Quamvis, nempe, loci nonnulli, uti *Rom.* V: 17, 21. 2 *Cor.* III: 9. *Gal.* II: 21. III: 21. V: 5. *Hebr.* XI: 7, sensum non incommodum praebent, si vocabulo *δικαιοσύνη* notio *favoris* similisve subiicitur; ibi tamen notionem illam non requiri, luculenter docebit totius orationis pervestigatio. Neque ea congruit cum vulgari loquendi usu, in PAULI Epistolis aliisque N. T. scriptis reperiundo. Ita et aliud denotatur apud interpretem Alex. *Exod.* XV: 13. 1 *Sam.* XII: 7. *Psalm.* VII: 17. *Jes.* LI: 5, ubi *ἡ δικαιοσύνη Deo* tribuitur. Omnibus autem, qui hoc loco *Dei proprietatem*, vel *actionem*, vel *studium* intelligi volunt, vehementer obstant similia Cap. III: 22: *Δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ*, quoniam a fide humana nullo modo pendet illud, quod Divinum est. Obstat itidem *Phil.* III: 9, ubi Apostolus *τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην*, quippe ex Deo oriundam, ab ea, quam *ἐμὴν* vocat *δικαιοσύνην*, distinguens tanquam digito monstrat, quomodo aliis in locis, in quibus caput Euangelii proponitur, formula *δικαιοσύνη Θεοῦ* explicanda sit. Obstat denique hoc in vs. laudatio oraculi HABACUCI, quae hinc alienissima esse videtur, nisi Substantivo

δικαιοσύνη aeque atque Adiectivo Substantive posito *δίκαιος homo* indicatur.

Quae quum ita sint, nihil aliud [1]) superesse arbitror, quam ut sequamur CHRYSOSTOMUM, *δικαιοσύνην Θεοῦ* referentem ad *Divinum illud, quod hominis est*, eamque ideo dicentem *τὴν ἀνωτάτω δικαιοσύνην*. Hoc suadent etiam loci magis minusve similes *Matth.* VI: 33. *Rom.* X: 3. 2 *Cor.* V: 21. *Jac.* I: 20, ubi circumiecta formulae illi aliam notionem tribui non sinunt. Notanda imprimis 2 *Cor.* I: 12 verba *ἐν ἁπλότητι* vel *ἁγιότητι καὶ εἰλικρινείᾳ* [*τοῦ*] *Θεοῦ*, quibuscum recte BILLROTHUS [2]) *δικαιοσύνην Θεοῦ* comparat. Atque haec quoque interpretatio commendationem inde accipit, quod ea plerisque placuit VV. DD. tam antiquioris quam recentioris aetatis. Iam loquendi usum maxime observabimus statuendo, vocabulum *δικαιοσύνη* *virtutem* hominis, et quidem *integritatem*, seu, ut BOEHMIUS mavult, *probitatem* denotare. Hactenus opportune OECUMENIUS: *Καλεῖ δὲ Θεοῦ δικαιοσύνην τὴν ἀρετὴν, ὅτι θεῖόν τί ἐστιν ἡ ἀρετὴ, καὶ ὅτι πάντα τὰ ἀγαθὰ ἐκ Θεοῦ.* Et quis non recordatur versum THEOGNIDIS, a VOORSTIO etiam excitatum:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι [3])?

---

[1]) Audiendi enim non sunt, qui formulae *δικαιοσύνην Θεοῦ* cum BENECKIO duplicem affingunt notionem *proprietatis et humanae et Divinae*.

[2]) *Comment. zu den Briefen des P. an die Corinther* ad h. l.

[3]) Vs. 103. *Reliq. ed.* WELCKER. p. 6, ubi ARISTOTELES aliique laudatores *τῆς δικαιοσύνης* excitantur. Cf. SUIDAE *Lex.* Tom. I. GAISFORDI h. v. Graecorum tamen in scriptis frequens non est usus vocabuli *δικαιοσύνη*, ipsaque formula *δικαιοσύνη Θεοῦ*, quantum novi, nusquam legitur.

Genitivus autem *Θεοῦ*, quaestio est, utrum significet: *quae Deo placet* vel *satisfacit*, an vero: *quae a Deo proficiscitur* vel *Dei est*. Illud probarunt LUTHERUS, CALVINUS, ESTIUS, THOLUCKIUS, KÖLLNERUS, FRITZSCHIUS, alii. Hoc cum CHRYSOSTOMO, MELANCHTHONE, SLICHTINGIO alteri recte praetulisse videntur plerique, etiam REICHIUS, NIELSENIUS [1]), WINZERUS [2]), OLTRAMARIUS, REITHMAYRUS, MAIERUS. Non solum enim eo ducit ipse auctor, quum *Phil.* III: 9 suae probitati ex legis Mosaicae observatione proficiscenti opposuerit *τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην*; sed hoc etiam loco praecedens *δύναμις Θεοῦ* et sequens *ὀργὴ Θεοῦ* Genitivum interiectum explicare vetant: *quae Deo placet* vel *satisfacit*. Quod ad defendendum non valent verba 2 *Cor.* V: 21: *ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ*, quippe quae sine incommodo explicari possunt: *ut nos in* CHRISTI *communione participes fiamus probitatis Divinitus oriundae*. Nec loci, in quibus legimus *δίκαιον εἶναι παρὰ τῷ Θεῷ* et *δικαιοῦσθαι ἐνώπιον αὐτοῦ* vel *παρὰ τῷ Θεῷ*, uti *Rom.* II: 13. III: 20. *Gal.* III: 11, ita comparati sunt, ut notionem definiant formulae *δικαιοσύνη Θεοῦ*, multo minus, quoniam id, quod a Deo proficiscitur, ei etiam placere censendum est. Quapropter GROTIUS, FER-

---

[1]) *Der Brief Pauli an die Römer. Deutsche Bearbeitung von* MICHELSEN ad h. l.

[2]) Progr. *de vocc. δίκαιος, δικαιοσύνη* et *δικαιοῦν in Paul. ad Rom. Ep.* p. 10.

MIUS [1]), PALMIUS, BAUMGARTEN-CRUSIUS utrumque vel aeque probabile duxere vel coniunxere.

Hanc explicationem formulae *δικαιοσύνη Θεοῦ* sequentia *ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν* commendant, si bene intelliguntur. Sed nec temporum nec notionum discrimen animadvertentes haud pauci verbum *ἀποκαλύπτεται* cum *πεφανέρωται* Cap. III: 21 confundunt. Multo melius non ita pridem V. D. inter nostrates [2]) utrumque sic distinguendum esse monuit, ut alterum (*πεφανέρωται*) manifestationem significet homini *exstrinsecus* factam *semel*, alterum (*ἀποκαλύπτεται*) revelationem, quae homini fidem habenti *intrinsecus* fiat *perpetuo*. Scribendo igitur: *Δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται* sibi voluit auctor, *probitatem a Deo proficiscentem*, quum antea obtecta fuisset, nunc homini *in Euangelio revelari* seu *patefieri*. Cuinam vero homini, perspicue ostendit conditione, unde illa mentis illustratio pendeat, proponenda. Atque sic via patet ad dirimendam quaestionem, quomodo verba *ἐκ πίστεως εἰς πίστιν* cohaereant cum praecedentibus. Satis multi alterum (*ἐκ πίστεως*) cum remotioribus *δικαιοσύνη Θεοῦ* connectunt, alterum *εἰς πίστιν* cum propiori *ἀποκαλύπτεται*. Ita Hyperbaton, quod vocant, orationi inesse sumunt, sed Hyperbaton profecto intolerabile. Minus aberrant, qui cum MAIERO utrumque *ἐκ πίστεως* et *εἰς πίστιν* pariter ad remotiora *δικαιοσύνη Θεοῦ* referunt, nec hi tamen rectam

---

[1]) *A logical Analysis of the Epistle of the Ap. P. to the Romans.* Ed. G. LINDSAY ALEXANDER ad h. l.

[2]) F. G. B. VAN BELL. Disp. Theol. *de patefactionis Christ. indole e vocabulis ΦΑΝΕΡΟΥΝ et ΑΠΟΚΑΛΥΠΤΕΙΝ in libris N. T. efficienda* p. 14 sqq.

ingressi sunt viam. Sine dubio auctor, si structura cum his remotioribus facienda esset, scripturus fuisset ἡ ἐκ πίστεως. Quotquot enim cum COCCEIO [1]) Articulum non prorsus necessarium esse contendunt, exemplis abutuntur locorum, qui vel Articulo sine damno carent, vel inter vocabula copulanda Verbum non habent interiectum. Meliorem ducem se hac in causa praestitit AUGUSTINUS [2]) scribens: „Haec est fides, ex qua et in quam revelatur." Ordo enim verborum deseritur, nisi structuram ita constituimus, ut a praecedenti ἀποκαλύπτεται sequentia ἐκ πίστεως pendeant. Quod non negasset KREHLIUS contra MEIIERUM disputans, si sensum, quem sibi oratio secundum Grammaticam vindicet, Logicum etiam esse vidisset. Quam recte autem MEIIERUS hanc partem tuitus sit, apparet ex loco simili *Luc.* II: 35, ubi dictum SIMEONIS: ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί explicandum est: *ut multis ex cordibus patefiant diversae hominum ratiocinationes.* Sic hoc loco *probitas a Deo proficiscens homini in Euangelio patefieri dicitur ex fide.* Breviter iam THEODORETUS: Ἡ πάλαι κεκρυμμένη δήλη γίνεται τοῖς πιστεύουσιν. Sine causa igitur nonnulli VV. DD. cum STUARTO orationi cogitando inseruerunt Participium οὖσα seu γινομένη, vel, uti ADAMUS [3]), Infinitivum εἶναι, quod ut probarem, ipse antea perperam ad Cap. III: 21, 22. 1 *Cor.* V: 1. *Phil.* I: 30 provocavi.

---

[1]) *Comment. in Ep. ad Rom.* ad h. l. *Opp.* Tom. IV.

[2]) *De Spir. et lit.* Cap. 11. *Opp.* Tom. X. p. 63. *Bened.*

[3]) *A Paraphrase on the eleven first Chapters of St.* PAUL'S *Ep. to the Romans* ad h. l.

Alia quaestio est, quid inter utrumque *ἐκ πίστεως* et *εἰς πίστιν* intersit. MELANCHTHONUS lectores hortatus est, ut contenti essent vulgari, quam vocat, enarratione: *fide imperfecta in ardentiorem et firmiorem.* Hortationi illi ad haec tempora haud pauci omnino vel quodammodo paruerunt, ut iam praeter alios praeiverat CLEMENS *Alex.* [1]), scribendo: *Φαίνεται οὖν ὁ Ἀπόστολος διττὴν καταγγέλλων πίστιν, μᾶλλον δὲ μίαν αὔξησιν καὶ τελείωσιν ἐπιδεχομένην.* Sed qui hanc viam ingrediuntur, uni vocabulo duas notiones subiicere debent, vel suo ex ingenio in orationem importare aliena. Nec huic sententiae favent 2 *Cor.* I: 24. *Gal.* II: 16. III: 23—26. *Phil.* III: 9. 1 *Tim.* I: 19, ubi vocabulum *πίστις* semel vel saepius repetitur. Opportune CLERICUS [2]) excitat CLEMENTIS [3]) verba de iuvene divite, qui ad IESUM se convertit: *ἐκ πίστεως εἰς πίστιν μετατάσσεται.* Neutiquam tamen illa usurpanda sunt ad commendationem interpretationis ORIGENIS: *ex fide Deo et* MOSI *habita ad fidem Euangelii,* quod in ratiocinationem non quadrat gentes exteras aeque atque Iudaeos spectantem. Similia praetereo commenta ab ESTIO aliisque iam satis refutata. Verba CLEMENTIS nobis tantum exemplo sunto, unde de eo certiores fiamus, vocabulum *πίστις* apud PAULUM in formula *εἰς πίστιν* nihil amplius quam *fidem* signifi-

---

[1]) *Strom.* Lib. V. Cap. 1. Tom. II. p. 644. POTT.

[2]) Ad HAMMONDI *Vers. cum Paraphr. et Adnot. in Epp. S. Apost. et Apoc. Joann.* ad h. l.

[3]) In libro *Quis dives salvetur.* § 8. ibid. p. 940. Cf. SEGARII *Comment.* p. 174, ubi ex *Strom.* Lib. II. Cap. 20 alium descriptum legimus locum, in quo ad eandem fidem bis proponendam coniuncta sunt *ἐκ πίστεως εἰς πίστιν.*

care, et quidem *eiusdem hominis*, de quo in altera ἐκ πίστεως sermo sit. Ergo audiendi quoque non sunt, qui cum AUGUSTINO a fide *Euangelium annuntiantium* fidem *ei obedientium*, vel cum *Ambrosiastro* a *Dei* fide fidem *hominis* distingui contendunt. Nec verum assecuti videntur RÜCKERTUS, REICHIUS, WETTIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, qui, auctore OECUMENIO, verba εἰς πίστιν explicant εἰς πιστεύοντας. Quod quum OLTRAMARIUS imprimis urget provocando ad Cap. III: 22, dissimilia, ut hîc iam ostendit MICHELSENIUS et infra clarius videbimus, habet pro similibus. Nihil, me iudice, tam probabile est, quam HEUMANNI [1]) sententia, quae BOSVELDIO, FRITZSCHIO, NIELSENIO, KREHLIO etiam, et iam antea MELVINO, placuit, Praepositionem εἰς inservire ad *consilium* denotandum. Ergo breviloquentiae succurremus interpretando: *ut fides habeatur*, vel tantum: *ut fides sit*. Hanc vero interpretationem minus tuentur formulae εἰς θάνατον et εἰς ζωήν 2 *Cor* II: 16, quarum notio Passiva est, quam quae Activam notionem habent, uti εἰς ὑπακοήν et εἰς ἔνδειξιν *Rom.* I: 5. III: 25, item verba CLEMENTIS allata. Ubi autem RÜCKERTUS, WETTIUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS ea committi ferunt, ut oratio frigeat, contradictio illa magnam partem inde oritur, quod vim verbi ἀποκαλύπτεται supra propositam minus assecuti sunt. Hoc vero, nisi fallor, et aliis, et iis quoque fraudem fecit, quibuscum ceterum consentio. Persuasum enim mihi est, utraque formula ἐκ πίστεως et εἰς πίστιν eandem spectari fidem salutarem, sed altera explicari, quomodo homini patefiat probitas a Deo pro-

---

[1]) *Comm. über den Brief an die Römer* ad h. l.

ficiscens, quae in Euangelio proposita est, altera, quorsum haec patefactio quoad animum eius et vitam tendat. Itaque aliis verbis dicere videtur Apostolus: *Probitatem a Deo proficiscentem homo, qui Euangelio fidem habet, in eo videt, ut in fide vivat*, qua, scilicet, probitatis illius fiat particeps. Atque sic breviter exhibet summam eorum, quae hac in Epistola enucleare constituit.

Sed priusquam eo progrediatur, verbo ostendit se profiteri quod cum Veteris Testamenti doctrina consentaneum est. Ergo suae sententiae addit: *καθὼς γέγραπται· Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.* Petita haec sunt ex *Habac.* II: 4, ubi in Cod. Hebraeo legimus: וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה, quorum sensus ex mente vatis Divini est: *Homo probus fide sua in Deo collocata longam et beatam habebit vitam.* A vero aberrasse, qui vocabulum בֶּאֱמוּנָתוֹ cum praecedenti וְצַדִּיק coniungerent, nemo contra HITZIGIUM [1]) aliosque interpretes hodie negabit. Eadem structura se offert apud interpretem Alex. sive scripsisse censetur: *ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται*, seu *δίκαιός μου ἐκ πίστεως ζήσεται.* PAULUM autem HABACUCI effato, quamvis aliud ageret, Iudaeorum more usum esse, iam diu constitit inter VV. DD. Idcirco etiam haud pauci, uti REICHIUS, KÖLLNERUS, OLSHAUSENIUS, RÜCKERTUS, FRITZSCHIUS, MEIIERUS, KREHLIUS, MAIERUS hanc orationis structuram fecerunt, ut verba *δίκαιος ἐκ πίστεως* connecterent. Iam SURENHUSIUS [2]) vero IUNIUM, qui GRIESBACHIUM praecessisset distinguendo: *Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ*

---

[1]) *Die zwölf kleinen Profeten erklärt*, ad h. l.

[2]) *ΒΙΒΛΟΣ ΚΑΤΑΛΛΑΓΗΣ*. p. 436.

πίστεως, ζήσεται, nodum in scirpo quaesivisse monuit, siquidem distinctionis mutandae nulla causa esset. Ita recentiori memoria BOEHMIUS et WETTIUS nihil obstare putarunt, quominus verba sic ordinentur, ut praecedentia *ἐκ πίστεως* a sequenti *ζήσεται* pendeant. Sed summo iure hanc structuram alteri praetulisse videntur THOLUCKIUS, BAUMGARTEN-CRUSIUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, etiam WILKIUS [1]). Primum enim Apostolum vatis Divini verba non ita cum oratione sua conglutinasse, ut ei plane accommodarentur, intelligimus inde, quod, quamvis exempli tam Hebraei quam Graeci Pronomen omittebat, Particulam tamen *δέ* hinc prorsus alienam recepit. Deinde credere non possum, eum HABACUCI effatum aliter descripsisse, quam descriptum sit *Gal.* III: 11 et *Hebr.* X: 38: atqui verba *ἐκ πίστεως ζήσεται*, ut boni iudicant interpretes [2]), illo in loco verisimiliter, in hoc vero haud dubie connectenda sunt. Tum auctor, si sequentia *ἐκ πίστεως* ad praecedens *δίκαιος* referenda essent, secundum loquendi usum, quem reperimus Cap. II: 27. VII: 4. X: 6. *Phil.* III: 9, scripturus fuisset: *Ὁ δὲ ἐκ πίστεως δίκαιος*, ut etiam vidit BAUMGARTEN-CRUSIUS. Sed si ipsius Apostoli orationem supra bene interpretatus sum, ideo iam a vulgari distinctione nullo modo decedere licet. Nimirum sic existimo, HABACUCI effatum hîc, aeque ac *Gal.* III: 11. et *Hebr.* X: 38, usurpatum esse propter formulam *ἐκ πίστεως*;

---

[1]) *Die Hermeneut. des N. T.* cet. Tom. II. p. 83.

[2]) BORGERUS, *Interpr. Ep. ad Gal.* WINERUS, PAULI *ad Gal. Epistola.* Ed. III. BLEEKIUS, *Brief an die Hebräer erläutert* cet. WETTIUS, *Kurzgefasstes Exeg. Handb.* ad h. l.

hanc tribus illis in Epistolis eandem spectare fidem Deo habendam, quam vates antiquus aequalibus suis commendaverit; locum autem huc translatum esse ad confirmanda, ut KREHLIO etiam visum est, proxime praecedentia *εἰς πίστιν*, in quibus totius sententiae, unde pendent, cardo vertatur; PAULUM igitur sibi voluisse: *quemadmodum scriptum est: ex fide exsistet beata hominis probi vita*, eumque hoc superioribus addidisse, ut Veteris Testamenti auctoritate probaret, id agi per fidem Euangelio habitam, ut quis, hac in fide vivens, probitatis a Deo proficiscentis veraeque salutis particeps fiat.

Vers. 18.

Ut lectoribus explicet, quanti ponderis et momenti ad vitam vere salutarem consequendam fides in Euangelio collata sit, hoc vs. auctor eorum oculos ad generis humani miseriam convertere incipit. Primum igitur deplorandam gentium exterarum describit conditionem. Quod sic aggreditur, ut duo esse ostendat, quorum tanquam fluctibus iaceant submersae, impietatem erga Deum et morum pravitatem. Utriusque elementum hoc vs. continetur. Orationem autem connectit Particula *γάρ*, ut quisque statim intelligat, quam arcte cum patefactione probitatis a Deo proficiscentis alia cohaereat patefactio.

De structura verborum: *Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ* ab antiquo inter se disceptarunt interpretes, quum formulam *ἀπ' οὐρανοῦ* alii ad proxime praecedens *Θεοῦ*, alii ad utrumque *ὀργὴ Θεοῦ*,

alii ad Verbum ἀποκαλύπτεται referrent. Hoc autem propterea iam probabilius est, quod formula illa Articulo τοῦ vel ἡ caret et alibi (2 *Thess.* I: 7) a vocabulo ἀποκαλύψει pendet. Sed vs. 17 Verbo ἀποκαλύπτεται subiiciens ἐν αὐτῷ ipse PAULUS lectoribus commonstravit, hoc vs. nihil aliud ferri posse. Quemadmodum enim ibi probitas a Deo proficiscens *in Euangelio* patefieri dicitur, ita hîc ira Dei sit necesse est, quae *de coelo* patefiat. Mirandum igitur non est, hanc structuram orationis multis placuisse interpretibus, etiam FRITZSCHIO, RÜCKERTO, MEIIERO, WETTIO, OLTRAMARIO, PHILIPPO, a quibus reapse non discrepat KÖLLNERUS, ubi formulam ἀπ᾽ οὐρανοῦ cum tribus illis ἀποκαλύπτεται ὀργὴ Θεοῦ coniungi iubet. Recte itidem plerique eorum contra ESTIUM, GROTIUM, BOEHMIUM aliosque disputarunt, PAULUM, si patefactionem *per Euangelium* significasset, Verbo ἀποκαλύπτεται adscripturum fuisse monentes ἐν αὐτῷ vel simile quid, et contrariam in partem etiam ad verba ἀπ᾽ οὐρανοῦ provocantes. Sed his ex verbis argumentum quoque petierunt refellendae sententiae, patefactionem proponi hominibus *rationis* vel *conscientiae ope* datam, ut, *Ambrosiastro* praeeunte, REICHIUS et GLÖCKLERUS opinati sunt. Nec manifestationem irae Divinae in iudicio supremo praedici, ut cum CHRYSOSTOMO aliisque censuit PHILIPPUS, luculenter apparet inde, quod Praesens ἀποκαλύπτεται vs. 18 aliter explicari nequit quam vs. 17. Sine dubio turbatur series orationis usque ad huius Capitis finem procedens, nisi Apostolum spectasse statuimus *poenas impietatis et pravitatis,* quas Deum gentibus exteris iusto suo rerum humanarum regimine infligere quotidiana

testaretur experientia. Quod uti PELAGIO iam visum est scribenti *per naturae testimonium*, sic interpretibus supra laudatis et haud paucis aliis. Formula *ἀπ᾽ οὐρανοῦ, de coelo*, Deus agens proponitur. Quae autem hic, aeque atque alibi in Literis Sacris, ei tribuitur *ἀνθρωποπαθῶς*, ὀργή sive *ira* Deum, ut iam bene monuit CALVINUS, non animi affectione commotum significat, sed pro sanctitate sua, quae simul sincerus boni amor est, de malo morali indignanten. Ubi autem haec ira dicitur *ἀποκαλύπτεσθαι*, PAULUS sibi vult eam *ita patefieri, ut omnium in oculos incurrat.* Et hactenus patefactio illa distinguitur ab ea, quae per fidem fit, ut a nulla conditione pendeat et ad homines qualiscunque generis, indolis et vitae pertineat. Propterea tamen Verbo *ἀποκαλύπτεται* alium quam vs. 17 sensum tribuere non debemus cum FRITZSCHIO, qui, illud explicans *φανερὰ γίνεται*, utriusque *ἀποκαλύπτεσθαι* et *φανεροῦσθαι* renovavit confusionem supra iam improbatam. Sed brevi post se ipse correxit auctorem sibi voluisse aiens: *Dei iram, poenas sumentem de coelo in omnes homines impios et improbos palam ingruere,* NEMO IGNORAT. Quod a WETTIO reprehensum nollem: nam haec tantum necessaria videtur mutatio, ut pro *nemo ignorat* scribamus: *unicuique rerum in oculos incurrentium ope patefactum est* [1]).

Quid iram Dei moverit, indicant verba *ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων*, quae si quis vertendo reddit *in omnem impietatem et pravitatem hominum*, non sequitur inde, eum probare THEOPHYLACTI

---

[1]) Cf. VAN BELL. l. c. p. 61, 62.

interpretationem, a KÖLLNERO, STUARTO aliisque plausu acceptam: *Ἄλλο ἀσέβεια καὶ ἄλλο ἀδικία· ἡ μὲν γὰρ εἰς Θεὸν, ἡ δὲ ἀδικία εἰς ἀνθρώπους.* Quod recte MEIJERUS hinc alienum duxit, quoniam in altero orationis membro tantum *ἐν ἀδικίᾳ* legitur. Nec tamen haec vocabula, ut RÜCKERTO placuisse videtur, synonyma existimanda sunt, sed hactenus inter se differunt, ut *ἀσέβεια religionem Dei* spectet, *ἀδικία mores hominum,* non vero *τὴν τῶν εἰδώλων ἀπάτην,* ut SUIDAS interpretatus est. Ergo altero significatur *impietas erga Deum*, altero *morum pravitas.* Atque ita quoque utrumque distinxere OLTRAMARIUS, REITHMAYRUS, PHILIPPUS, MAIERUS. Distinctio vero *peccatorum in Deum et in homines* minus convenit ingenio scriptorum Novi Testamenti, qui omne malum, quod homines patrarent, *impietatem erga Deum* habuerunt. Quapropter Substantiva *ἀσέβεια, ἀδικία, ἀνομία* et Adiectiva *ἀσεβής, ἄδικος, ἄνομος* satis crebro promiscue usurparunt vel ita certe, ut proponerent *ἁμαρτωλούς* [1]). Hoc loco PAULUS lectori nihil desiderii reliquisset scribendo *ἐπὶ πᾶσαν ἀδικίαν ἀνθρώπων,* quo intelligi etiam posset *ἡ ἀσέβεια,* utpote *ἀδικία περὶ τὸ θεῖον;* sed praeparare volens ratiocinationem, qua impietas erga Deum a morum pravitate discerneretur, scripsit *ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν* cet. Praepositio autem *ἐπί* eodem modo a connexis pendet apud DEMOSTHENEM, ubi legimus: *ταύτην τὴν ὀργὴν καὶ νῦν ἐπὶ τουτονὶ λάβετε* [2]).

---

[1]) Vide praeter *Rom.* IV: 5, a multis excitatum, Cap. V: 6—8. 1 *Tim.* I: 19. *Tit.* II: 12. 1 *Pet.* IV: 18. 1 *Joann.* III: 4. V: 17. *Jud.* 15 et Cf. TITTM. *de Synonym. in N. T.* p. 48.

[2]) *Orat. Graec.* Tom. I, p. 743 REISK.

Quales homines auctori ante oculos obversati sint, docent sequentia: τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. Articulus enim τῶν inservit ad praecedens ἀνθρώπων explicandum, ut alibi [1]). Hinc igitur PAULUS, ut STUARTUS, MAIERUS aliique bene viderunt, miseram gentium exterarum conditionem describere incipit. Vocabulum ἀδικία aeque ac supra *morum pravitatem* denotat; nec tamen desideratur ἀσέβεια, quoniam ad cogitationem impietatis erga Deum ducunt connexa τὴν ἀλήθειαν, quibus *religiosam* significari *veritatem*, communis fere interpretum sententia est. Minus inter se de eo consentiunt, quomodo Participium κατεχόντων cohaereat cum praecedentibus ἐν ἀδικίᾳ. Nonnulli, quibus iam praeivisse videtur CHRYSOSTOMUS, Verbum κατέχειν interpretantur *possidere;* alii, et longe plurimi quidem, *continere, cohibere, impedire* vel similiter. Et hoc illi rationibus et argumentis utraque in lance positis KREHLIUS praestare ostendit. At vereor tamen, ut satis probaverint VV. DD. hanc sententiam cum loquendi usu convenire. Nihil enim iuvant exempla locorum, in quibus Verbum κατέχειν notionem *continendi, cohibendi, impediendi* accipit ab adiunctis, uti *Luc.* IV: 42, ubi legimus: κατεῖχον αὐτὸν τοῦ μὴ πορεύεσθαι. Nec loci sufficiunt, ubi Verbum illud sine Nomine propositum, ne dicam, dubiae interpretationis est, quemadmodum 2 *Thess.* II: 6, 7, quo se omnes fere tueri conantur. Pace Virorum Doctorum explorandum est, quaenam

---

[1]) *Rom.* II: 9. VIII: 4. XIV: 20. 1 *Cor.* VIII: 10. *Eph.* I: 12. Cf. WINER *Gramm.* p. 153. TROLLOP. p. 64. Ita apud Graecos, ut praeter alios docet MADVIG. p. 12.

huius Verbi, ubi cum eo connexum est Nomen Praepositionem ἐν sequens, vis et potestas sit. Ad comparandum igitur adhibeatur IOSEPHI iussum, *Gen.* XLII: 19: *ἀδελφὸς ὑμῶν κατασχεθήτω εἷς ἐν τῇ φυλακῇ;* item Cap. XXXIX: 20, ubi IOSEPHUS coniectus dicitur *εἰς τὸν τόπον, ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται τοῦ βασιλέως κατέχονται.* Addantur verba ipsius PAULI, *Rom.* VII: 6: *ἀποθανόντος* vel *ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα.* Iam his ex locis apparet, formulam *κατέχειν τι ἐν τινί* de eo usurpari, quod *re aliqua obstrictum tenetur, ne libere exeat.* Inde vero simul intelligimus, a via aberrasse CALVINUM, BEZAM aliosque, qui, praeeunte THEOPHYLACTO, formulam *ἐν ἀδικίᾳ* eodem atque Adverbium *ἀδίκως* redire putarent. Sed sic non omnino bene agere deprehenduntur quoque, qui cum WETTIO, REITHMAYRO, KREHLIO, PHILIPPO et multis aliis Praepositioni *ἐν* vim Latinae *per* tribuunt. Scribendum est, nisi fallor, *in morum pravitate* i. e. *in eius tanquam servitute.* Aliis verbis PAULUM sibi velle puto: *qui, nempe, morum pravitate adstricti coecos se faciunt ad id, quod de Deo verum est, mente assequendum.*

Vers. 19, 20.

Quod vs. 18 proposuit nunc PAULUS articulatim explicare aggreditur. Quamvis autem libere, ut Epistolae consentaneum est, procedit, eius tamen ratiocinatio duas habet partes. In altera usque ad vs. 23 id agit, ut lectoribus persuadeat de gentium exterarum impietate inde exorta, quod morum pravitate adstrictae coecas se faciant. Atque hoc ut fiat, oculos eo-

rum primum convertit ad lucem, quae Divinitus proficiscitur, incipiens a dicto generali: *Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ Θεὸς γὰρ* (sic enim Editio Recepta corrigenda videtur) *αὐτοῖς ἐφανέρωσε.*

Particulae *διότι* notionem et usum, KREHLIUS monet, sic exposuisse FRITZSCHIUM, ut nihil desiderii relinqueret. Mihi Vir Doctus et congerendis nonnullis, quae hinc aliena sunt, perspicuitati nocuisse, et minus, quam par erat, effecisse videtur. SUIDAS ad *διότι* iam notavit: *Ἔσθ' ὅτε καὶ ἀντὶ τοῦ ὅτι λαμβάνεται.* Sed nulla hîc quaestio est, quomodo scriptores Graeci hoc vocabulo usi et quoque abusi sint. Si quis hoc scire cupit, STEPHANI evolvat *Thesaurum*. In N. T. nusquam Compositum *διότι* pro Simplici *ὅτι* rectam, qua quis loquens inducitur, orationem praecedit. Nusquam ibi quoque, ut bene monet PHILIPPUS, significat *quamobrem* seu *propterea*, quod vs. 24 et 26 et ubique denotatur vocabulis *διό* et *διὰ τοῦτο*. Nusquam denique illud, nisi fallor, Latinis *nam* vel *quoniam* ita respondet, ut vertendo reddi nequeat *propterea quod*. Exemplo sit *Act.* XVIII: 10, ubi cum FRITZSCHIO WETTIUS aliique Compositum *διότι* pro Simplici *ὅτι* exstare putant. Orationem sic distinguo: *Μὴ φοβοῦ, ἀλλὰ λάλει καὶ μὴ σιωπήσῃς· διότι ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ. Καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε. διότι λαός ἐστί μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ.* Latine haec sonant: *Ne time, sed loquere nec taceas; propterea quod ego tecum sum. Et nemo te manu prehendet, ut malum tibi faciat; propterea quod populus mihi multus hac in urbe est.* Eadem notio se non solum offert *Ies.* XII: 2 et *Tob.* IV: 6, sed etiam in locis, quos RÜC-

KERTUS minus ad rem excitat, *Rom.* III: 20. VIII: 7. 1 *Thess.* IV: 6, item *Gal.* II: 16 secundum Editionem Receptam. Itaque summo iure KÖLLNERUS, MEIIERUS, STUARTUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MAIERUS hoc loco διότι interpretantur *propterea quod.* Ex hac vero interpretatione apparet, PAULUM non tantum ante oculos habuisse verba τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων, ut RÜCKERTO etiam et WETTIO visum est, sed totam, ut ipse statuit FRITZSCHIUS, sententiam praecedentem.

Graviorem litem peperit quod sequitur: τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ. ERASMUS illud interpretatur *quod de Deo cognosci potest.* Eodem modo vel similiter ante et post eum plurimi, praeeunte iam ORIGENE, recentiore memoria RÜCKERTUS, KÖLLNERUS, STUARTUS, BAUMGARTEN-CRUSIUS, OLTRAMARIUS, MAIERUS, inter nostrates BOSVELDIUS et PALMIUS. Neque illi tamen omnes eandem Apostolo mentem tribuerunt. I. CAPPELLUS [1]) cum plerisque consentiens scripsit: *quod de Deo* naturaliter *cognosci potest.* C. VORSTIUS [2]) de *Euangelii cognitione* sermonem esse putavit. Multi eorum hanc interpretationem ex Graecorum libris probare conati sunt, ad BUTTMANNI etiam auctoritatem provocantes [3]). Contra ERNESTIUS [4]) τὸ γνωστόν nusquam significare contendit *quod cognosci potest.* Idem MEIIERUS asseveravit. Ergo hic assensus est REICHIO

---

[1]) In *Bibl. crit.* ad h. l.
[2]) *Commentar. in omnes Ep. Apost.* ad h. l.
[3]) L. c. Tom. I. p. 461.
[4]) *Neue Theol. Biblioth.* Tom. X. Part. 7. p. 630.

aliisque interpretantibus *quod de Deo cognitum est* vel *quod de Deo cognoscitur*, a quibus minus longe discesserunt, qui *cognitionem Dei* (Obiective) proponi statuebant, ut, post CHRYSOSTOMUM aliosque veteres, etiam FRITZSCHIUS, WETTIUS, KREHLIUS [1]). Horum autem plerique recte viderunt, Adiectivum Verbale *γνωστόν* in N. T. significare *quod cognitum*, vel *notum est*, non vero *quod cognosci potest*. Ita et in V. T. ut apparet ex *Exod.* XXXIII: 16. *Esr.* IV: 12, 13. V: 8. *Ies.* XIX: 21. *Ezech.* XXXVI: 32. *Dan.* III: 18. Sed hac in lite, si quid video, multum cernitur Logomachiae. Sumamus Adiectivum *γνωστόν* in Literis Sacris ubique vertendo reddendum esse *quod cognoscitur* vel *notum est*, hinc non sequitur, illud omnibus in locis eandem vim habere. Immo in alia oratione alia requiri videtur explicatio. Quid sentiam, exempla commonstrabunt. PETRI verba *Act.* II: 14: *τοῦτο ὑμῖν γνωστὸν ἔστω* sine dubio auditoribus exoptant *cognitionem* rerum dicendarum. Sed eodemne modo intelligendum Adiectivum est Cap. I: 18, ubi Apostolus ait: *γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἱερουσαλήμ*? Ibine tradit ille, *omnibus Hierosolymorum incolis innotuisse* fatalem IUDAE exitum e vita? Graeca quidem Latine reddenda sunt: *notum factum est omnibus habitantibus Hierosolymis;* sed nonne sensus eorum est, *res adeo pervulgata est, ut nemo sit, qui eam cognoscere nequeat?* Eundem sensum habent loci nonnulli V. T. supra iam excitati, item quod legimus *Sirach.* XXI: 7: *Γνω-*

---

[1]) Nec WINERUS l. c. p. 266, 267 dissentire videtur, sed prudenter tamen monet, PAULUM non scripsisse ἡ γνῶσις, ne quis cognitionis possessionem sibi proponeret.

στὸς μακρόθεν ὁ δυνατὸς ἐν γλώσσῃ. Vocabulum enim *γνωστός* ibi Latine quidem reddi debet *cognitus* vel *notus*, sed, quomodocunque intelligenda sint sequentia *ὁ δυνατὸς ἐν γλώσσῃ* [1]), satis constat, pollentem lingua *talem* dici, *ut omnes eum cognoscere possint e longinquo.* Neque aliud suadet quod scripsit XENOPHON [2]): *Εἰ δὲ μὴ ἄλλως γνωστὸν, ὅτι ἀληθῆ λέγω, ὧδε ἐπισκέψασθε.* Quamombrem interpretes illud in utramque partem attulerunt. Et generatim sine scrupulo affirmare ausim, formulam *γνωστός* vel *γνωστόν ἐστι* hanc explicationem sibi requirere omnibus in locis, in quibus oratio contexta non habet, quae eam respuant. Ita hoc loco *τὸ γνωστόν* vertendo reddere oportet *quod notum* vel *cognitum est*, sed illud explicari debet: *quod ad communem hominum notitiam perlatum est*, seu aliis verbis: *quod ab omnibus cognosci potest.* Commentarii instar est Iudaeorum dictum, *Act.* IV: 16: *Ὅτι μὲν γὰρ γνωστὸν σημεῖον γέγονε δι' αὐτῶν, πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἱερουσαλὴμ φανερόν*, quod excitavit etiam OLTRAMARIUS. Aliter autem *τὸ γνωστόν* interpretari et PAULI vetat ratiocinatio vs. 21, 25, 28, et proxime sequens *φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς*, quod plane delirantis est, si praecedit propositio *cognitionis cunctis hominibus communis.* Sed quum nemo sit, qui huiusmodi ineptias PAULO obtrudat, ratio sic concludenda videtur, Viros Doctos, quamvis de notione vocabuli *γνωστόν* dissentiant, de sensu tamen orationis reapse inter se consentire. Nec discrepant inter se de potestate Genitivi *τοῦ Θεοῦ*, qui si

---

[1]) Cf. BRETSCHNEID. *Liber Iesu Sirac. Graece* ad h. l.

[2]) *Hell.* Lib. II. Cap. 3. § 44.

exponitur *ratione Dei habita* i. e. *de Deo*, observatur loquendi usus [1]).

His exploratis nos minus exercebunt connexa *φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς*. FRITZSCHIO iudice PAULUS *notitiam Dei hominum in animis planam esse* dixit. Idem vel simile iudicium KREHLII multorumque aliorum est. Vulgo erratur eadem confusione *ἀποκαλύψεως* et *φανερώσεως*, quam supra reprehendendam putavi. Utrumque vocabulum *lucem* spectat, sed alterum *allatam*, alterum *propositam*. Apostolus sibi ipse interpres sit *Gal.* V: 19, ubi verba *φανερὰ δέ ἐστι τὰ ἔργα τῆς σαρκός* lectores non docent, in vitiis et peccatis, quae continuo recensentur, opera carnis ab hominibus agnosci, sed *opera carnis* in iis *tam manifesta esse, ut ab hominibus agnosci possint*. Similiter aliis in locis tam Veteris quam Novi Testamenti *φανερόν* appellatur *quod manifestum est*, sive cognitio eius habetur, seu non habetur. Atque ita Graecorum in scriptis, ut apud DIODOR. *Sic.* [2]). qui de DIONYSIO narrans: *Δύναμιν ἀξιόλογον συστησάμενος, φανερὸς ἦν πολεμήσων Καρχηδονίοις*, dicere noluit, omnes homines vidisse, eum Carthaginiensibus bellum illaturum esse, sed hoc adeo *manifestum fuisse, ut ab omnibus videri posset*. Hoc loco quid PAULI in mente fuerit, nemo magis perspicue explicavit quam OLTRAMARIUS [3]). Recte quoque ille verba *ἐν αὐτοῖς* interpretatus est *in iis*. Sed haec hodie vulgaris interpretatio est iam a CHRYSOSTOMO proposita et a VICTORINO etiam STRIGELIO [4]) probata. Atque ea ut sua

---

[1]) Cff. ALT. p. 45. WINER. p. 212. STUART. *Gramm.* p. 163.

[2]) *Hist.* Lib. XV. Cap. 14. WESSEL.

[3]) Cf. VAN BELL. l. c. p. 19 sqq.

[4]) *ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ in omnes Ep. Pauli* cet. ad h. l.

se simplicitate commendat, ita cum orationis argumento egregie convenit. Hîc igitur auctor, sicuti Cap. II: 15 *τὸ ἔργον τοῦ νόμου* vocavit *γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν*, Romanis scripsit, *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ* *in* eorumdem *hominum animis manifestum esse*, qui morum pravitate coecos se faciant. Quo quidem, ut MELANCHTHONUS, THOLUCKIUS aliique viderunt, *κοινὰς* illas significasse videtur *ἐννοίας*, quas CICERO [1]) *insitas* dixit *et quasi consignatas in animis notiones*. Qui cum GROTIO interpretari malunt *inter eos* et Philosophos intelligunt, gentes ipsas culpa in eas coniecta liberare et argumentationem vi sua privare coguntur, ne dicam, verba *νοούμενα καθορᾶται* vs. 20 ad illos redarguendos iam sufficere. Et frustra provocant ad 1 *Cor.* XI: 19, quo uno sane ex loco nec loquendi usus cognoscitur, nec huius orationis aliter conformatae apparet sensus. Opinionem autem eorum, qui Praepositionem *ἐν* redundare contendunt, aliasque levioris ponderis refellere nihil attinet.

Membrum posterius: *ὁ Θεὸς γὰρ αὐτοῖς ἐφανέρωσε* scil. *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ*, nihil habet, quod illustratione indigeat. Aoristo PAULUS manifestationem proposuit, quae fiebat inde ab huius mundi incunabulis. Ex supra disputatis autem apparet, sensum verborum esse: *Deus enim iis illud manifestavit, ut ab iis cognosci posset.* Atque ita confirmatur, quod membro priori scriptum est.

Quomodo Deus se gentibus exteris i. e. hominibus manifestaverit, qui morum pravitate coecos se facerent,

---

[1]) *Tusc. Quaest.* Lib. I. cap. 24, ubi vocabulum *notiones* genuinum esse apparet ex *Top.* Cap. 7 aliisque locis.

nunc PAULUS lectoribus ostendit. Particula *γάρ*, nexum orationis indicans, tollendas esse docet Parentheseos notas, a GRIESBACHIO, VATERO, SCHOLZIO, GOESCHENIO aliisque editoribus ad verba *εἰς τὸ εἶναι* cet. cum vs. 19 coniungenda adhibitas, quas STUARTO [1]) etiam non displicuisse miror. Infra autem videbimus, nequidquam agere, qui verba illa ad remotius *ἐφανέρωσε* referri malint quam ad proprius *καθορᾶται*, ad quod ea etiam retulit GROTIUS. Iam *τὰ ἀόρατα αὐτοῦ* sunt *ea ad Deum pertinentia, quae oculis cerni nequeunt.* Ex sequentibus intelligimus, *Divinas* significari *proprietates*, ut plerique interpretati sunt. Et hae quidem dicuntur *τὰ ἀόρατα αὐτοῦ*, quoniam earum tantum imago in rebus adspectabilibus expressa est. Providentiae Divinae, quae appellantur, opera hîc etiam in censum venire putavit THEODORETUS, quocum consentiens FRITZSCHIUS scripsit *actiones Dei invisibiles.* Quod RÜCKERTUS, WETTIUS, KREHLIUS, alii iure suo improbarunt, utpote non consentaneum cum appositis *ἥ τε ἀΐδιος* cet. Ex his vero ipsis apparet, haud temere a FRITZSCHIO urgeri vim Pluralis, quam minus etiam curant, qui interpretantur *natura eius ab oculis remota* vel similiter.

Ubi de his Dei proprietatibus dicitur *ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται*, sensus sine dubio est: *inde a mundo condito ex rebus adspectabilibus mentis oculis clare cernuntur.* Verba *ἀπὸ κτίσεως κόσμου* Vulgata interpretatur *a creatura mundi* i. e. *ex rerum natura.* Quod defendere conatur REITHMAYRUS, hactenus consentiens cum LUTHERO, WOLFIO,

[1]) *Commentary* cet. ad h. l.

HOMBERGKIO [1]), KLEEIO. Sed haec interpretatio, ut post alios bene monuerunt PHILIPPUS et MAIERUS, ferri nequit, ne Vocabulo *κτίσεως* aliena notio et sequenti *ποιήμασι* ingrata redundantia affingatur. Frustra provocatur ad *Sap. Sal.* XIII: 5, ubi legimus, quae ab hac oratione prorsus differunt. Contraria vero sententia et eodem nititur usu Praepositionis *ἀπό*, *Matth.* XXV: 34. *Marc.* X: 6. XIII: 19. *Luc.* XI: 50. *Rom.* XV: 23. 2 *Pet.* III: 4, et Aoristo praecedenti *ἐφανέρωσε* commendatur. Haec autem *ἀπὸ κτίσεως κόσμου* iungi nequeunt cum verbis *τὰ ἀόρατα αὐτοῦ*, ut nonnulli fecerunt: nihil enim magis absurdum est, quam *τὸ ἀόρατον* temporis finibus circumscribere. Immo iungenda sunt cum sequentibus *ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται*, quorum sensus facile intelligitur. *Ποιήματα* enim in uno alteroque loco Veteris Testamenti, uti *Psalm.* CXLIII: 5. *Eccles.* VII: 4. VIII: 17, vocantur *res huius mundi adspectabiles.* Inter maxime similia, quae alibi exstant, eminet dictum HIPPOCRATIS [2]): *Οὐχ ὑμᾶς δοκέω, ἀλλὰ φύσιν αὐτέην καλέειν με, ἀνασώσασθαι ποίημα ἑωυτῆς, κινδυνεύον ὑπὸ νόσου διαπεσεῖν,* quo *opere naturae* DEMOCRITUS, veluti *μικρόκοσμος* aliquis, proponitur. Neque in vocabulo *ποιήμασι* offensioni sit Casus Tertius, quo saepe *id* significari novimus, *cuius ope aliud fiat* [3]). Vocabulo

---

[1]) *Parerga Sacra* ad h. l.

[2]) *Epist. ad Senat. et Pop. Abderit.* Opp: p. 1274. FOES. Alia lectu digna praebet WETSTENIUS. Hactenus quoque HESYCHIUS cum v. *κτίσμα* recte comparat *ποίημα*.

[3]) Vide *Rom.* VIII: 24. 1 *Cor.* IX: 7. *Eph.* II: 8. Cff. WINER. p. 245, 246. MATTH. Tom. II. p. 897. ROST. p. 506, 507. KÜHNER. Tom. II. p. 252 sqq. MADVIG. p. 45.

illi adiunctum Participium *νοούμενα*, quod PLATONI aliisque Philosophis ad intelligibilia ab adspectabilibus distinguenda usitatum est, OLSHAUSENIUS haud male explicat *ἐν τῷ νῷ*. Similiter *Hebr.* XI: 3 legimus: *πίστει νοοῦμεν* i. e. *fides in Deo posita facit, ut mente intelligamus*. Hoc autem non inservit ad Oxymorum, quod in connexis *τὰ ἀόρατα καθορᾶται* cernitur, mitigandum, sed ad suum ei sensum constituendum. Ita KREHLIUS, qui cum MEIJERO, PHILIPPO aliisque etiam monet, Praepositione vim Verbi *καθορᾶται* augeri, ut vertendo reddendum sit *perspiciuntur*. Quod equidem negare nolo. At hinc tamen cogendum non est, omnes homines ex huius universi contemplatione perspicuam virtutum Divinarum cognitionem PAULO iudice repetere. Immo Apostolus, ut etiam vidit MELVINUS, nihil aliud docet, quam virtutes illas adeo in luce collocatas esse, ut mentis oculis perspicue cernantur ab iis, quotquot morum pravitate non supprimant notiones veri sibi Divinitus inditas. Praesens igitur *καθορᾶται* significat quidem *quod fit*, sed, uti in omni sermone populari, *posita conditione*, et hactenus *quod fieri potest* [1]). Ceterum recte MAIERUS opinionem refutat BAUMGARTEN-CRUSII, qui, sumens verba *τοῖς ποιήμασι* hîc exstare pro *ὑπὸ τῶν ποιημάτων*, ea explicari iubet *a naturis ratione praeditis*, quod etiamsi ferant leges Grammaticae, ferre non potest loquendi usus.

In sequentibus: *ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης* FRITZSCHIUS novum aliquid idque maius esse

---

[1]) Cf. GLASSIUS l. c. Tom. I. p. 197, 198.

contendit, quod orationi addatur. Sed ut nullo argumento opinionem probat, quae ex falsa interpretatione verborum τὰ ἀόρατα αὐτοῦ orta est, ita vulgarem sententiam, verba illa hîc per Epexegesin explicari, iniuste oppugnat monendo, Particulam τε nusquam in Epexegesi significare *nempe*. Hoc enim nemo prudens dixerit, siquidem norunt omnes, illud *nempe* in Epexegesi intelligi debere. Recte igitur RÜCKERTUS se FRITZSCHIO opposuit. Num vero concedendum sit, Particulam minus suo loco stare, equidem dubito. Certe omnis evanescere videtur difficultas, si Adiectivum ἀΐδιος tantum ad Substantivum δύναμις refertur, ad sequens θειότης non item. Verba igitur ἥ τε αΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης praecedentibus τὰ ἀόρατα αὐτοῦ per Epexegesin opposita sunt, quemadmodum *Act.* XIII: 1 in ὅ τε Βαρνάβας καὶ Συμεὼν cet. huiusmodi dicendi forma cernitur. Praecedit *vis Dei omnipotens*, utpote primum in oculos incurrens. Atque haec cur ἀΐδιος i. e. *aeterna* seu nulli mutationi obnoxia vocetur, explorare non opus est illi, qui verba ἀπὸ κτίσεως κόσμου interpretatur *inde a mundo condito*. Magis vero ingenia excercuit connexum καὶ θειότης. Recentiori nempe aetate, duce maxime ELSNERO, plerique vocabula θεότης et θειότης ita distinxere, ut illam *Deitatem*, hanc *divinitatem* appellarent, vel idem inter eas interesse contenderent, atque inter Dei, quae dicuntur, *existentiam* et *essentiam*. Speciose OLSHAUSENIUS mundo plenitudinem τῆς θειότητος inesse monuit, CHRISTO plenitudinem τῆς θεότητος. Et inter omnes quidem constat, appellatione τῆς θεότητος *ipsum Numen Divinum* (sermone vernaculo *de Godheid*) proponi. Quod ipse ostendit PAULUS *Col.* II: 9. Quae-

stio tantum agitur, an ἡ θειότης hinc notione differat. Hoc vero negandum videtur, sive ad originem vocabuli (Etymologiam) attendimus animum, seu ad loquendi usum. Quae BUTTMANNUS [1]) de vocabulis in της disinentibus disputat, nobis nihil lucis afferunt. Magis iuvat comparatio Adiectivi θεῖος, cui STEPHANUS adscripsit: *Divinus, ad Deum pertinens.* Novus vero *Thesauri* editor his postposuit: „Quod tribus maxime modis dicitur, quos non discrevit HSt. Est enim vel, Deo s. diis proprius, vel, qualis Deorum est, vel, a Diis immissus." Et haec tria probantur locorum copia. Ergo Substantivum θειότης, quippe ex Adiectivo θεῖος ortum, idem etiam ac θεότης denotare posse necesse est. Haec autem conclusio inde gravitatem et pondus accipit, quod neutrum τὸ θεῖον, uti ipse iam STEPHANUS ostendit, haud raro *Numen divinum* seu *Deum* denotat. Quid? quod loci sunt, in quibus θειότης aliam non admittat notionem. Quae ex *Sap. Sal.* XVIII: 9, excitari solent: τὸν τῆς θειότητος νόμον ἐν ὁμονοίᾳ διέθεντο, nihil dubii relinquunt. Sed nemo rem, quantum novi, melius illustrat quam LUCIANUS, cui utrumque θεότης et θειότης usitatum fuit. Scripsit igitur [2]): Οὐδ' ἔμπαλιν — — τὸν μέν τινα πρῶτον θεὸν ἐπεκάλουν, τοῖς δὲ τὰ δεύτερα καὶ τρίτα ἔνεμον τῆς θεότητος. Jam nemo dubitabit, quin ἡ θεότης hic significet, quam supra cum FRITZSCHIO dixi, *Deitatem.* Ubi autem sic pergit auctor: Ἔτι δὲ οἱ μὲν

---

[1]) L. c. Tom. II. p. 324.

[2]) *Icaromen.* cap. 9. Opp. Tom. II. p. 760 REITZ.

ἀσώματόν τι καὶ ἄμορφον ἡγοῦντο εἶναι τὸ θεῖον, οἱ δὲ ὡς περὶ σώματος αὐτοῦ διενοοῦντο, eandem *Deitatem τὸ θεῖον* denotat. Alibi [1]) vero *ἡ θειότης* hanc etiam habet notionem, quum proponatur quaestio: *Πόσους τοίνυν οἰόμεθα τῶν Ἀλεξάνδρου φίλων παρὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπολαῦσαι τῆς Ἡφαιστίωνος θειότητος?* Haud temere igitur STUARTUS se, praeeunte KOPPIO, vulgari sententiae opposuit. Sed, quamvis inter se *θεότης* et *θειότης* non ita differunt, ut volunt VV. DD. fieri tamen potest, ut Substantivum *θειότης*, aeque atque Adiectivum *θεῖος*, *qualitatem* Dei significet, et quidem *maiestatem Divinam*. Et vocabulo illo hîc cum FRITZSCHIO, MAIERO, aliis ita Latine reddendo neque a STUARTO longe discedemus, neque a KÖLLNERO, MEIIERO, WETTIO et plerisque, qui *complexum proprietatum Divinarum* significari putarunt. Dei aut *bonitatem*, aut *sanctitatem* intelligere, quod nonnullis placuit, ab orationis argumento abhorret. Pronomen autem *αὐτοῦ* quum ad utrumque vocabulum referri debeat, verba sic interpretanda puto: *eius*, nempe, *et aeterna potentia et divina maiestas*.

Iam conclusio orationis: *εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους* plerique, CHRYSOSTOMO duce, interpretantur: *ita ut sint illi inexcusabiles*. ERASMUS vero, CALVINUS, BEZA, BENGELIUS, MEIIERUS consilium Dei proponi existimantes scribi iubent: *ut* (sermone vernaculo *opdat*) *sint* (vel *essent*) *illi inexcusabiles*. Hoc sibi displicere ait RÜCKERTUS propterea, quod formula illa

---

[1]) *Calumn. non tem. cred.* cap. 17. Tom. III. p. 149.

pendeat a verbo *καθορᾶται*, quod nullam Dii faciat mentionem. At scite monuit MEIIERUS, Apostolum, quum verbo illo uteretur, in mente habuisse Deum, qui ipse se rebus externis manifestaret. Orationi autem cogitando addendum esse *propterea quod morum pravitate adstricti coecos se faciant*, cogi potest ex Pronomine *αὐτούς*, quo tanquam digito monstrantur homines vs. 18 notati. Et praecedentibus sic repetendis in huius interpretationis fautores neutiquam cadit reprehensio BAUMGARTEN-CRUSII aliorumque, ac si PAULUM dicentem faciant, Deum naturam suam omnibus manifestasse, *ut omnes punire posset*. Sed si optio datur duarum interpretandi rationum, quarum altera tali supplemento indigeat, altera omne respuat supplementum, haec illi, ceteris paribus, praeferenda est. In PAULI vero oratione non video, quomodo sequentia: *Διότι γνόντες τὸν Θεόν* aliter quam vi verbis inferenda explicare possimus, nisi praecedentia interpretamur: *ita ut sint illi inexcusabiles*. Et interpretes satis multos locos attulere ad probandum, Praepositione *εἰς consequentiam* indicare posse. Verumtamen celare nolo, locorum illorum, si paulo penitius lustrentur, alios ambiguos videri, alios contrariae sententiae faventes, uti *Luc.* V: 17. *Rom.* IV: 18. VII: 4, 5. XII: 3. 2 *Cor.* VIII: 6.

Vers. 21.

Utroquoque modo conclusio praecedens intelligatur, sive *ἐκβατικῶς* seu *τελικῶς*, hunc vs. arcte cum ea cohaerere, MEIIERUS haud secus agnovit ac quivis ho-

rum dierum interpres. Mihi PAULUS progredi videtur ad alterum, quod verbis τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων inest, exponendum. Impietatem dico hominum, qui, communes sibique inditas notiones morum pravitate opprimentes, Dei potentiam et maiestatem rebus adspectabilibus manifestari non videant. Itaque Colon in Editione Recepta versui 20 subiectum, pro quo GRIESBACHIUS, VATERUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS Punctum posuerunt, restituendum est, vel potius cum LACHMANNO et TISCHENDORFIO in Comma mutandum. Praeterea sine Commate scribenda arbitror verba: *Διότι γνόντες τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν,* ut ab illis ipsis et nuperrime etiam a TURNERO [1]) factum est. Ergo haec uno tenore legantur et vocabula *τὸν Θεόν* haud secus ad verbum *ἐδόξασαν,* quam ad Participium *γνόντες* referantur: quam Breviloquentiam usitatissimam esse novimus [2]). Verbum *εὐχαριστεῖν,* quod sequitur, haud raro exstat sine Dativo, uti 1 *Cor.* X: 30. XIV: 17. 2 *Cor.* I: 11. *Eph.* I: 16. Sed ad veterum librorum fidem scribendum est ἢ ηὐχαρίστησαν, non vero εὐχαρίστησαν, quod debetur librariis corrigendi studio deceptis, quum putarent, hoc verbum, quod post εὐ Consonantem habet,

---

[1]) *The Epistle to the Romans, in Greek and English. New York* 1853. Libri usum humanitati debeo viri optime meriti THOMAE HARTWELL HORNE, sed eum accepi demum, postquam magna huius Fasciculi pars typis iam expressa erat.

[2]) Vide *Matth.* XXVI: 57. *Marc.* XV: 1. *Luc.* XXII: 54. *Ioann.* XIX: 16, quibus quoque in locis interpositum Comma tollendum est. Addantur *Matth.* XXVII: 2. *Luc.* IX. 11. *Act.* XIII. 48. XXI: 20. 1 *Petr.* II: 12.

Augmento carere [1]). Apostolus autem si plena oratione usus esset, legeremus: *Διότι τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ ηὐχαρίστησαν αὐτῷ, καίπερ γνόντες αὐτόν.* Recte enim RÜCKERTUS Participio *γνόντες* concessionem significari monuit. Recte itidem, contra FRITZSCHIUM aliosque disputans, vocibus *τὸν Θεόν* suam inque PAULI scriptis constantem vindicavit *veri Dei* notionem. Rursus vero ille non iniuste a FRITZSCHIO reprehenditur, quod Apostolum cognitionem spectasse contendit, quam, secundum Geneseos librum, homines habuissent antiquissimi. Nam sontes non sunt nepotes, quorum maiores sua se culpa Dei cognitione destituerunt, sed tum demum inexcusabiles sunt, si ipsi se morum pravitate obcoecant. Et orationis tanquam filum abscinditur, nisi Aoristum *γνόντες* ita interpretamur, ut respondeat Praesenti *καθορᾶται*. Quapropter cum KÖLLNERO, FRITZSCHIO, MEIJERO, WETTIO, REITHMAYRO non scribendum est: *quamvis cognoverant;* sed cum PHILIPPO aliisque: *quamvis cognoscebant.* Quod quidem cum PELAGIO adeo extenuare nolo ut interpreter: *quamvis cognoscere poterant,* nec tamen auctor sibi voluit, gentes exteras revera cognitionem Dei possedisse. Aliis enim in Epistolis, uti *Gal.* IV: 8, 9. *Eph.* II: 12. 2 *Thess.* I: 8, hoc implicite vel aperte negavit. Sed Participium *γνόντες* eodem modo explicare debemus ac praecedentia *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ* cet. ipsumque verbum *καθορᾶται*. Ergo, ut sibi constet oratio, PAULUM faciamus dicentem, *cognitionem Dei hominibus propositam*

---

[1]) Cff. BUTTMANN, *Griech. Gramm.* Ed. 8. p. 167. WINER, p. 81, 82.

esse, vel *iis a parte Dei datam*, ut summatim MICHELSENIO, OLTRAMARIO, STUARTO, TURNERO placuit. Iam videamus, quomodo intelligenda sint sequentia τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ ηὐχαρίστησαν. Duarum notionum, quas, WYTTENBACHIO iudice [1]), Verbum δοξάζω aeque ac Substantivum δόξα habet, altera in *laudando* cernitur. Haec autem, quum in N. T. vulgaris sit, minus recte WETTIUS, KREHLIUS, MAIERUS aliique pro ea substituerunt *religiose* vel *mente colere*, quod sane non probari potest comparando *Sir*. VII: 27, ubi ante Imperativum δόξασον legimus ἐν ὅλῃ καρδίᾳ, cuiusmodi nihil hoc loco exstat. Nec tamen necesse est nobis *laudes* tantum proponere, *quae ore celebrantur*. Verbum enim δοξάζω haud raro, uti 1 *Cor*. VI: 20, significat *laudare facto*. Eodem spectant illa *Dan*. V: 23. XI: 38 et alia. Quidni igitur cum REICHIO aliisque Aoristum ἐδόξασαν ita interpretemur, ut *qualemcunque Dei laudationem* comprehendat? Similiter altero ηὐχαρίστησαν, quamvis illud vertendo reddendum esse *gratias agebant* ESTIO largior, *quaelibet* tamen, uti Cap. XIV: 6. XVI: 4, comprehendatur *grati animi testificatio*. Hoc vero quum illo aliquanto maius sit, auctor interposuit voculam ἤ, quae etiam *Luc*. XVIII: 11. XXII: 68. *Phil*. III: 12 Particulam negantem excipit ad Gradationem faciendam. Paulo aliter MEIIERUS, quem sequitur OLTRAMARIUS.

Quid gentes ad hanc impietatem impulerit, Apostolus docet scribendo ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς

---

[1]) *Ad* PLATONIS *Phaedon*. p. 163. Cf. BUDAEUS, *Comment. ling. Graec*. p. 506, 507.

διαλογισμοῖς αὐτῶν. FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, MEIJERUS, WETTIUS, STUARTUS, PHILIPPUS alii vocabulum *διαλογισμοί* interpretari malunt *cogitationes*, quam *ratiocinationes*, quod ERASMO, VATABLO, ESTIO, BEZAE placuit; sed leviora sunt, quibus interpretationem suam tueri conantur. Immo si *cogitationis* notionem non admittunt *Luc.* V: 22. coll. vs. 21. IX: 46 et 47. XXIV: 38. *Rom.* XIV: 1. *Phil.* II: 14, sed *ratiocinationis* notio vel *dubitationis*, quae ei similis est, ibi requiritur, ceterisque N. T. locis, ubi hoc vocabulum in Plurali vel in Singulari exstat, accommodata est [1]), gravis in eo cernitur causa, cur hîc quoque scribatur *in suis ratiocinationibus.* Atque hoc commendari vocabulis *ἀσύνετος* et *σοφοί* infra sequentibus videbit, quisquis locos allatos aliosque, in quibus legimus *διαλογισμός* vel *διαλογισμοί*, inspexerit. Nec notare necesse est, eo non secus significari mentis actiones quibusvis hominibus communes, quam Syllogismos Philosophos. Recte igitur KREHLIUS et OLTRAMARIUS *ratiocinationum* notionem revocarunt. Praecedens *ἐματαιώθησαν* Apostolus ab interprete Alex. V. T. mutuatus est, qui deorum falsorum cultum seu Idololatriam eo proponit 2 *Reg.* XVII: 15. et *Jer.* II: 5, quos locos GROTIUS etiam attulit, et alibi [2]). Sed quominus eum dicentem faciam: *dediderunt se vanitati* seu *Idololatriae*, quod STUARTUS non improbabile iudicat, me impediunt connexa *ἐν τοῖς διαλογισμοῖς*. Instituta vero comparatione verborum 1 *Cor.* III: 20 Graeca Latine explicare praestat: *sed*

---

[1]) Cff. disputata ad *Phil.* II: 14, ubi WETTIUS ipse meam probavit interpretationem.

[2]) Vid. KEUCHEN. *Annot. in omnes N. T. libros* ad h. l.

vanis se dediderunt ratiocinationibus; quo et evitatur occupatio argumenti, quod infra vs. 23 demum attingitur, et sententia exhibetur concinne praeparans sequentem: *καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία.* Hanc autem a PAULO superiori adiectam esse, nemo mirabitur, qui animadverterit, in N T. haud raro una cum *διαλογισμοῖς* memorari *τὴν καρδίαν* [1]). Quid vero hîc vocabulum *καρδία* significet, si minus ex uno alteroque apparet loco, ubi cum *διαλογισμοῖς* coniunctum est, luculenter certe, ut post alios vidit REITHMAYRUS, docet Adiectivum *ἀσύνετος, intelligendi facultatem* seu *mentem* proponi. Ergo Apostolus sibi voluisse videtur: *Et his ratiocinationibus mens eorum insipiens prorsus obscurata est.* Atque sic in luce ponitur Gradatio, quam FRITZSCHIUS, MEIIERUS, PHILIPPUS alii his verbis inesse monuerunt.

Vers. 22, 23.

Quod postremum figurate proposuit, nunc auctor proprie dicit, idem tamen non omnino repetens: *φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν.* Verbum *φάσκειν*, quod HESYCHIUS et SUIDAS interpretantur *λέγω*, significare solet *dicere, quod non ita est* vel *esse videtur,* ut satis probant loci veterum allati a RAPHELIO, KYPKIO, PALAIRETO [2]), WETSTENIO [3]). Convenit cum eo Latinum

[1]) Vide *Matth.* XV: 19. *Marc.* VII: 21. *Luc* V: 22. IX: 46, 47. XXIV: 38,

[2]) *Observat. Phil.-crit. in Sacros N. T. libros* ad h. l.

[3]) Cff. loci ex HOMERO congesti in DUNCANI *Nov. Lex. Graec.* Ed. ROSTIO ad h. v.

perhibere, Vernaculum *beweren*. KREHLIUS auctori hanc mentem tribuit: *opinando, se sapientiae possessores esse*, quod iam ERASMO, VATABLO, COCCEIO, aliis placuit. Sed bene WETTIUS animadvertit, Apodosin Protasi oppositam esse, non altera niti alteram. Et hoc sibi volens Apostolus probabiliter, ut ex 1 *Cor.* III: 18 intelligimus, scripsisset *δοκοῦντες εἶναι σοφοί.* Ergo Graeca Latine non reddenda sunt: *quum se sapientes esse perhiberent*, sed *quum se sapientes esse perhibebant. Philosophos* hoc effato carpi, plerique ab antiquo putarunt interpretes: sic vero PAULUM propositi sui, *gentes exteras* generatim spectantis, fecerunt immemorem. Immo in omnes illas gentes auctor transtulit quod imprimis Graecorum erat, qui ceteris hominibus stuporem obiiciebant eosque barbariei nota insigniebant. Verbum *ἐμωράνθησαν* si cum Vulgata interpretamur *stulti facti sunt*, rationem habemus Aoristorum praecedentium, etiam postremi *ἐσκοτίσθη*, quo idem figurate proponitur, quod hoc verbo proprie. Hanc interpretationem commendat etiam 1 *Cor.* I: 20. Utrumque vero obstat iis, qui cum BAUMGARTEN-CRUSIO scribere malunt *stulte se gesserunt*, nec habent illi, quo se tueantur. Iure igitur suo MEIJERUS vulgarem sententiam defendit, et recte etiam monuit, hunc versum sibi constare nec pendere a Particula praecedente *διότι*, ut GLÖCKLERUS opinatus est. Quare mutata distinctione Punctum ei praeponi debet.

Sed pro Puncto, quod in Editione Recepta Verbo *ἐμωράνθησαν* subiectum est, cum GRIESBACHIO aliisque editoribus Comma substituatur vel potius distinguendi nota plane tollatur. Summa enim Gentibus exteris obiecta stultitia continuo PAULUS declarat, quam

turpibus impietatis indiciis homines eam prodiderint. Ergo iis hanc accusationem scribit: *Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ* cet. Inter se disputant VV. DD. Verbumne *ἤλλαξαν* vertendo reddendum sit *mutabant*, an *permutabant*. Hoc illi praefertur a plerisque, alterum a REICHIO, KLEEIO, OLTRAMARIO, nonnullis aliis. Verbum *ἀλλάσσειν*, quod nihil aliud denotat quam *mutare*, si notionem *permutandi* accepit, hanc accipere non potest nisi ab adiunctis. Iam ut sciamus, an illud hoc in loco fiat, frustra consulentur Graecorum scripta, in quibus ad *permutationem* significandam, nusquam, quantum novi, reperitur *ἀλλάσσειν τὶ ἔν τινί*, nisi apud SOPHOCL. ubi legimus: *φῶς ἀλλάξαι ἐν χαλκοδέτοις αὐλαῖς* [1]), sed ubique, ut monent Grammatici [2]), *ἀλλάσσειν τί τινος*, vel *τὶ ἀντί τινος*, vel *τί τινι*. Triplicis huius formae exempla etiam dat interpres Alex. *Lev.* XXVII: 10. 3 *Macc.* I: 29. *Sir.* VII: 18. Hîc, nempe, ducibus *Cod. Alex.* et *Ed. Complut.* delendum videtur vocabulum *ἕνεκεν*, ut legatur tantum: *Μὴ ἀλλάξῃς φίλον αδιαφόροις.* Sed magis in censum venit alterum membrum: *μήδ' ἀδελφὸν γνήσιον ἐν χρυσίῳ Σουφείρ* (*χρυσίοις Ὠφείρ?*) [3]). Imprimis vero comparari debet *Psalm.* CVI: 20, ubi Israëlitarum superstitio in deserto sic describitur: *Καὶ ἠλλάξαντο τὴν δόξαν αὐτῶν ἐν ὁμοιώματι μόσχου ἔσθοντος χόρτον,* quod hîc Apostolus sine dubio imitatus est. Nec tamen ibi satis praesidii est interpretibus, quorum alii

---

[1]) *Ant.* vs. 936 sq.

[2]) MATTH. Tom. II. p. 843 sqq. BERNHARD. p. 177 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 200, 201. Ibi videbis, nonnunquam etiam sequi *πρός τι*.

[3]) Cf. BRETSCHN. ad h. l.

in PAULI oratione Praepositionem ἐν pro εἰς positam esse aiunt, alii ei vim instrumentalem tribuunt, ut Latine scribendum sit *per simile* vel *simili*. Hic nempe locus inter eos recensendus est, in quibus Particula ἐν per Breviloquentiam usurpatur ad denotandam *quietem*, quae ex *motu* oritur [1]). Quod quadrat etiam in locos supra excitatos. Fortasse ab auctoris mente non aberrabimus interpretando: *Et ita mutabant gloriam Dei corruptelae expertis, ut ponerent eam in simili*. Sensus vero orationis eodem redibit, si quis interpretari maluerit: *Et permutabant g. D. c. e. simili*. Reapse igitur levioris ponderis est disputatio de notione Verbi ἀλλάσσω, dummodo constet, utra *mutatio* vel *permutatio* significetur, quae tantum *cogitando*, an quae *agendo* facta sit. *Dei* quidem *maiestas*, quam cum FRITZSCHIO aliisque vocabulo δόξαν significari puto, *mutationem* seu *permutationem* subire nequit. Sed quaestio est, utrum PAULUS reprehenderit, tantumne homines se opinione decepisse, an vero eos fecisse, quo pravam suam opinionem proderent. Et cum ERASMO, VATABLO, COCCEIO multi fuerunt, qui huic illud praeferre viderentur. Atqui duo esse censeo argumenta, quae hoc illo probabilius faciant. Alterum cernitur in *Psalm*. CVI: 20, ubi vituli aurei *fabricatio* traditur. Alterum vs. 25 praebet reprehensio superstitionis patratae, quam praecedat necesse est notatio, simulacra, quae superstitiose colerentur, fabrefacta esse. Itaque Apostolus sibi voluisse videtur *et* (coram hominibus) *dedecorabant maiestatem Dei corruptelae expertis, fabricantes pro ea simile*.

Quod vero de hoc simili scripsit auctor, dubito, an

---

[1]) Cf. WINER. p. 490 coll. 464.

VV. DD. ab omni parte intellexerint. Eum cum Substantivo *Θεοῦ* Adiectivum *ἀφθάρτου* coniunxisse, quia in mente iam haberet oppositum *φθαρτοῦ*, nemo inficiabitur. Antithesis itidem, quae in formulis *ἡ δόξα τοῦ Θεοῦ* et *ὁμοίωμα εἰκόνος ἀνθρώπου* cernitur, cuivis conspicua est. Sed causa, cur connexa sint *ὁμοίωμα εἰκόνος*, interpretes latuisse videtur. Plerique, quibus THOLUCKIUS, RÜCKERTUS, STUARTUS, PALMIUS, WETTIUS, MAIERUS assentiuntur, illud explicant *εἰκὼν ὁμοία;* OLTRAMARIUS, improbato vulgari, *εἰκὼν ὁμοία εἰκόνι.* FLATTUS, KÖLLNERUS, alii, praeeunte iam SUIDA, vocabula *ὁμοίωμα* et *εἰκών* idem denotare monent. Multo melius FRITZSCHIUS, MEIIERUS, PHILIPPUS, et quidem duce GROTIO, qui interpretatur *figura, quae apparet in simulacro.* Omnes autem, nisi fallor, Genitivos *πετεινῶν, τετραπόδων* et *ἑρπετῶν,* haud secus quam connexum *ἀνθρώπου,* pendentes faciunt a superiori *εἰκόνος,* quo PAULUS inducitur animalibus et homini pariter *εἰκόνα* attribuens. Praecesserunt THEODORETUS, THEOPHYLACTUS, alii veterum, ipse CHRYSOSTOMUS, qui ad vocabula *ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου* notavit: *Καὶ οὐδὲ ἐνταῦθα ἔστησαν, ἀλλὰ καὶ εἰς κνώδαλα κατηνέχθησαν, μᾶλλον δὲ καὶ εἰς τούτων εἰκόνας.* Quid vero, si Genitivos illos non a proximo *εἰκόνος,* sed a remotiore *ὁμοιώματι* pendere dixero? Hoc posito ad solum hominem refertur *εἰκών,* ad volucres, et quadrupedes, et serpentes nihil aliud quam *ὁμοίωμα.* Et sane, ut carent bruta facie illa, cuius notis homo ab homine discernitur, sic iis in N. T. nusquam *εἰκών* tribuitur, nisi in oratione Symbolica *Apoc.* XIII: 14, 15 cet. ubi propterea legimus *ἡ εἰκὼν τοῦ θηρίου,* quod vocabulo *θηρίον* plus denotatur

quam mera bestia. Neque in V. T. me locum reperire memini, in quo ἡ εἰκών de animalibus usurpetur. Contra *Deut.* IV: 16 sqq. homines, mas et femina, a brutis ita distinguuntur, ut haec tantum ὁμοίωμα, illi vero etiam εἰκόνα habere dicantur [1]). Graecorum quid ferant scripta, pervestigare nunc nihil attinet. Silentio tamen praetereunda non sunt verba AMMONII [2]): Εἰκὼν καὶ προτομὴ διαφέρει. Εἰκὼν μὲν γάρ ἐστιν ἐπ' ἀνθρώπου, προτομὴ δὲ λέοντος καὶ ἵππου καὶ τῶν ἄλλων. Nec negligi meretur quod PLUTARCHUS de NUMA scripsit [3]): Διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίοις νομίζειν. Sed in PAULI oratione structurae propositae insigniter favet usus Singularis εἰκόνος, quod Singulari φθαρτοῦ ἀνθρώπου bene convenit, Plurali πετεινῶν non item. Itaque mens auctoris esse videtur: *in simili, quod repraesentat hominis corruptelae obnoxii imaginem, et volucres, et quadrupedes, et serpentes.* Graeca vero Latinum in sermonem ita ad verbum transferri nequeunt, ut lectores vim eorum intelligant aeque atque in vernaculo: *in eene gelijkenis van een beeld eens verderfelijken menschen, en van vogels* cet. PAULUS autem id non egit, ut Idololatriae historiam exponeret, aut singula eius genera recenseret, prouti ab antiquo inter homines regnavissent, sed horrendae superstitionis tantum attigit species, quae suo tempore inter gentes sibi cognitas maxime in oculos incurrebant. Hac de re si quis plura legere cupit, adeat GROTIUM, WETSTENIUM, GREVIUM, REICHIUM, alios.

---

[1]) Cff. *Ezech.* XVI: 17. *Sap. Sal.* XIII: 13, 14.
[2]) *De adfin. vocab. different.* p. 46, 47. VALCKEN.
[3]) *Vit. parall.* p. 65. XYL.

Vers. 24.

Nunc PAULUS convenienter proposito suo (vs. 18) lectoribus ostendit, quomodo Deus impietatem hominum, qui se morum pravitate occoecarent, poenis suis persecutus sit. Quod usque ad finem Capitis ita peragit, ut semel iterumque, quae scriptionis popularis libertas est, ad gentium impietatem redeat, quippe vitiorum et flagitiorum, quorum servos se fecerint, fontem et originem. Secundum Editionem Receptam sic incipit: *Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεός.* Coniunctio vero *καί* utrum genuina an spuria sit, lis est inter VV. DD. nondum composita. Si quis, veterum testimoniis fretus, eam aliunde hunc in locum importatam et, LACHMANNO duce, delendam esse dicit, nihil dicit a probabili abhorrens. Nec minus tamen probabile est, librarios Particulam omisisse, quia eam supervacaneam haberent. Quam congrua autem, ut BEZA imprimis monuit, orationi sit, intelligemus facile interpretando: *Propterea etiam* i. e. *pro sua parte Deus*, quemadmodum *καί* explicari debet *Phil.* II: 9 aliisque locis. Verbo *παρέδωκεν* alienam *relinquendi* vel *permittendi* notionem obtruserunt CHRYSOSTOMUS, PELAGIUS multique interpretes antiquioris et recentioris memoriae. Hodie enim scribendum esse constat *tradidit eos* i. e. *fecit, ut inciderent in.* Aoristo autem, ut recte etiam monet OLTRAMARIUS, haud secus significatur quod Deus *agere pergit*, quam quod *egit antea.*

De sequentibus *ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις*, nostra etiam aetate, acrius disputatum est. KOPPIUS et ROSENMULLERUS dubitarunt, utrum pro *κατὰ τὰς ἐπιθυμίας*,

an pro εἰς τὰς ἐπιθυμίας sumi debeant; sed nulla dubitandi causa est, quin utrumque falsum sit. Luculenter enim ex vss. 26 et 28 apparet, vocabula εἰς ἀκαθαρσίαν cum Verbo παρέδωκεν connectenda esse, uti haec structura *Rom.* VI: 17. 2 *Cor.* IV: 11 et alibi commendatur. Hinc vero sequitur, praecedentia, ad Dativum circumscribendum, cum Verbo παρέδωκεν connecti non posse, nisi duabus Praepositionibus, quarum altera alteram excludit, eandem notionem affingere velimus cum VATABLO, CALVINO, BEZA, THOLUCKIO etiam, sed qui errorem suum postea correxit. Nec praetermittendum est, Verbo παραδιδόναι, ad indicandum illud, cui persona vel res tradita sit, in PAULI scriptis nusquam Praepositionem ἐν, sed ubique merum Dativum subiici, uti 1 *Cor.* V: 5. *Eph.* IV: 19. 1 *Tim.* I: 20, quibus ex locis simul intelligimus, loquendi usum postulare, ut iungamus παρέδωκεν εἰς ἀκαθαρσίαν. Rectissime FRITZSCHIUS, MEIIERUS, etiam RÜCKERTUS et plerique recentiorum interpretum auctorem orationi inseruisse putarunt ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν, ut conditionem proponeret, in qua homines Divinitus traditi essent εἰς ἀκαθαρσίαν. Haec autem si per Commata a circumiectis seiunguntur, levior quoque esse deprehenditur sententia, Particulam ἐν pro κατὰ positam esse; nec vero opus est Graeca aut in Latina: *per cupiditates cordum suorum* convertere, aut in vernacula: *bij de begeerten;* quorum alterum BOEHMIO et KREHLIO, alterum FRITZSCHIO et PHILIPPO placuit. Utique, si cum REICHIO, MEIIERO, WETTIO aliisque scribimus: *in cupiditatibus* cet. nihil est, quod difficultatem pariat. His enim explicatis: *quum cordum suorum cupi-*

ditatibus ducerentur, sine damno carebimus Participio ὄντα, quod nonnulli, uti WOLFIUS, orationi adiecerunt. Similiter vs. 27 videbimus explicanda esse verba ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν [1]). Plurali autem ἐπιθυμίαι *pravos rerum in sensus cadentium appetitus* denotari, quisque sua sponte intelligit [2]).

Itaque, quum tales essent homines, Divinitus eo traditi esse dicuntur, *ut impuri fierent*. Sic enim verba εἰς ἀκαθαρσίαν cum FRITZSCHIO interpretanda videntur. Quamvis autem ea impudicitiam spectant, hanc tamen magis expresse (cf. 1 *Thess.* II: 3.) significant sequentia: τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς, quibus tria insunt diligenter excutienda. Prima quaestio est, utrum Articulus τοῦ a Substantivo ἀκαθαρσίαν pendeat, an a tota oratione praecedente, ut vel *eventum*, vel *consilium* proponatur. Huic illud praeter alios praetulit WINERUS [3]), quem KREHLIUS et MAIERUS hoc nomine laudarunt. Et ad causam suam tuendam excitavit *Rom.* XV: 23 et 1 *Cor.* IX: 6, item *Rom.* VIII: 12 et *Luc.* I: 73. Sed quatuor illis locis nullus inest, in quo Articulus τοῦ merum eventum significet aut explicari debeat *ita ut* vel similiter. Et vulgo saltem hoc Genitivo *consilium* denotari, ipse Vir Doctus multis probavit exemplis. Neque inde, quod Genitivus alibi a Nominibus ἐπιπόθια et ἐξουσία pendet, sequitur, eum hîc quoque pendere posse a vocabulo ἀκαθαρσία, cuius notio talis est, ut post se Casum illum non admittat. Quod haud scio an senserit FRITZ-

---

[1]) Cff. WINER. p. 494 sqq. BERNHARD. p. 209 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 275.

[2]) Cf. REINHARDUS, *Opusc. Acad.* Vol. II. p. 145. sqq.

[3]) L. c. p. 378.

SCHIUS, quum mira repetitione vocabuli ἀκαθαρσίαν hanc structuram munire conaretur. Multo tutius est Articulum τοῦ cum RÜCKERTO, MEIIERO, PHILIPPO ad totam orationem praecedentem referre et *consilium* intelligere, quemadmodum in simili loco *Act.* XIII: 47. Haec enim interpretatio, ut loquendi usu nititur, ita orationis argumento magis accommodata est quam altera. Nunc videamus, quale Verbum ἀτιμάζεσθαι sit, Passivum an Medium. Si quid GROTII, CALVINI, LUTHERI, ERASMI et totius fere antiquitatis valet auctoritas, recte illud MEIIERUS, GLÖCKLERUS, OLTRAMARIUS *Medium* esse dixerunt. Contrarium autem eo, quod Medium tale nusquam reperiri potuit, non satis probatur, nisi plus quam par est tribuere volumus argumento, quo omnia simul ἅπαξ λεγόμενα condemnantur. Et quum hoc Verbum ad classem pertineat, quae Mediam formam non respuit [1]), audacius videtur difficultatem in eo quaerere, quod non gravatus est CHRYSOSTOMUS. Rursus vero animadvertendum est, sententiae, quam hac nostra aetate, duce maxime BEZA, plerique secuti sunt, hoc Verbum *Passivum* esse, praeter *Act.* V: 41, tam in V. T. quam alibi, ingentem favere locorum copiam. Deinde formula πάθη ἀτιμίας, ut bene vidit PHILIPPUS, indicio esse videtur, in eo non Medium cerni, sed Passivum. Nec minus recte REICHIUS, auctorem, si illud Medium habuisset, scripturum fuisse monet ἀτιμάζεσθαι αὑτούς. Quominus adspiratum αὑτῶν in αὐτῶν mutetur, ut iam in CHRYSOSTOMI aliorumque veterum editione le-

---

[1]) BUTTMANN, *Ausf. Gr. Sprachl.* Tom. II. p. 34. coll. 363.

gitur, nihil est quod impediat. *Pragmatismo* autem, quem dicit MEIJERUS, Passivum quoque non obstare, apparebit ex interpretatione verborum *ἐν ἑαυτοῖς*, quae tertiam pepererunt litem. Haud sine omni causa plerique, etiam REITHMAYRUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, ea vertendo reddiderunt *erga se invicem* vel similiter. Sed ne nunc moveam quaestionem, ubinam formulae *ἐν ἑαυτοῖς* et *ἐν ἀλλήλοις* permutari possint [1]), hoc saltem loco cum GLÖCKLERO, REICHIO, KÖLLNERO, MEIJERO, OLTRAMARIO scribendum est *in se ipsis*, uti 2 *Cor.* I: 9 *in nobis ipsi.* Non solum enim a vs. 24 abhorret permutatio formularum, quae vs. 27 probe distinctae sunt; sed orationis, quae homines proponit suae impietatis poena affectos, etiam turbatur series, si ad flagitia transfertur in alios commissa. Itaque ad verbum interpretor: *ut dedecorarentur corpora eorum in se ipsis.* Et sic quidem PAULUS de industria scripsisse videtur, ab obscoeno genitalium abusu, quo *se ipsi* ab antiquo et mares et foeminae *polluerunt*, impudicitiae species recensere incipiens [2]).

Si quis rogat, cur hac in vitiositate exagitanda tanta Apostoli fuerit ubertas, in promtu est, quod PHILIPPO aliisque ducibus respondeam. Ut enim ab antiquo gentes hac in lascivia multo effusiores fuerunt quam in ulla alia, sic sua sibi impietate, qua Dei maiestatem brutorum imaginibus assimilabant, huius probri maculam maxime attraxerunt. Ubi autem dicit PAULUS, ipsum fecisse Deum, ut in haec aliaque

---

[1]) Cff. disput. ad *Phil.* II: 12.

[2]) Cf. omnino REINHARDUS, *System der Christlichen Moral.* Ed. V. Tom. I. p. 556.

flagitia inciderent, longum sit enarrare, quam vario modo illud acceperint interpretes. Sed meam qualemcunque sententiam breviter explicare oportet. Ergo tantum, nisi fallor, abest, ut auctor cum lectoribus aliquid communicet absconditi, ut eorum in memoriam solum revocet experientiae testimonium. Iam id Divinitus factum esse aiens, ut gentes ad impietatis suae poenas luendas cupiditatibus suis servirent, neutiquam peccatorum culpam in Deum convertit, neque aliud Iudaeorum commentum Deo indignum promit, neque absolutae, quam vocant, Praedestinationis doctrinam defendit, et ne vel a priori, uti dici solet, de Providentiae Divinae rationibus disputat; sed quod a posteriori patet et clara voce omnis loquitur historia, populariter exponit, peccando magis magisque peccata ingruisse. Hoc vero quum Deo tribuat huius mundi gubernatori, iustissimum eius regimen nihil aliud egisse docet, quam ut, vitiis ex vitiorum semine nascentibus, eventum sortiretur quod leges naturae ferrent. Propterea neminem simpliciter a Deo impudicitiae aliisque flagitiis traditum esse vult, sed insanum quemvis, qui cupiditatibus cordis sui se dedisset, quod studiose inter verba *παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀκαθαρσίαν* interposuit. Quum autem ex mali moralis odio hanc Dei actionem explicet, perspicue simul significat, consilium Summo Numini non fuisse puniendi, multo minus peccata augendi, sed sontes ad poenitentiam convertendi. Quod certe ei hoc loco ante oculos fuisse necesse est, quoniam praecedit doctrina, unicuique, qui Euangelio fidem habeat, salutis viam patere. Hoc autem nunc scripsit, ut Romani etiam animadverterent bonitatem Dei, quae ita egisset, ut

homines, miseriae suae sensu commoti, Euangelio fidem haberent et ex turpissima sua servitute liberarentur.

Vers. 25.

Obscoeno sui ipsius polluendi more memorato Apostolus redit ad causam impudicitiae exponendam. Sed ut supra insana simulacrorum fabricatio ab eo reprehensa est, sic hoc loco impietatem reprehendit, quam simulacris illis Divino honore prosequendis gentes committebant. Orationem arcte cum praecedenti connectit Pronomen *οἵτινες* i. e. *quippe qui*, ut scripsit PHILIPPUS, quocum ceteri hodie consentiunt interpretes [1]). Eandem, quam vs. 23 vidimus, formam habet gentium accusatio: *μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει.* Cur vero auctor Composito *μετήλλαξαν* pro Simplici *ἤλλαξαν* usus sit, equidem ignoro. Utriusque enim notio eadem esse videtur. In verbis *τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ* hodie plerique, THEODORETI, GROTII aliorumque vestigia sequentes, Abstractum pro Concreto positum esse sumunt ad *verum Deum* significandum. Et libenter largior, eos ad mentem PAULI propius accedere, quam qui cum ESTIO et BENGELIO *veram Dei cognitionem*, aut cum WOLFIO et KÖLLNERO *veritatem a Deo manifestatam* seu *profectam*, aut cum KREHLIO *veritatem, quae ad Deum ducit* interpretantur. Haec enim propterea iam improbanda sunt, quod orationis similitudo postulat, ut formulas *τὴν δόξαν τοῦ*

---

[1]) Cff. disput. l. c. *Introit.* p 6.

Θεοῦ (vs. 23) et *τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ* eodem modo accipiamus. Sed hoc itidem iis obstat, qui Abstractum pro Concreto haberi iubent. Neque ullum, quantum novi, VV. DD. locum attulerunt, quo haec eorum probetur sententia. Praestat igitur retinere quod verba sonant, *veritatem Dei*, atque hoc explicare *veram Dei*, quae dicitur, *existentiam*. Quod reapse tamen eundem sensum praebere ac si scribamus *verum Deum*, MEIJERO, OLTRAMARIO, PHILIPPO concedendum est. Oppositis *ἐν τῷ ψεύδει*, *in mendacio*, significari *falsos Deos*, seu, ut ait GROTIUS, *imaginarios*, qui in *Ep. Ierem.* vs. 59 ter vocantur *οἱ ψευδεῖς Θεοί*, nemo sane negabit. Particulae autem *ἐν* si vs. 23 suam notionem mihi vindicare contigit, hoc loco DRUSIUS aliique, qui eam pro *εἰς* positam esse contendunt, audiri non merentur. Itaque PAULI sententia esse videtur: *quippe qui verum Deum tollentes Deos pro eo substituebant imaginarios.*

Quid vero hac ex impietate emanavit? *καὶ ἐσεβάσθησαν*, Inquit Apostolus, *καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.* Accusativum *τὴν κτίσιν*, quem sibi postulat Verbum *ἐσεβάσθησαν*, absorbuit Dativus iam auctori praesens, quum TERTIO suo dictabat *ἐλάτρευσαν*. Ita vs. 21 Verbum *ηὐχαρίστησαν* sine Dativo scriptum vidimus. Aoristi Passivi a Graecis etiam pro Medio usurpati exempla MADVIGIUS [1]) aliique copiose afferunt. Ipsum *ἐσεβάσθησαν* apud GREGOR. *Naz.* cum Accusativo et sine eo legitur [2]). Ceterum ad horum

---

[1]) L. c. p. 85.

[2]) *Orat. in Sanct. Lum.* Cap. VI et VII. Opp. Tom. I. p. 680, 681. *Bened.*

verborum interpretationem nihil aliud requiritur quam ut Particulae παρά suam constituamus notionem. Grammatici de eo inter se consentiunt, hanc Particulam πολύσημον esse [1]). Ergo hoc in loco VV. DD. ansam habuerunt ad eius potestatem ita definiendam, ut alii *iuxta*, alii *praeter*, alii *contra*, alii aliud scriberent, magis profecto anquirentes, quid significare possit, quam quid significare debeat. Pariter loquendi usus praesidio fuit interpretibus, qui vocabulum ad comparationem faciendam inservire et Latino *prae* respondere putabant. Quod, praeeuntibus Syro, Arabe Pol. et Vulgato, probarunt ERASMUS, VATABLUS, LUTHERUS, CALVINUS, GROTIUS, nuperrime WETTIUS, PHILIPPUS, STUARTUS, TURNERUS. Aperte confiteor, primo adspectu recte disputare MEIIERUM, OLTRAMARIUM, REITHMAYRUM aliosque aientes, comparationi obstare orationis argumentum. Plenam enim auctor hominum defectionem a Dei religione descripsit, non superstitionis initia, uti RÜCKERTUS ad vim contradictionis infringendam contendit. Sed omnis tollitur difficultas, si animadvertimus, Praepositionem παρά, ubi cum Latina *prae* conveniat, tam *dissimile* quam *simile* significare. Quod quum WETTIUS, PHILIPPUS aliique viderint, mirandum est, eos *Luc.* XIII: 2, 4. *Rom.* XIV: 5 pluresque excitasse locos, qui *simile* admittant. Magis in censum venit *Psalm.* CXXXV: 5, in quo ὁ Κύριος ἡμῶν magnus esse dicitur παρὰ πάντας τοὺς Θεούς. Imprimis attendendum est ad *Psalm.* XLV: 7, cuius verba παρὰ τοὺς μετόχους σου explicanda sunt *exclusis* vel

---

[1]) Omnes, quos vidi, hactenus secuti sunt BUDAEUM p. 335, 336.

praetermissis sociis tuis. Atque hoc sine dubio voluit auctor *Ep. ad Hebr.* I: 7, ubi ABRESCHIUS [1]), praeter alia minus opportuna, commemorat, quod ELEAZARUS apud EUSEBIUM [2]) Israëlitis *Aegypto* egressis a Deo mandatum monet, ut viverent *ἀπολελυμένοι ματαίων δοξῶν, τὸν μόνον Θεὸν καὶ δυνατὸν σεβόμενοι παρ' ὅλην τὴν [πᾶσαν] κτίσιν.* Haec autem quum eodem fere modo sonant ac PAULI oratio, perspicue docent, eum comparatione uti potuisse ad *dissimile* denotandum. Neque a Graecorum veterum more hoc alienum fuisse nobis ostendit XENOPHON [3]) scribendo: *Παρὰ τὰ ἄλλα ζῶα ὥσπερ Θεοὶ οἱ ἄνθρωποι βιοτεύουσι.* Sensus enim non est: *Magis quam cetera animalia Deorum instar vivunt homines,* sed: *Hactenus homines iis antecellunt, ut soli ita vivant* [4]). Addatur dictum ARISTOTELIS: [5]) *Νοῦν δέ τις εἰπὼν εἶναι, καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις, καὶ ἐν τῇ φύσει, τὸν αἴτιον καὶ τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως πάσης, οἷον νήφων ἐφάνη παρ' εἰκῇ λέγοντας τοὺς πρότερον,* ubi *eum solum,* qui ita iudicet, tanquam sobrium se exhibere ait, *antiquiores non item.* Quae quum ita sint, ex PAULI etiam oratione ad hanc notionem Praepositioni *παρά* vindicandam fidenter exemplum capio [6]). Et multo minus

---

[1]) *Paraphrasis et annotationum in Ep. ad Hebr. Spec.* I. p. 58.

[2]) *Praepar. Euang.* Lib. VIII. Cap. 9. p. 371. *Col.* 1688.

[3]) *Mem.* Lib. I. Cap. 4. § 14.

[4]) Sic verba etiam intellexisse reperi MATTH. Tom. II. p. 1380, 1381, et KÜHN. Tom. II. p. 305.

[5]) *Metaphys.* Lib. I. Cap. 3. Opp. Tom. II. p. 843. DUVALL.

[6]) Hactenus BOSIO apud ALBERT. *Gloss. Graec.* p. 167 assentior, ut Praepositioni *παρά* nusquam alibi a PAULO hanc notionem tribui statuam.

Latino *prae* uti vereor, quo certius est Romanos eo quoque *dissimile* significasse, ut ipse fecit CICERO scribens: *Romam — — prae sua Capua ac prae illis semitis irridebant* [1]). Sic igitur hoc vocabulum intelligens Graeca reddenda puto: *ei venerabantur et colebant creaturam prae Creatore* i. e. si minus barbara cum MUSCULO praeferuntur: *ea, quae condita sunt, prae eo, qui condidit.* Hanc autem interpretandi rationem non satis perpenderunt, qui, eam spernentes, cum BEZA, ESTIO aliisque scribendum iudicabant *praeterito creatore.* Quo in iudicio cerni videtur *confusio significationis et sensus,* siquidem lubenter largior, secundum rationem illam PAULI sententiam huc redire: *gentes huius mundi auctorem missum fecisse, ut Divino honore prosequerentur adspectabilia ab eo profecta.* Quod iam perspectum fuit ERASMO, qui Graecis expositis: *plus honoris habuerunt rebus creatis quam illi, qui creaverat,* excitavit verba, quibus HILARIUS [2]) usus est: *servierunt creaturae, praeterito creatore,* iisque adiecit: *pulcre sensum exprimens.*

Iam orationis serie neglecta Apostolus erumpit in laudationem Dei: ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. De Adiectivo Verbali εὐλογητὸς VV. DD. disputarunt, utrum *laudatum* significet, an *laudandum* sive *laude dignum.* Nostra memoria illud REICHIO, MEIIERO, WETTIO, STUARTO, OLTRAMARIO, PHILIPPO placuit, hoc THOLUCKIO, FRITZSCHIO, RÜCKERTO. Utra pars rem acu tetigerit, dictu haud difficile videtur. Vo-

---

[1]) Orat. *de leg. Agrar.* II. Cap. 35.

[2]) *De Trinitate.* Lib. XII. Cap. 3. Tom. I. p. 410. OBERTH.

cabulum εὐλογητός veteribus Graecis fuit incognitum, sed frequentatum est ab Alex. V. T. interprete. Et ubique fere illud de *Deo* usurpatum reperimus, paucis tantum in locis de *hominibus* vel de *eo quod hominum proprium est*, videlicet *Deut.* VII: 14. *Iud.* XVII: 2. 1 *Sam.* XV: 13, ubi tamen nonnulli libri habent εὐλογημένος [1]). Hoc vero Participium ad *homines* referri solet, neque ita crebro *Deum* vel *Divinum aliquid* spectat, uti 1 *Reg.* X: 9. 1 *Chron.* XVI: 36. *Psalm.* CXIII: 2. Utrumque ipse interpres *Gen.* XIV: 19, 20 distinxit scribendo: εὐλογημένος Ἄβραμ τῷ Θεῷ τῷ ὑψίστῳ, καὶ εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ ὕψιστος. Nimirum hactenus inter se differunt, ut Adiectivo Verbali denotetur *quod sibi constat*, Participio *quod aliunde pendet.* Huic adiunctum est vel adiungi potest Verbum γένοιτο, ἔστω, εἴη vel simile, *optandi* vel *imperandi* vim habens, illi vero non item. Quod autem nonnulli aiunt interpretes, haec vocabula aliquoties inter se permutata esse, nec probant ipsi, nec HARLESSUS [2]), ad quem provocant. In N. certe T. nullum huius permutationis cernitur vestigium. Ibi Adiectivum Verbale tantum *de Deo*, Participium tantum *de* CHRISTO *et hominibus* usurpatur. Sed cur longus sim? Otium mihi copiosa facit disputatio PHILONIS *Iudaei* [3]), cui nemo sane hac in quaestione aures praebere recusabit. Hic vero quum vocabulum εὐλογητός interpretetur εὐλογίας ἄξιος, equidem non dubito hoc loco Latine scri-

---

[1]) Cf. HOLMESII *Vet. Test. Gr.* cet. ad hh. ll.

[2]) *Comment.* ad *Eph.* I: 3.

[3]) *De Migr. Abrah.* Opp. Tom. I. p. 453 MANG. ubi disputatio PHILONIS eo nititur, quod *Gen.* XII: 2 legit ἔσῃ εὐλογητός.

bere *laudandus* vel *laude dignus*. Usu autem Doxologiae: *qui laudandus est in aeternum, amen*, PAULUS, ut bene notarunt THOLUCKIUS aliique, Orientales et Iudaeos imitatus est, quemadmodum plus semel alibi. Quid eum ad imitationem illam hoc loco moverit, haud pauci indagare conati sunt. „In medio," WETSTENIUS inquit, „sermone PAULUS testatur, quantopere Idololatriam aversetur." Fortasse in eo subsistendum est, nisi praestet ad nexum faciendum auctori suggerere cum CHRYSOSTOMO: ἀλλ' οὐ διὰ τοῦτό τι παρεβλάβη, *verum ne hoc quidem ei nocuit*, quae vel qualia GROTIUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS aliique probarunt.

Vs. 26, 27.

Recepto orationis filo impietatis, quas vs. 24 iam attigit, auctor nunc exponit poenas a gentibus datas. Ergo invehitur in libidinem naturae adversariam, qua homines se bestiis longe deteriores faciunt. Uno tamen alteroque huius generis flagitio perstringendo defungitur. Et interpres brevis sit oportet et circumspectus, ne denudentur, quae pudor verecunde obtegere iubeat. Sed ad mentem auctoris intelligendam copiosa quoque non requiritur interpretatio. Hoc versu foeminarum, sequenti marum turpitudo attingitur. Cur his illas praeposuerit auctor, sub iudice lis est. Ita certe non egisse videtur consentiens cum XENOPHONTE [1]), ubi ait: τὸ

---

[1]) *Rep. Lac.* Cap. III. § 5.

ἄῤῥεν φῦλον καὶ εἰς τὸ σωφρονεῖν ἰσχυρότερόν ἐστι τῶν τῆς θηλείας φύσεως. Fortasse movit eum, quae MEIJERI aliorumque coniectura est, cogitatio, nefandam venerem maxime abominandam in sexu esse, cui magis quam alteri natura pudorem ingenuerit. Sed utriusque distinctioni praemittit quod commune habent: *Διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας*, i. e. *propterea tradidit eos Deus turpibus, quibus concitarentur, affectibus.* Nam vocabulo *πάθη*, quod proprie medium, sed a PAULO aeque atque a Stoicis aliisque [1]) in malam partem usurpatum est, *affectus animi* significari, REVIUS [2]) iam bene monuit. *Turpes* affectus indicat Genitivus *ἀτιμίας* vocabulo *πάθη* subiectus, uti 1 *Thess.* IV : 5 Genitivus *ἐπιθυμίας*. Ceterum transitus, quo auctor utitur, similis est praecedentis vs. 24 et eodem modo interpretandus.

Foeminae quomodo his affectibus servierint, alterum explicat huius vs. membrum: *αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν.* Vituperationis causa auctorem pro vulgari *γυναῖκες* scripsisse *θήλειαι*, quemadmodum infra *ἄῤῥενες* vel potius *ἄρσενες* pro *ἄνδρες*, REICHIUS aliique putant. Aliis minus *mares* et *foeminas* denotasse videtur quam *sexum muliebrem* et *virilem.* Huic vero illud non obstat, si sumimus, eum hominum nomine indignos existimantem, qui, praestantiae suae immemores, se in flagitia bestiis incognita ingurgitarent, dicere voluisse, ac si brutorum res ageretur: *quae sexus muliebris* et *qui sexus virilis sunt.* Verba *χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ*

---

[1]) Cf. SEGAR. *ad Clem. Al.* l. c. p. 193 sqq. 267.

[2]) *In* VALLAM in *Bibl. crit.* ad h. l.

φύσιν complenda esse χρῆσιν τοῦ ἄρσενος εἰς τὴν παρὰ φύσιν χρῆσιν τῆς θηλείας, quisque sua sponte intelligit. Ergo PAULI incusatio haec est: *eas, quae inter gentes sexus muliebris essent, naturalem sexus alterius usum convertisse in sui sexus usum naturae adversarium. Tribadas*, ut monent interpretes, seu *frictrices* spectavit, Lesbio facinori deditas [1]).

A foeminis transit Apostolus ad mares. Sed prima, quae Editio Recepta habet, verba: ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄῤῥενες duplici correctione indigere videntur. Quum verisimimile non sit, auctorem eâdem in sententia scripsisse ἄῤῥενες et ἄρσενες, pro forma vulgari Ionicam, cuius fidem etiam ATHENAGORAS in loco infra citando confirmat, LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS iure suo substituerunt. Quod uti FRITZSCHIUS approbavit, sic obtemperandum esse monuit testimonio librorum aliquot, qui legi iubent ὁμοίως δὲ καί. Cum FRITZSCHIO, praeter REICHIUM, MEIJERUM, WETTIUM, STUARTUM, KREHLIUM, PHILIPPUM aliosque consentit LACHMANNUS, item TISCHENDORFIUS in Editione priori. Utique formula ὁμοίως δὲ καί PAULO (1 *Cor.* VII: 3, 4) aliisque scriptoribus N. T. usitata est, altera ὁμοίως τε καί ibi nusquam exstat. Deinde librarii Particulam δέ, pars, ad orationem corrigendam, omisisse, pars, propter praecedens τε, in τε mutasse videntur. Sed quominus alteri τε alterum respondeat, cohibet Adverbium ὁμοίως, quod ab hoc loco alienum est, si quis cum GLÖCKLERO interpretari vult *non solum, sed etiam*. Fortasse tamen TISCHENDORFIUS in al-

---

[1]) Cff. RUHNK. ad TIM. *Lex. Pl.* Ed. II. p. 124 et qui ibi laudantur.

tera Editione receptum *τε* restituit, ut hinc depelleret Anacoluthon, quod FRITZSCHIUS aliique scribendo *ὁμοίως δὲ καί* in orationem importari concedunt. Iidem vero, ut ita legi posse efficiant, PLATONIS [1]) excitant verba: *Ἥ τε οὖν ἰατρικὴ, ὥςπερ λέγω, πᾶσα διὰ τοῦ θεοῦ τούτου κυβερνᾶται, ὡσαύτως δὲ καὶ γυμναστικὴ καὶ γεωργία.* Atqui ea magis similia videntur quam revera sunt, siquidem apud PLATONEM Verbum *κυβερνᾶται* repetendum est, apud PAULUM aliud Verbum quam *μετήλλαξαν,* et quidem *ἐξεκαύθησαν,* legitur [2]). Quid vero, si dixero, ipsa illa *ὁμοίως δὲ καί* hîc non respondere praecedentibus *τε γάρ*: haec enim in principio orationis absolute posita esse, quemadmodum Particula *τε,* sive sola, seu alii praefixa, sibi variis constat in locis, quos VV. DD. attulerunt [3]): exemplo luculentissimo huius ipsius Epistolae esse verba, Cap. VII: 7, quamvis ratio eorum hîc minus habita sit: ibi dictum: *τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν,* BEZA auctore, Latine reddi debere: *nam etiam* (vel *etenim*) *cupiditatem non nossem* [4]): et nullam se prodere causam, cur illud *αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐ-*

---

[1]) *Conviv.* p. 186.

[2]) Nec tamen negaverim, alterum (*τε*) satis crebro altero (*δέ*) excipi. Cf. WINERUS p. 619, 620. HARTUNG. Tom. I. p. 115. MADVIG. p. 213.

[3]) Exempla praeter alios praebent MATTH. Tom. II. p. 1505 et ROST. p. 691, 692. Sed nemo hunc Particulae usum diligentius persecutus est quam SCHAEFERUS, *ad* DIONYS. *Hal. de Comp. Verb.* p. 409, 410 et in *Apparatu crit. et exeg. ad* DEMOSTH. Tom. II. p. 579.

[4]) Cf. praeter interpretes WINER. p. 518. Aliud exemplum praebet PAULUS 2 *Cor.* X: 8, ubi veterum librorum testimonia suadent, ut cum TISCHENDORFIO solam deleamus Particulam *καί*, non vero etiam praecedentem *τε* cum LACHMANNO.

τῶν, quod vs. 26 legimus, non itidem reddatur: *nam etiam* (vel *etenim*) *quae inter eos sexus muliebris sunt*: his autem positis ea, quae vs. 27 sequuntur: Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ἄρσενες i. e. *Similiter vero etiam qui sexus virilis sunt*, nihil desiderii relinquere?

Ad interpretationem criminis, quod maribus obiicitur: *ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλους, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι* sufficient pauca. Vs. 24 iam vidimus, arcte copulanda esse verba *ἐξεκαύθησαν εἰς ἀλλήλους*, ut sibi constent media *ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν*, quae hoc loco *ὄρεξιν ἄλογον*, et quidem *appetitus veneris nefandae* significant. Formula *ἐξεκαύθησαν εἰς ἀλλήλους*, quacum similis apud XENOPHONTEM *Eph.* [1]) *ἐξέκαεν αὐτὸν εἰς τὸν ἔρωτα* comparari potest, mares *in se invicem exardescere* dicuntur. Verbum *κατεργάζεσθαι* PAULO tam ad malum, quam ad bonum, quod efficitur, denotandum hac in Epistola maxime familiare est, quemadmodum STEPHANUS illud Graecis usitatum fuisse docet. In connexo vocabulo *ἀσχημοσύνην* Abstractum pro Concreto cernitur, i. e. *turpitudo* pro *eo quod turpe est*. Et quum Articulus *τήν* praecedat, indicatur *quod prae omni alio turpitudinis nota insignitum est*. Hunc autem locum ante oculos habens ATHENAGORAS [2]) PAULUM magis Graece fecit scribentem: *Καὶ μηδὲ τῶν ἀρσένων φειδόμενοι, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὰ δεινὰ κατεργαζόμενοι*. Ergo Apostolus gentes sic

---

[1]) *Anth. et Habroc.* Lib. IV. p. 29. PEERLKAMP. ALCIPHRONIS locum FRITZSCHIUS attulit.

[2]) *Leg. pro Christ.* cap. 34. p. 311. MAR.

increpat: *misso naturali sexus muliebris usu exardescebant appetitibus suis libidinosis in se invicem, qui sexus virilis erant erga virilem turpissima patrantes.*

Probrum vero illud ulterius detestatur adscribens: *καὶ τὴν ἀντιμισθίαν, ἣν ἔδει, τῆς πλάνης αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς ἀπολαμβάνοντες.* Vocabulum *ἀντιμισθίαν* Latine aliter interpretari non possumus quam *mercedem*, quamvis, ut notavit ERASMUS, plus significat, et quidem, GROTIO iudice, *mercedem parem operae.* Sequentibus *τῆς πλάνης αὐτῶν error* denotatur Idololatriae, in quem se coniecerant ipsi, qui ad oblatam Dei lucem oculos claudebant sua malignitate. Verba sunt CALVINI, quocum haud pauci recte spectari putant praecedentia vs. 18: *τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων.* Recte itidem plerique formulam *ἐν ἑαυτοῖς* explicant *in se ipsi.* Quod temere impugnat KREHLIUS, ac si quis fuerit, sive *ἀρσενοκοίτης*, seu *μαλακός*, qui abiecta sua libidinis servitute non ipse deprimeretur. Hactenus tamen cum eo consentiunt PHILIPPUS et MAIERUS, ut placeat illis interpretatio *in se invicem.* Sed vulgarem interpretationem firmiter stare animadvertemus considerando, et ratiocinationem minus bene procedere, nisi auctor poenam proposuerit singulis inflictam; et formulam *ἐν ἑαυτοῖς* ad Participium *ἀπολαμβάνοντες* pertinere; et hanc denique a praecedenti *εἰς ἀλλήλους* caute distinguendam esse. Similiter utrumque vocabulum PETRUS apud *Pseudo-Clem.* [1]) distinguit dicendo: *Εἰς ἀλλήλους εὐσεβεῖτε, μὴ ὀκνοῦντες πᾶν ὁτιοῦν ὑπὲρ τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας ὑπομέ-*

---

[1]) CLEM. *Rom. quae feruntur Homiliae. Homil.* III. Cap. 71. p. 127. SCHWEGL.

νειν. Iam poenas nonnulli intelligendas esse putarunt, *quae impudicitiam secutae sint.* Sed uti illarum commemoratio hanc in orationem non quadrat, sic perspicue ex iis, quae vs. 24 et 26 exstant, apparet auctorem *ipsa in impudicitia* poenam posuisse. Et quum foeminae aeque ac mares acerbissimos libidinum fructus percipiant, scite quoque monet KREHLIUS, PAULUM fructus illos, si vs. 27 eorum rationem haberet, vs. 26 non fuisse praeteriturum. Verba igitur *καὶ τὴν ἀντιμισθίαν* cet. deleto, quod ea praecedit, Commate, cum praecedentibus arcte iungenda et explicanda videntur: *atque ita mercedem, prout oportebat, defectionis suae a Deo in se ipsi accipientes.* Ceterum describere nolo quod de perditis veterum moribus apud GROTIUM, WETSTENIUM aliosque interpretes legi potest.

Vs. 28.

Tertio PAULUS ad Divinas, quas sibi gentes contraxerunt, poenas recensendas suam iis impietatem obiicit. Et hoc vs. generatim perversum proponit sensum, cui Deus eos tradidit. Prius membrum: *Καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει* GROTIUS explicat: *Non tanti fecerunt Deum, ut eius favorem eum colendo sibi acquirerent.* Sed probari nequit, verba: *ἔχειν τινὰ ἐν ἐπιγνώσει* denotare *aliquem ipso colendo habere sibi propitium.* A PAULI enim oratione prorsus differunt, quae ex 2 *Ioann.* 9 excitantur. Haud pauci, CAMERARIO [1]) aliisque magni nominis viris praece-

---

[1]) *Comment.* in h. l. adiect. *Novo T.* BEZAE. *Cantabr.* 1642.

dentibus, Verbum ἔχειν interpretantur *tenere*, *retinere*, *conservare*. Sed quamvis in Graecorum libris praesto est, quod huic interpretationi faveat, a nemine tamen allatum vidi, quod eam satis fulciret. Mirandum igitur non est fuisse, qui tria illa ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει eodem redire putarent atque unum ἐπιγινώσκειν. Quod nuperrime TURNERUS commendavit provocando ad 1 *Tim.* III: 4, ubi auctor societatis Christianae praefectum esse vult τέκνα ἔχοντα ἐν ὑποταγῇ. Atqui uti hoc aliter explicandum non est quam τέκνα ἔχοντα ὑποταγέντα, sic me latet causa, cur Apostolus hoc loco, si nihil amplius in mente haberet quam quod Verbo ἐπιγινώσκειν denotatur, scripserit ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, quum vs. 32 usus sit Participio ἐπιγνόντες. Ne autem ad hanc aliamve sententiam defendendam loci dissimiles tanquam similes excitentur, animadverti debet, notionem vocabuli ἐπίγνωσις non Passivam, sed Activam esse, respondentem Latino *agnitio* [1]). Ita quoque iudicarunt ERASMUS aliique, nuper KREHLIUS et KEITHMAYRUS. Nec FRITZSCHIUM, OLTRAMARIUM, PHILIPPUM, et quotquot inter Simplex γνῶσιν et Compositum ἐπίγνωσιν interesse statuerent, dissensuros fuisse putaverim, nisi fraudem iis fecissent praecedentia vs. 19—21. Et haud scio, an huic interpretationi faveat Verbum ἐδοκίμασαν, unde formula ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει pendet. In N. T. frustra quaeritur locus, ubi Activum δοκιμάζειν Infinitivum regat, sed apud Graecos haec structura frequens est, nus-

---

[1]) Conferri possunt quae disputavi in *Bijdr. tot bev. van Bijb. uitlegkunde*. Tom. II. p. 133.

quam fortasse frequentior quam apud FLAVIUM IOSEPHUM. Praesertim comparari merentur verba [1]): *ταῦτα δοκιμάζει ἡ σύγκλητος Ὑρκανὸν τὸν ἐθνάρχην καὶ Ἰουδαίους ἔχειν,* i. e *Haec ut* HYRCANUS *populi praefectus et Iudaei habeant senatui videtur.* Quid vero impedit, quominus Aoristum *ἐδοκίμασαν* itidem cum ERASMO, BEZA aliisque interpretemur *visum illis est* vel *erat?* Atque ita PAULUS, ut iam animadvertit CHRYSOSTOMUS, studiose scripsit. Gradationem enim orationis faciens plus, quam supra verbis *ἤλλαξαν, μετήλλαξαν* et *ἐσεβάσθησαν* enunciaverat, hîc dicere voluit, videlicet id, quod gentes depravatae agerent, *consulto* actum esse. Ideo quoque Verbo *ἐδοκίμασαν* adiecit illud *ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει.* Quae quum ita sint, Protasin sic explicandam censeo: *Et quemadmodum illis visum non erat Deum talem habere, qualis agnoscendus est.* Similiter sonant verba *Iac.* II: 1: *Μὴ ἐν προσωποληψίαις ἔχετε τὴν πίστιν.* i. e. *Ne talem habete fidem, ut personas respiciatis.* Vocabulum autem *καθώς* quum nihil aliud sit quam Particula *comparandi*, in Apodosi intelligi debet *οὕτω,* uti *Ioann.* V: 30. *Act.* XI: 29. *Phil.* II: 12. 1 *Ioann.* II: 27. At recte tamen RÜCKERTUS, KÖLLNERUS, REICHIUS aliique monent, illud simul inservire ad *causam* indicandam. Exemplum plane simile exstat *Act.* VII: 17.

Intellectu facilior est Apodosis: *παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα.* Adiectivo *ἀδόκιμον* nonnulli Activam notionem tribuerunt, cum BEZA interpretantes *omnis iudi-*

---

[1]) *Ant. Iud.* Lib. XIV. Cap. 10. § 6. Plura dabit WETSTENIUS.

cii *expertem* vel similiter. Sed huic interpretationi se recte STUARTUS et plerique opposuerunt, quoniam notio in omnibus N. T. locis Passiva est, etiam ubi illud eandem, quae hîc exstat, efficit Agnominationem seu Paronomasiam, uti 2 *Cor.* XIII: 5, 7, et cum Substantivo νοῦς cohaeret, uti 2 *Tim.* III: 8. Inde vero, itemque ex *Rom.* XII: 2. *Eph.* IV: 17. 1 *Tim.* VI: 5 apparet, hoc Substantivo haud secus *totum animum eiusque actus* quam *mentem* seu *intelligendi* significari *facultatem*. Quare GROTIUS illud hoc loco ita interpretans multos nactus est sibi assentientes. Et sane sequentia ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα perspicue docent, *voluntatem* aeque atque *iudicium* spectari. Formula τὰ μὴ καθήκοντα non ex Stoicorum doctrina, cuius rationem VITRINGA [1]) habuit, sed, uti 2 *Macc.* VI: 4, populariter explicanda est. Per Litoten igitur et pro potestate Particulae μή, quam OLTRAMARIUS et PHILIPPUS etiam observarunt, denotat *quaevis turpia*. Verbum ποιεῖν et Epexegeticum esse, et breviter scriptum pro ὥστε ποιεῖν αὐτούς, nemo ibit inficias. Nec facile quis dissentiet, si Graeca Latinum in sermonem converti non posse dixero, nisi missa, ut multis aliis in locis, Paronomasia. Sensus vero Apodoseos hic esse videtur: *Regimine suo Deus fecit, ut improbum ruerent in animum, quo turpia quaevis patrarent.*

---

[1]) *Observ. Sacr.* Lib. III. Cap. 13. Tom. I. p. 677, 678.

Vs. 29, 30, 31.

Inceptum PAULUS persequitur verbis *Πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ*, pendentibus ab Infinitivo *ποιεῖν*, quem breviter scriptum esse vidimus pro *ὥστε ποιεῖν αὐτούς*. Ita hodie fere omnes iudicant interpretes, ERASMO aliisque ducibus. Qui verba illa ad remotiora *παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεός* referri volunt, animadvertere negligunt, progressum orationis proxime praecedentibus niti. Versui igitur 28 Colon subiiciendum est. Iam vocabulum *ἀδικίᾳ* quum eandem ac supra vs. 18 *morum* significet *pravitatem*, gentes *omni pravitate repletae* dicuntur. Hoc uno autem vocabulo auctor vitia et flagitia, quae Deo maiestatis suae vindice ex impietate prognata sunt et vs. 29—31 deinceps recensentur, comprehendere potuisset; et nihil aliud sibi proposuisse videtur, quum TERTIO dictabat *πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ*. Sed postea, haud scio quanam de causa proposito suo valedicens, orationem ita instituit, ut ea tantum, quae in priore huius vs. membro sequuntur, vocabulo illo comprehensa essent. Ceterum quisque sua sponte intelligit, Apostolum has partes non ad Philosophorum diligentiam ordinasse, sed populariter, prout sibi in mentem venirent, conglobasse. At propterea tamen nemo sit, qui verborum notiones distinguere gravetur. Quid? quod auctor *quadruplicem* vitiorum et flagitiorum ipse distinxit *seriem*.

Et prima quidem secundum Editionem Receptam sic consummatur: *πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ.* Ita PAULUS, veluti longiore libidinis naturam violantis descriptione fatigatus, singula verbo tantum attingit. Sed gravissima quaestio est, an haec ab auctore pro-

fecta sint. PALMIUS noster post alios vocabulorum πορνείᾳ et πονηρίᾳ alterutrum ex oratione expellendum esse censuit. Et revera prius inde expulerunt LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS, neque illi iniuste, si fides est penes GREVIUM, KOPPIUM, BOEHMIUM, THOLUCKIUM, RÜCKERTUM, FRITZSCHIUM, OLSHAUSENIUM, WETTIUM, BAUMGARTEN-CRUSIUM, KREHLIUM, MAIERUM. Utrumque vero aut genuinum esse iudicarunt, aut saltem retinere maluerunt REICHIUS, KÖLLNERUS, GLÖCKLERUS, MEIIERUS, STENGELIUS. Editionem Receptam sequuntur SCHOLZIUS, GOESCHENIUS, TURNERUS. Pro vocabulo πορνείᾳ STUARTUS eodem vigore propugnat, quo illud impugnant OLTRAMARIUS, REITHMAYRUS, PHILIPPUS. Alii fluctuarunt animo vel fluctuasse videntur. Utique ipsa testimonia librorum veterum, in quibus alterutrum non exstat vel traiectum est, minus valent ad probandum, hunc locum panno oneratum esse. Quamvis enim affecta non sunt sequentia φθόνου et φόνου, quis tamen negaverit, literarum similitudinem in πορνείᾳ et πονηρίᾳ lectoribus hanc fraudem facere potuisse, ut eorum oculos alterutrum fugeret? Equidem vero a Viris Doctis plane dissentio, in orationem importatum non esse putans prius vocabulum πορνείᾳ, sed posterius πονηρίᾳ. Nimirum a probabili nihil magis abhorret quam sumere, in hac copiosa recensione vitiorum et flagitiorum, quibus gentes exterae se ab antiquo dedidissent, a PAULO praetermissam esse *immoderatam et foedam utriusque sexus consuetudinem.* Atqui hanc ille, si vocabulum πορνείᾳ tollitur, sine dubio, praetermisit; quippe quem supra *libidinem* tantum *naturae adversariam* increpasse vidimus, et vs. quidem 24 *flagitium, quo quisque,* sive mas, seu foe-

mina, *se ipse pollueret*, vs. 26, 27 *nefandam, qua foeminae in foeminas, mares in mares ingruerent, lasciviam.* Ergo sequitur, vocabulum illud tolli non posse. Eo autem vocabulo, secundum loquendi usum, quaevis denotatur impudicitia, naturae quidem conveniens, sed in honesti adeoque ipsius Dei leges incurrens. Scriptores enim N. T. ipsumque PAULUM non solum *scortandi probrum*, sed *qualemcunque illicitam maris et foeminae consuetudinem* πορνείαν dicere, perspicue docent loci, a Lexicographis, SCHLEUSNERO, WAHLIO, BRETSCHNEIDERO, allati, uti *Matth.* V: 32. 1 *Cor.* V: 1. 1 *Thess.* IV: 3 [1]). Atque hinc intelligimus, cur Apostolus quidquid hanc spectat consuetudinem uno verbo comprehenderit. Ceteris vero vitiis et flagitiis τὴν πορνείαν praeposuisse videtur, tum quod nihil inter gentes frequentius erat sibique prius in mentem veniebat, tum propter affinitatem huius impudicitiae variaeque turpitudinis vss. 24, 26, 27 reprehensae. Itaque cadunt, nisi fallor, omnia, quae KOPPIUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS, alii contra fidem vocabuli πορνείᾳ disputarunt. Rursus vero ad tuendum alterum πονηρίᾳ sufficere non videntur, quae unanimi fere consensu eius defensores attulerunt in medium. Primum enim illis in libris, qui, altero (πορνείᾳ) omisso, alterum (πονηρίᾳ) habeant, verisimile est mutationem profectam esse ab hominibus, qui, vs. 24 minus intelligentes, aeque atque interpretes recentioris memoriae putarent, commemorationem illicitae maris et foeminae consuetudinis hunc

---

1) Alia exempla praebet *Test. XII Patr.* l. c. p. 523, 527, 530, 539, 601, 702, 736, 737. item *Epist. Clem. ad Iacob*, Cap. 7, 8. p. 17. SCHWEGL.

in locum non quadrare. Deinde quamvis 1 *Cor.* V: 8 in reprehensionem quidem non incurrit editum *κακίας καὶ πονηρίας*, hoc tamen loco ferri nequit receptum *πονηρίᾳ*, ne duo vocabula notionis affinis *πονηρίᾳ* et *κακίᾳ* a se invicem separentur tertio *πλεονεξίᾳ*, quod notione ab iis longius differat. Porro animadvertendum est, in locis, ubi vitia deinceps enumerentur, uti *Eph.* IV: 31. *Col.* III: 8. *Tit.* III: 3, Apostolum quidem *τὴν κακίαν* notare, *τὴν πονηρίαν* vero non item. Denique accedit argumentum, quod haud secus pro priori *πορνείᾳ*, quam contra posterius *πονηρίᾳ* afferri posse videtur, PAULUM, nempe, ubi in vitiorum et flagitiorum recensione *τὴν πλεονεξίαν* commemoret, ei vel nullo vel breviori tantum intervallo praeponere *τὴν πορνείαν*, nusquam vero ibi legi *τὴν πονηρίαν*, uti docent 1 *Cor.* V: 10, 11. VI: 9, 10. *Eph.* V: 3, 5. *Col.* III: 5. Quae quum ita sint, probato altero *πορνείᾳ*, repudiato altero *πονηρίᾳ*, orationem sic constituo: *πορνείᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ* [1]), eamque explico: *impudicitia, quae non solum scortando, sed etiam moechando aliterque fit, quaestu turpi hinc et aliunde facto, malignitate alterius erga alterum.* Nam *πλεονεξίαν quaestum* haud minus denotare *incestae veneris*, quam aliud inhonestum lucri studium, non solum inde apparere videtur, quod vocabulum illud hîc et alibi ante se habet *πορνείαν*, sed etiam ex loco simili *Eph.* IV: 19. Atque sic commodus transitus fit ad *malignitatem alterius erga alterum*, quae *Eph.* IV: 31. *Col.* III: 8. *Tit.* III: 3 etiam *κακία* vocatur.

---

[1]) TISCHEND. in Ed. I hanc traiectionem fecit: *κακίᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ*, sed traiectio vocabuli *κακίᾳ* ferri nequit, si pro *πονηρίᾳ* substituitur *πορνείᾳ*.

In altera vitiorum et flagitiorum serie: *μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος, δόλου, κακοηθείας* PAULUS eosdem homines dicit *multos et assiduos in invidia, caede, lite, dolo, versutia fallaci.* De vocabulo *κακοηθείας*, quo vitium quoque a ceteris distinguendum denotatur, nemo melius disputavit quam KYPKIUS. Adiectivum *μεστούς*, quod TITTMANNUS [1]) de eo dici monet, qui tam plenus sit, ut superfluat, interpretatus sum *multos et assiduos*, ut pariter ad animum et facta accommodaretur.

Alteram seriem excipit tertia: *Ψιθυριστὰς, καταλάλους, Θεοστυγεῖς, ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κακῶν, γονεῦσιν ἀπειθεῖς*, i. e. *Delatores, calumniatores, osores Dei, violenter agentes, superbientes, iactatores, inventores flagitiorum, parentibus renitentes.* Nihil aliud difficultatem parit quam vocabulum *Θεοστυγεῖς*, cui alii Activam, alii Passivam notionem tribuendam esse censuerunt. Illud cum THEODORETO, OECUMENIO et SUIDA alteri praetulerunt plerique, nuperrime TURNERUS. Hoc KOPPIO, FRITZSCHIO, RÜCKERTO, MEIIERO, WETTIO, OLTRAMARIO, PHILIPPO placuit et paucis aliis, Syri, et Vulgati, et plurium Latinorum vestigia sequentibus. Et hi quidem concedunt, vocabulum *Θεοστυγεῖς*, secundum linguae Analogiam, utrumque *osores Dei* et *Deo exosos* significare posse, sed notionis discrimen ab accentu pendere omnino negant. Neque ego sane in eo, quod *Θεοστυγεῖς Deo exosi, Θεοστύγεις osores Dei* habentur, quamquam hoc praeclaris viris apud BOWYERUM [2]) aliisque visum

---

[1]) L. c. p. 176.

[2]) *Konjekturen über das N. T.* Ed. SCHULZIO Tom. II. ad h. l.

est, aliquid amplius reperio quam inanem Grammaticorum subtilitatem [1]). Alius vero generis argutias produnt, qui interpretationem *Deo exosi* cum circumiectis in concordiam redigere conantur. Oratio enim contexta, quum homines non *patientes*, sed *agentes* proponat, sine dubio postulat, ut *Dei osores* intelligamus. Quod argumentum MEIIERUS tanti fecit, ut vocabulum *Θεοστυγεῖς* Adiectivum esse coniiceret cum praecedenti *καταλάλους* coniungendum, atque ita sententiam exprometeret valde improbabilem, quoniam et cetera vocabula Adiectivo carent, et res ipsa loquitur, calumniatores Deo exosos esse. Fatendum tamen est, locos a WETSTENIO, KYPKIO aliisque allatos neutiquam valere ad Activam notionem vocabulo *Θεοστυγεῖς* vindicandam. Magis iuvare videtur quod apud *Pseudo-Clementem* [2]) reperi: *Καὶ ὡς ἀσελγεῖς κύνες ὑλάκτετε, ψόφῳ ἀτάκτῳ μύοντες τῶν σώζεσθαι θελόντων τὰς ἀκοάς, ἄδικοι καὶ Θεοστυγεῖς, καὶ τὸν σώζοντα λογισμὸν εἰς ἀπιστίαν ἀποσχολοῦντες*, ubi praecedentia et sequentia interpretationi *osores Dei* summopere favent. Haud secus favet ei POLLUX [3]), in Capite *περὶ εὐσεβοῦς καὶ ἀσεβοῦς*, vocabulis *βέβηλος, θεοβλαβής* aliisque, quae impietatem spectant, ut ERASMUS iam monuit, subiiciens: *ὁ δὲ Θεοστυγής, τραγικόν.* Nec spernenda est CYPRIANI [4]), ad quam CORNELIUS A LAPIDE, ESTIUS, GROTIUS aliique provocant,

---

[1]) Cff. BUTTMANN. l. c. Tom. II. p. 371. WINERUS p. 63 ibique laudatus FRITZSCHIUS.

[2]) *Hom.* I. Cap. 12. pag. 39. SCHWEGL.

[3]) *Onomastic.* Lib. I. § 21. Vol. II. DINDORF.

[4]) *Epist.* LXVIII ad fin. p. 120. BALUZ.

auctoritas, ubi hunc huius Epistolae locum sic excitat: *Susurratores, detractores, abhorrentes Deo.* Sed ad litem dirimendam imprimis conducibilia videntur CLEMENTIS *Rom.* [1]) verba, a STEPHANO et WETSTENIO aequaliter praetermissa mihique a REITHMAYRO monstrata: *ἀποῤῥίψαντες ἀφ' ἑαυτῶν — — — κακοηθείας τε καὶ δόλους, ψιθυρισμούς τε καὶ καταλαλίας, Θεοστυγίαν, ὑπερηφανίαν τε καὶ ἀλαζονείαν. — — Ταῦτα γὰρ οἱ πράσσοντες στυγητοὶ τῷ Θεῷ ὑπάρχουσιν· οὐ μόνον δὲ οἱ πράσσοντες αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦντες αὐτοῖς.* Ubi autem V. D. haec verba Passivam notionem vocabuli *Θεοστυγεῖς* magis quam Activam commendare putabat, fraudem ei fecit Paronomasia *στυγητοὶ τῷ Θεῷ*, quippe qua non spectatur, quod apud PAULUM vocabulo illi, sed quod eius orationi vs. 32 inest. Substantivo vero *Θεοστυγίαν* nemo aliam tribuet notionem quam Activam. Nec dubium est, quin ita scribens auctor hunc *Epistolae ad Romanos* locum ante oculos habuerit. Rationem sic concludo: errare humanum est, sed hac in causa tantum valet CLEMENTIS, PAULI aequalis, interpretatio, ut fidenter scribere possimus *osores Dei.* Unus mihi in eo restat scrupulus, quod commemoratio peccati in Deum aliena videtur a recensione peccatorum in homines. Atqui si intelligo *Deo exosos*, tantum abest, ut scrupulo liberer, ut eum ingravescentem faciat cogitatio, in recensione peccatorum, quibus *ira Dei* gentes ad impietatem earum puniendam tradiderit, *odio Dei* nullum esse locum. Et offensio multum quoque lenitur, si sequentia *ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας* cum

---

[1]) *Epist. ad Corinth.* Cap. 35. Tom. I. p. 166. COT.

MELVINO explicare licet *tam contra Deum, quam contra homines.*

Quarta series: Ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας idem illud continet Asyndeton, quod in superioribus cernitur et quod ERASMUS mire facere monet ad orationis impetum et vehementiam. Iuncta cum ea est Paronomasia, ad finem huius vs. quodammodo continuata. Vocabulum ἀσυνέτους GROTIUS ab oratione, quae voluntatis, non intellectus vitia spectat, alienum putavit et librariorum culpa ex proximo ἀσυνθέτους exortum. Idem fere FLATTI aliorumque iudicium fuit. FRITZSCHIO quoque Receptum minus placuit, siquidem auctorem illud non scripturum fuisse monet, nisi Paronomasiam consectatus esset; quocum PHILIPPUS consensit. Mihi aliquando in mentem venit, librarios ex ἀσώτους (*in cibo et potu immodicos*) fecisse ἀσυνέτους; sed huius mutationis, quamvis in libros facile irrepere potuit, nullum apparet vestigium. Nec veterum exempla, quae hoc vocabulo carent, tanti habenda sunt, ut illud delere liceat. In loquendi autem usum incurrunt, qui SUIDAE assentiuntur, ubi eius explicandi causa notavit τοὺς ἀσυνειδήτους, quam vocem ERNESTUS [1]) *novam* vocat *et mere Ecclesiasticam.* Minus se commendant etiam, quotquot vocabulum ἀσυνέτους ita interpretantur, ut *voluntatis* magis rationem habeant quam *intellectus.* Quod improbant certe THOMAS *Magister* [2]) et HESYCHIUS, quorum alter Singulari ἀσύνετος adscripsit

---

[1]) SUIDAE *et* PHAVORINI *Glossae Sacrae Graece.* p. 23.

[2]) *Onomasticon.* Ed. BERNARD. p. 118.

ὁ *μὴ νοῶν*, alter *ἄφρων*. Et quum supra vs. 21 *ἀσύνετος καρδία* sit *mens insipiens*, hoc loco Plurale *ἀσυνέτους* vix aliter quam *insipientes* reddi posse videtur. Viam vero hoc cum orationis argumento consentaneum faciendi meliorem indagare mihi non contigit, quam si cum MEIERO aliisque intelligamus homines *in vivendi ratione insipientes*.

In sequentium interpretatione Paronomasiam etiam non negligemus scribendo: *infideles*, *naturalis caritatis inanes*, *implacabiles*, *immisericordes*. Sed utrum vocabulum *ἀσπόνδους* genuinum an spurium sit, cum OLTRAMARIO, PHILIPPO aliisque quaestionem habeo nondum satis exploratam. Librariis hanc fraudem facere potuisse *ὁμοιοτέλευτα*, ut illud festinando omitterent, REICHIO lubenter largior. Nec FRITZSCHIUM tamen reprehendendum autumo, ubi illud potius ex 2 *Tim.* III: 3 huc translatum monet, quam propter *ὁμοιοτέλευτα* omissum. Et Editionis Receptae fides eo imminuitur, quod inter exempla, quae hoc vocabulo carent, Codices sunt antiquissimi. Rursus vero Syri et Vulgati testimonia, praeter multa alia, fidem eius tuentur. Qui cum FRITZSCHIO, WETTIO, PHILIPPO, MAIERO praecedens *ἀστόργους* interpretentur *caritatis expertes* vel similiter, notionem ei tribuere censeo ampliorem, quam ferant circumiecta. Illa enim quum singula singulare vitium proponant, hîc etiam, quamvis recensio popularis, non Philosopha est, tale vitium intelligendum videtur. Negare quidem nolo, quod satis evidenter docent HESYCHIUS et SUIDAS, veteres Substantivo *στοργή* eiusque affinibus omnem promiscue caritatem seu amorem denotasse. Sed hoc tantummodo factum est amplificanda notione propria, quam ERASMUS cerni ait in

singulari affectu pietatis vel caritatis, quo sanguinis communis homines tangantur erga se invicem. Viri Summi autem interpretationem loquendi usu probari deprehendens, MEIJERI, NIELSENII, BAUMGARTEN-CRUSII, KREHLII vestigia fidenter secutus sum scribendo *naturalis caritatis inanes.* Quod si, STUARTO maxime auctore, ad *parentum caritatem erga liberos* refertur, huic interpretationi non amplius obstat superius *γονεῦσιν ἀπειθεῖς*, quod multos VV. DD. fefellit. Et frequentius sane apud HERODIANUM [1]) aliosque veteres vocabulum *στοργή* non usurpatur, quam *de hac parentum, praesertim matris caritate.* Nec mirum, siquidem petitum est a mirabili *avium erga pullos affectu*, cuius expers ab ATHENAEO [2]) *ὄρνεον* dicitur *ἄστοργον πρὸς τὰ ἔκγονα.*

Vers. 32.

Disputationis de abiecta gentium exterarum conditione a PAULO institutae conclusio ab antiquo tantum habuit offensionis, ut librarii et interpretes orationem vario modo mutarent. Quod quamquam cum Vulgata Latinorum etiam haud pauci fecerant, ESTIUS tamen, KLEEIUS, STENGELIUS, REITHMAYRUS, MAIERUS secuti non sunt. Nec hodie quis est inter iudices harum rerum intelligentes, qui ab Editione Recepta discedendum statuat. Sed eius tuendae causa nihil dicendum reliquit diligentia FRITZSCHII, OLTRAMARII, imprimis

---

[1]) Vide Lib. I. cap. 17. § 10. Lib. IV. cap. 4. § 6.

[2]) *Deipnosoph.* Lib. XIV. cap. 71. SCHWEIGH.

REICHII, qui antea Participium *ἐπιγνόντες* spurium esse coniecerat, nuperrime vero [1]) totius orationis fidem strenue defendit. Nec subscribere dubitavit ille sententiae nunc communi, tollendas esse Parentheseos notas, quibus verba *ὅτι — — εἰσὶν* post alios incluserunt GRIESBACHIUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS. Quod ad redarguendum iam satis valent Pronomina *τοιαῦτα* et *αὐτά*, quae eadem in orationis serie stare debent. Ergo PAULUS hoc loco scripsisse censendus est: *Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι.*

Pronomen *οἵτινες* si vs. 25 bene interpretatus sum *quippe qui*, nihil est, quod hoc loco inde recedere cogat. Quomodo illud cum praecedentibus cohaereat, effici demum poterit, postquam explorata erunt sequentia. Mihi incipiendum videtur ab explicandis verbis *ἄξιοι θανάτου εἰσίν*. Haec quidem nemo Latine interpretari recusabit *digni morte sunt*. Quid vero *mors* sibi velit, quaestio est, de qua VV. DD. secum invicem acriter contenderunt atque etiamnum contendere pergunt. Ut antiquiores mittam, FRITZSCHIUS, a quo STUARTUS, MAIERUS aliique non longe discedunt, *gravissimas* intelligi iubet *poenas*; KÖLLNERUS *omnem corporis animique miseriam in hac et futura vita*; REICHIUS *felicitatis verae et perennis iacturam summamque mentis a Deo abalienatae miseriam*; KREHLIUS *peccati poenam Deo dandam, cuius caput in morte cernitur*; PHILIPPUS *aeternam mortem*; MEIIERUS *poenas luendas apud infe-*

[1]) *Comment. Crit.* ad h. l.

ros. LUTZELBERGERUS [1]) *vim illam* denotari putat, *qua corpus in mortis articulo putrescendi necessitati adstringatur, animus vero ad inferos proficiscatur, ibique Satanae imperio serviat, corporis lucisque et gaudii expers.* BENGELIUS, THOLUCKIUS, alii [2]) *mortis* tantum *naturalis* rationem habendam esse monuerunt. Quod GROTIO etiam visum est, quamvis hoc omnino male explicabat *supplicium capitis.* Quatenus ceteri, tam antiquiores quam recentiores, cum his consentiant aut ab iis dissentiant interpretes, enarrare longum sit. Nec mihi singulis sententiis ponderandis lectori gratum facturus videor. Ad hunc autem locum explicandum minus considerare oportet, quid in Literis Sacris ipsum vocabulum θάνατος significet, quam quid significet, ubi cum Adiectivo ἄξιος compositum est. Quis vero unum alterumve huius compositionis exemplum, ut *Luc.* XXIII: 15, contemplabitur, quin statim perspiciat, ibi nihil aliud quam *mortem* significari *corporis, quatenus* nempe *homo,* non naturae necessitati cedat, sed *peccati poenam luat.* Et illam interpretationem quum omnes loci ita comparati sibi postulent, nonne ea hoc etiam loco valde probabilis est? Probabilitatem accrescere videbimus animadvertendo, hac etiam in Epistola PAULUM Cap. V: 12, 14, 17, 21 ita disputare, ut tanquam digito monstret, ab eius mente aberrare, qui θάνατον aliter quam *proprie* interpretetur. Nec tamen, ut mentem illam fideliter reddamus, cogitatio

---

[1]) *Grundzüge der Paulinischen Glaubenslehre.* p. 8 sqq.

[2]) DÄHNIUM (*Paulin. Lehrbegr.* p. 55) etiam memorant WETTIUS et MAIERUS. Ab horum vero partibus non stat USTER. p. 18 sqq.

miseriae, quae mortem talem sequitur, excludenda est. Sed hac adhibita cautione non perturbabimur argumentis, quae ex Cap. VI: 21, 23. VII: 5, 10, 13, 24. VIII: 2, 6 in contrariam partem afferri solent. Nam ibi etiam *mortis*, uti supra explicata est, notio, quidquid ei, utpote cum ea coniunctum, adiicitur, sine dubio primaria haberi debet. Sed quid nunc his in locis moror iisdemque dissimilibus? Tantum abest, ut formula *ἄξιοι θανάτου εἰσὶν* eodem modo atque *ἔνοχοι θανάτου εἰσὶν* (*Matth.* XXVI: 66. *Marc.* XIV: 64.) intelligenda et exponenda sit: *morte puniendi sunt*, ut unice sibi velit: *morte puniri merentur.* Hoc autem si explicatur: *tam perditi sunt, ut non amplius vivere mereantur, sed morte plecti*, quid tandem ei opponi possit?

Nunc age praecedentia lustremus. Quonam iure BEZA, qui vs. 28 Nomen *ἐπίγνωσις* interpretatur *agnitio*, Participium *ἐπιγνόντες* pro Simplici *γνόντες* positum aiat, me prorsus latet. Si bene se habent, quae ibidem monui, interpretandum est *agnoscentes*, quod probant etiam NIELSENIUS, KREHLIUS, REITHMAYRUS, alii. Breviloquentiae autem, de qua nemo hodie dubitat, succurremus scribendo: *quamvis agnoverunt.* Vocabulo *δικαίωμα* cum CASAUBONO [1]) aliisque *supplicii* notio tribui nequit sine aberratione a loquendi usu. Quod ab antiquo plerique sumserunt *statutum* significari, docte probavit OLTRAMARIUS [2]). Iam id, quod

---

[1]) *Bibl. Crit.* ad h. l.

[2]) Sic in *Test. Lev.* Cap. XIV. p. 578 *τὰ τοῦ Θεοῦ δικαιώματα* etiam memorantur. *Test. Iud.* Cap. XIII. p. 603, ubi legimus *τα δικαιώματα Κυρίου*, STUARTUS attulit.

statutum Dei continet, proponunt sequentia: *ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα* cet. Intelligenda igitur est Particula *nempe*, quemadmodum multis in locis, in quibus Nomen vel Pronomen praecedens explicatur, ut *Act.* III: 10. XVI: 3. *Rom.* XIII: 11. 1 *Cor.* XV: 12. 2 *Cor.* VIII: 2, 9. *Eph.* III: 3. 1 *Thess.* I: 5. II: 1 [1]). His enim verbis auctor demum illud indicavit, quod gentibus exteris naturae lex dictabat, animis hominum, ut *Cap.* II: 14, 15 docetur, indita. Et *hactenus* tantum eos agnovisse dixit statutum Dei, ceteroquin iis obtectum, sed lectoribus suis patefactum. Ante oculos habuisse videtur effatum *Gen.* II: 17, unde omnis Iudaeorum disputatio exorsa est. Eum autem propterea, quod vitiorum et flagitiorum recensio praecederet minus plena et perfecta, non *ταῦτα*, sed *τὰ τοιαῦτα* i. e. *haec et similia* scripsisse, ex *Gal.* V: 21 luculenter apparet. Quae quum ita sint, orationis sensum esse puto: *Quippe qui, quamvis id, quod, uti nos novimus, statutum Dei continet, agnoverunt, nempe eos, qui haec et similia agant, tam perditos esse, ut non amplius vivere, sed morte plecti mereantur.* Illud autem *quippe qui*, a quo haec sententia initium capit, cum FRITZSCHIO aliisque ad eadem *παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν*, a quibus versus etiam 29, 30, 31 pendere vidimus, referendum esse ostendunt sequentia.

Nimirum satis constat, hanc orationis fieri debere structuram, ut coniungamus: *οἵτινες οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι.*

---

[1]) Cff. WINERUS p. 606. MATTH. Tom. II. p. 755. ROST. p. 617. MADV. p. 221, 222.

Verba πράσσειν et ποιεῖν hîc permutari plerique interpretes sumserunt. Graecorum in scriptis eadem, ut monent Grammatici [1]), permutatio plus semel cernitur. TITTMANNUS [2]) tamen scripsit: „Differunt fere, ut nostra *thun* et *machen*, *agere* et *facere*." Et quemadmodum alterum saepe notionem habet ab altero alienam, ita iam apud PLATONEM [3]) distinguuntur. Sed lectori molestus esse nolo data opera hanc in rem inquirendo. TITTMANNI sententiae, quidquid habeat ea reprehensioni obnoxium, nec locos N. T. obstare puto, in quibus verba illa vulgo permutari censeantur, uti *Ioann.* III: 20, 21. V: 29. *Rom.* II: 3. VII: 15, 19. XIII: 4, neque hanc PAULI orationem. Itaque Graeca interpretanda videntur: *quippe qui* — — — *non solum illa faciunt, sed etiam consentiunt cum agentibus*, i. e. ut CHRYSOSTOMUS iam interpretatus est, *eos collaudant*. Similia exstant apud WETSTENIUM aliosque. Iam LEODAMAS, ut mihi monstravit IAC. CAPPELLUS, apud ARISTOTELEM [4]) monuit, τὸν βουλεύσαντα τοῦ πράξαντος μᾶλλον ἀδικεῖν. Et hoc loco multi interpretes postpositum esse aiunt, quod gravius ipso sit peccato, cuius servos saepe homines faciat vis rerum externarum in oculos ceterosque sensus agens. Sed hoc nimis urgendum non est. Homines enim, qui turpiter agentes collaudare dicantur, eosdem esse, qui ipsi mala faciant, intelligimus ex Particula καί praece-

---

[1]) THOM. *Magist.* p. 733. BUDAEUS p. 419. Cf. VIGER. p. 289.

[2]) L. c. p. 187.

[3]) *Charmid.* praesertim p. 163.

[4]) *Rhetor.* Lib. cap. 7. BEKK.

denti ἀλλά subiecta. Quod uti REICHIO etiam visum est, sic recte cum MEIIERO aliisque docuit, nec Philosophos, nec magistratus a PAULO notari, sed hominibus communem sentiendi et vivendi rationem eandemque legibus, spectaculis, ludis, diebus festis, ritibus, sermonibus, rebus innumerabilibus satis superque testatam.

CAPUT II.

Vers. 1.

Misera gentium exterarum conditione proposita, videamus, quomodo PAULUS usque ad vs. 17 viam persequatur. Et quaestio quidem agitur, quae interpretum ingenia ab antiquo exercuit multumque inter eos peperit dissensionis. Sed quamvis inenarrabilis est sententiarum varietas, *quatuor* tamen omnes comprehendi possunt *classibus*. Primae igitur classis sunt, qui PAULI disputationem ad *omnes omnium aetatum homines* retulerunt: MUSCULUS, PAREUS [1]), BENECKIUS, BOSVELDIUS etiam, quos, haud scio, an THEODORETUS praecesserit. Altera classis interpretibus constat, qui *gentes exteras* hîc spectari putarunt, et quidem *universas*, ut CRELLIUS, aut *Philosophos*, ut CLERICUS et FERMIUS, aut *magistratus*, ut CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, GROTIUS, ERASMUS etiam, aut *gentium iustissimos*, ut ARETIUS [2]), quibus annumerandi videntur illi, quorum iudicio ad homines vitae melioris, sed

[1]) *Comm. Ep.* S. *Pauli ad Rom. Opp.* Pars. III.

[2]) *Comment. in N. T.* ad h. l.

probitatis et innocentiae simulatores oratio conversa est: CALVINUS, MELANCHTHON, STRIGELIUS, MELVINUS. In tertia classe, quae pariter *Iudaeorum ac gentium exterarum* rationem habitam esse sumsit, agmen ducit AUGUSTINUS [1]). Nonnulli eorum, qui huc pertinent, *sine distinctione* utrorumque mentionem fecerunt, uti STEINHOFERUS [2]). Plerique vero, uti PLATTUS, THOLUCKIUS, OLSHAUSENIUS, STENGELIUS, OLTRAMARIUS, REITHMAYRUS, Iudaeos *praesertim* in censum venire contenderunt, de gentibus tamen hactenus inter se discrepantes, ut alii totam massam, alii optimos quosque earum tantum memorarent. Secundum quartae classis interpretes PAULUS *solos Iudaeos* ante oculos habuit. Quod CORNELIO A LAPIDE, ESTIO, SLICHTINGIO, BENGELIO visum est, recentiori memoria longe plurimis, iis etiam, qui cum STUARTO, WALFORDO [3]) et TURNERO concedebant, orationem Apostoli talem esse, ut ad omnes homines referri possit, aut Iudaeis CHRISTI sectatores hac e stirpe exortos adiungebant. Et sane rationibus et argumentis ponderatis hac in una sententia veri vestigia cernuntur; ceteris tria obstant gravissima. Primum enim ut nulla se prodit causa, cur PAULUS homines cuiuslibet loci, originis et aetatis simul obiurgasse censendus sit; neque eius ingenio convenit eiusve in morem quadrat Apostrophe ad gentes exteras vel partem earum conversa; ita vix aut ne vix quidem credibile est, eum

---

[1]) *De Spir. et lit.* Lib. I. cap. 26.

[2]) *Erklärung der Ep. Pauli an die Römer. Mit einem Vorwort von* BECK.

[3]) *Curae Romanae. Notes on the Ep. to the Romans* ad h. l.

Iudaeorum et gentium, quam alibi distinguere soleret [1]), progeniem una eademque turpitudinis nota insignivisse. Deinde BROUWERUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, alii, MARKIO [2]) iam duce, ex vs. 2, 9 sqq. 17. III: 1 solos Iudaeos intelligendos esse probarunt. Imprimis verba vs. 17: *εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ* propterea urgenda sunt, quod ex iis, quum ad orationem persequendam inserviant, luculenter apparet, disputationem praecedentem nullos alios quam Iudaeos tangere potuisse. Tertium, quod, nisi fallor, maximi ponderis est, argumentum hic ipse praebet vs. 1, cuius recta interpretatione sua sponte cadent, quae in contrariam partem afferuntur.

Trium, quae hoc vs. continentur, membrorum primum sic se habet: *Διὸ ἀναπολόγητος εἶ, ὦ ἄνθρωπε, πᾶς ὁ κρίνων.* Sed vix haec verba oculis percurrimus, quin iam statim in angustias nos compellat Particula illa *διό*, in qua dissensionis supra memoratae praecipua etiam causa et origo cernitur. Plerique eam ex Cap. I: 32 explicare conati sunt, neque eandem tamen viam sequentes. BROUWERO, REICHIO [3]), FRITZSCHIO, WETTIO, KREHLIO, quos praecesserunt SLICHTINGIUS aliique, vocabulum referre placuit ad *τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα* cet. ut sensus sit: *Propterea, quod statutum Dei est, eos, qui haec et talia agant* cet. Alii, etiam recentissimi, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, illud connectere maluerunt cum

---

[1]) *Rom.* II: 12 sqq. 17 sqq. III: 1 sqq. IX: 30, 31. 1 *Cor.* I: 22, 23. IX: 20, 21. *Gal.* II: 15. *Eph.* II: 12. *Col.* III: 11.

[2]) *Script. Exercitat. ad XXV selecta loca* N. T. p. 604 sqq.

[3]) *Versuch einer ausf. Erkl.* cet.

verbis *οἵτινες ἐπιγνόντες*, quo auctor dicens inducitur: *Propterea quod nemo non agnoscit, morte dignos esse* cet. *Ambrosiastro* aliisque iudicibus Particula *διό* cum proxime praecedentibus *συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι* cohaeret et sic explicanda est: *Propterea quod illi etiam collaudant vitiosos et facinorosos.* At vero si animadvertimus, versum 32 Capitis I cum vs. 28 sqq. conglutinatum esse, tribus illis interpretandi rationibus hoc unum idemque obstare videmus, quod conclusionem non ex praecedentis sententiae summa petant, sed tantum ex eius appendice, et huius quidem appendicis particula. Tum sigillatim habent singulae, quibus probabilitas earum tollatur. Nam qui a partibus stant primo loco memoratis, vocabulum *ἀναπολόγητος* aliter quam supra (Cap. I: 20) explicare coguntur, et ita quidem, ut per Litoten denotet *condemnandum* vel *morte dignum.* Altera interpretatio labefactatur eo, quod et Breviloquentiam, cui succurrendum sit scribendo *quamvis agnoverunt*, Participio *ἐπιγνόντες* inesse vidimus, et in hoc vs. 1 *agnitionis* nulla mentio fit. Tertia ut quodammodo ferri posset, Apostolus scribere debuisset: *Διὸ καὶ σὺ ἀναπολόγητος εἶ.* Hoc autem ipsum, quod oratio vocibus *καὶ σύ* caret, calculum quoque adiicere vetat VORSTIO, KÖLLNERO, GLÖCKLERO, aliis, Particulam *διό* ad totam disputationem, inde a Cap. I: 18 de gentibus exteris institutam, referentibus. Quid igitur superest? An fortasse, ut RÜCKERTO, doctissimo variarum interpretationum censori, assentiamur, ubi nexum vere Logicum in oratione desiderari contendit, nisi ei unum alterumve cogitando addatur? Idem quodammodo largiuntur, qui cum THOLUCKIO et OLTRAMARIO notionem Parti-

culae *διό* hoc loco laxiorem habent. Sed describere iuvabit egregiam annotationem ESTII, „illud *propter quod*, Graece *διό*, id est *igitur, proinde* significare quidem illationem quandam ex superioribus, sed ita, ut supplenda sit probatio ex verbis subsequentibus: *in quo enim iudicas.*" Itaque hunc ducem sequens ratiocinationem sic connectendam esse censeo: *quae quum ita sint et quum eadem agas atque illi*, *ἀναπολόγητος εἶ* cet. Nec longe hinc discrepant, quae attulerunt REICHIUS, FRITZSCHIUS, alii, etiam TURNERUS [1]). Concedere tamen nequeo, Particulam *διό* referri posse ad sequentia, quemadmodum *διὰ τοῦτο Ioann.* VII: 22. 2 *Tim.* II: 10. Sed *Act.* XX: 26. XXV: 26. *Rom.* XIII: 5. 2 *Cor.* XII: 10. *Eph.* IV: 25 infra demum explicatio, probatio vel confirmatio legitur.

Ex adhuc disputatis sequitur, verba *Διὸ ἀναπολόγητος εἶ* interpretanda esse: *Proinde inexcusabilis es*, i. e. *nihil habes, quo te* (scilicet *apud Deum*) *defendere possis.* Haec autem non indicare aliquid, quod ei, qui compellatur, cum gentibus supra notatis commune, sed quod ei proprium sit, ostendunt connexa, quae sic distinguenda sunt: *ὦ ἄνθρωπε, πᾶς ὁ κρίνων.* Dissimilia sunt, quae a WETSTENIO aliisque e veterum libris afferuntur. In Singulari auctor, quemadmodum vs. 3 et Cap. IX: 20, Apostrophe usus est ad eorum, qui sibi ante oculos obversabantur, *tenuitatem humanam* Divinae maiestati opponendam. Neque unum aliquem, sed *certum hominum genus* ab eo petitum esse, intelligimus

---

[1]) Atque ita, si mentem eius bene intellexi, MEIJERUS, *Krit-exeg-Komment.* Ed. II, qua infra constanter usurus sum.

ex Adiectivo πᾶς, quo alibi etiam, in similibus dicendi formulis, uti 1 *Cor.* IX: 25. *Gal.* III: 13. *Hebr.* V: 13, *genus* indicatur. Quale illud genus fuerit, docent huius membri postrema: ὁ κρίνων. Alienum autem, nisi fallor, PAULO affingunt interpretes, quotquot cum BEZA orationi addenda esse monent vocabula τὸν ἕτερον. Immo studiose ille nihil aliud scripsisse videtur quam ὁ κρίνων, i. e. *qui iudicas*, seu *iudicem agis*, ut lectoris animum ad *unam iudicandi actionem* attenderet. Multo gravius vero peccatum est in huius Participii notione definienda. Iam diu, quam nobis gratulamur fortunam, praeteriere tempora, quum Simplici κρίνειν eadem *condemnandi* significatio tribui solebat ac Composito κατακρίνειν. Sed quamvis hodie illud a nemine paulo intelligentiori repetitur, plerique tamen aequalium nostrorum auctorem hîc *leve*, *acerbum* vel *iniquum iudicium* significasse contendunt. Quid? quod varios e N. T. excitant locos, ut hoc suum placitum probent auctoritate, quae in loquendi usu cernitur. Atque sic tandem nihil aliud supererit, quam ut cum nonnullis eorum sumamus Simplex κρίνειν et Compositum κατακρίνειν hoc loco fere eodem redire. Equidem is non sum, qui inficier, haud raro argumentum tractatum esse, quod faceret, ut Simplex illud de *iudicio minus benigno* usurparetur. Rursus tamen VV. DD. ad hoc probandum satis multos locos attulerunt, in quibus, uti *Rom.* XIV: 3, 4, 13. 1 *Cor.* IV: 5. *Iac.* IV: 11, 12, connexa nullam aliam quam meram *iudicandi* notionem ferunt. Sed quaestio tantum agitur, quomodo interpretandum sit, ubi eadem in sententia legimus κρίνειν et κατακρίνειν. In hac sane utriusque coniunctione mira se pro-

deret negligentia, si Simplex aeque ac Compositum inserviret ad *iudicium minus benignum* significandum. Cur vero longus sim? Contrarium evidenter docent exempla locorum N. T. qui utrumque hoc verbum vel affinia continent, nempe *Matth.* XII: 41, 42. *Luc.* XI: 31, 32. *Rom.* V: 16. XIV: 22, 23. 1 *Cor.* XI: 32. Similiter Simplex alibi a Composito distinguitur, uti *Susann.* vs. 53, ubi legimus: *Κρίνων κρίσεις ἀδίκους, καὶ τοὺς μὲν ἀθώους κατακρίνων* cet. item in *Liturgia* vet. [1]) quae de IESU tradit: *παραδοθεὶς Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι, καὶ κριθεὶς ὁ κριτὴς, καὶ κατακριθεὶς ὁ σωτήρ.* Addantur PLUTARCHI [2]) verba: *Μαχαίτᾳ δέ τινι κρίνων δίκην καὶ ὑπονυστάζων, οὐ πάνυ προσεῖχε τοῖς δικαίοις, ἀλλὰ κατέκρινε.* Perperam STEPHANUS, SUICERUS et plerique Lexicographi. Sed non sine ducibus in hac PAULI oratione interpretanda procedo. Verbis *κρίνειν* et *κατακρίνειν* hic distinguendis mihi praeeunt quodammodo ERASMUS, GROTIUS, COCCEIUS, tum multo antiquiores PELAGIUS et THEODORETUS, qui hactenus rectissime Caput II explicare incipit: *Εἶτα πάλιν ἑτέρως δεικνυσιν ἔχοντας ἡμᾶς τὴν τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν ἐναντίων διάκρισιν.* Recentiori aetate secuti sunt FRITZSCHIUS, HODGIUS [3]), REITHMAYRUS, pauci alii, quorum tamen nemo id, quod verum est, tam probe intellexisse videtur quam REICHIUS, qui *τὸ κρίνειν* hoc loco *τῷ*

---

[1]) *Constit. Apost.* Lib. VIII. Cap. 12. COTEL. Tom. I. p. 402.

[2]) *Moral.* p. 178 F.

[3]) *Comment. sur l'Épitre aux Romains par* C. HODGE. *Traduit de l'Anglais* ad h. l.

κατακρίνειν e regione oppositum esse scripsit. Apostolo autem, nisi fallor, mentem suam omnino tribuam verbis *qui iudicas* vel *iudicem agis* exponendis: *qui tuo iudicio discernis homines Deo placentes hominesque Deo displicentes.* Ita vero ille neutiquam gentium exterarum sobolem, sed *solos* adoriri potuit *Iudaeos*, sectae maxime Pharisaeorum, quippe quorum superbiae hoc proprium erat, ut suam tantum stirpem Deo dilectam, ceteros ADAMI posteros omnes Deo odiosos esse iactarent. Quaestio, cur hos suos populares non nominatim compellaverit, haud paucos sine causa exercuisse videtur. Tam insignitam enim eorum fecit imaginem, ut nemo dubitare posset, quosnam peteret Apostrophe. Sed consulte PAULUM nihil aliud scripsisse puto quam: *o homo, quisquis es, qui iudicem agas*, quo acrius in Iudaeos tenuitatis humanae participes inveheretur, quotquot avita iudicandi temeritate sibi solis divinum favorem arrogarent, exteris vero gentibus omnibus eum denegarent. Atque sic primarium attigit huius Epistolae argumentum.

Nunc, age, videamus, quomodo, ut via et ratione oratio procedat, cum primo eius membro connectendum sit *secundum: ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις.* Antithesin, quae vocabulis *τὸν ἕτερον* et *σεαυτόν* inest, quisque sua sponte animadvertit. Hoc gravitatis causa Verbo *κατακρίνεις* praepositum est; illa BENGELIUS bene explicuit: *qui ad te nil attinet.* Singulari enim auctor non usus est, ut *unum hominem* indicaret, sed ut Numerus Numero responderet ad *alios quoslibet* a Iudaeo distinguendos. Formulam *ἐν ᾧ* alii cum KÖLLNERO interpretantur *quo tempore*, alii cum BAUMGARTEN-CRUSIO *dum*, alii

cum OLTRAMARIO *eo quod.* Haud minus vero loquendi usui consentaneum est scribere *qua in re* [1]), quod FRITZSCHIO, REICHIO, RÜCKERTO, OLSHAUSENIO, MEIIERO, WETTIO, KREHLIO, PHILIPPO, MAIERO et, si recte vidi, plerisque placuit. Sed si cum CALVINO aliisque Vulgatum Latinum sequimur, qui Graeca reddidit *in quo*, atque haec explicamus *ea in causa, in qua,* et locorum, ubi itidem Verbum *κρίνειν* legitur, nempe *Rom.* XIV: 22 et *Col.* II: 16, et exemplorum, quae infra vs. 21 sqq. proposita sunt, rationem maxime habere videmur. Eadem vero exempla, quibus a *verbis* Iudaeorum *vita* eorum discrepare dicitur, me movent ad assentiendum ESTIO, ubi, praeeunte THOMA *Aquinate*, Verbum *κατακρίνεις* interpretatur: *facto condemnas.* Similiter *Sap. Sal.* IV: 16: *Κατακρινεῖ δὲ δίκαιος καμὼν τοὺς ζῶντας ἀσεβεῖς*: item *Rom.* VIII: 3. XIV: 23. *Hebr.* XI: 7. 2 *Pet.* II: 6 [2]). Itaque, si disputata probanda sunt, membri alterius sensus est: *eadem enim in causa, in qua alios quoslibet ore iudicas, te ipsum facto condemnas.*

Atque haec interpretatio Verbi *κατακρίνειν* requiritur, ut cum membro illo bene cohaereat *tertium: τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων.* Acrimoniam, quae in postremis *ὁ κρίνων* cernitur, recte animadverterunt

---

[1]) Ita 2 *Cor.* XI: 12. 1 *Pet.* II: 12. III: 16. Cff. WINER. p. 463. BERNHARD. p. 211. Similiter Plurale *ἐν οἷς* *Act.* XXIV: 18. *Phil.* IV: 11. 2 *Tim.* III: 14. Cf. BUDAEUS. p. 1347.

[2]) Similiter *Matth.* XII: 41, 42. *Luc.* XI: 31, 32 orationem demum ab eo intelligi posse puto, qui Verbum *κατακρίνειν* interpretetur *facto condemnare.* Sed etiamsi quis his de locis a me dissentiat, de iis, quos supra excitavi, nemo dissentire potest.

FRITZSCHIUS aliique. Sed haud secus frustra laboratum puto ad efficiendum, Plurale τὰ αὐτά non intercedere, quominus Singulare ἐν ᾧ exponatur *qua in re*, quam ad illud oppugnandum. Hoc enim Plurale, non proxime praecedenti ἐν ᾧ, sed remotiori αὐτά respondere, e vs. 2 et 3 intelligimus aeque atque e primi membri, quam proposui, interpretatione. Neque huius structurae probitatem in dubium vocabit qui prava Capitum divisione factum esse viderit, ut oratio usque ad vs. 17 deinceps procedens longius a praecedenti segregaretur [1]). Seriem vero restituimus hoc membro explicando: *eadem enim, quae gentes agunt et collaudant, ipse agis, qui iudicas, Deo placentes discernens Deoque displicentes.* Res autem ipsa loquitur, hoc aeque ad *studia* atque ad *facta* applicandum esse.

Vers. 2.

Apostrophen in hominem, qui, quum alios iudicat, sua ipsius vita condemnatur, excipit commemoratio notionis communis: *Οἴδαμεν δὲ, ὅτι τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ ἐστι κατὰ ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας.* Nullius numeri testimonium librorum est, in quibus legimus: *οἴδαμεν γάρ.* In eo enim cernitur mutatio, eodem ex errore profecta, qui nonnullos etiam transversos egit interpretes orationis

---

[1]) Nonnulli VV. DD. ad corrigendam divisionem praeiverunt, uti GROTIUS, qui tamen minus cogitate monuit a vs. 9 novi Capitis exordium duci. Iam ORIGENES vs. 1 huius Capitis cum praecedenti arcte connexuit.

seriem minus intelligentes. Ergo in reprehensionem non incurrunt, qui cum REICHIO Particulam δέ secundum loquendi usum interpretantur *atqui* vel similiter. Verbum οἴδαμεν, cui Pronomen ἡμεῖς adiectum non est, KOPPIUS male explicuit *nos Iudaei.* Neque causa est cum FLATTO et PALMIO putandi, *praesertim Iudaeos* significari. Praecedentia enim Cap. I: 32 ostendunt, PAULUM exteris etiam gentibus tribuisse, quod hoc loco scriberet. Nihil aliud igitur superest, quam ut vulgarem, quae locis similibus, uti Cap. III: 19. VIII: 22. 1 *Tim.* I: 8, commendatur et a THEODORETO aliisque antiquioribus iam probata est, sequamur interpretationem: *scimus nos homines*, i. e. *vulgo cognitum est*, quod nuperrime MEIIERO etiam placuit. Auctor autem hoc Plurali non usus est, quod Apostrophes factus erat immemor, sed dicere voluit: *Atqui vulgo cognitum est, teque etiam latere nequit.*

Sequentia nihil habent, quod in disquisitionem vocari mereatur, praeter formulam κατὰ ἀλήθειαν. Unanimo consensu ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, aliique veteres eam interpretati sunt *ad veri normam*, i. e. monitore FRITZSCHIO, *ut veri ratio exigit.* Eandem interpretationem fere omnes ad hunc usque dedere diem. Recentiore vero aetate RAPHELIUS, PALAIRETUS, KOPPIUS, KÖLLNERUS, KREHLIUS auctores fuerunt formulae illi vim Adverbii *vere* seu *revera* tribuendi. Quas partes KREHLIUS imprimis tueri conatus est. Et sane verba κατὰ ἀλήθειαν, propter connexa ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας, non ad remotius κρίμα, sed ad proximum ἐστί referri debent. Deinde VV. DD. exemplorum copia ostenderunt, ea in Graecorum scriptis Adverbii *vere* seu *revera* notionem habere. Quid? quod

ex uno DIODORO *Sic.* haud pauci afferri possunt loci eodem tendentes. Sed cur KREHLIUS locos tales, si hac in lite multum valeant, plane intactos reliquerit, equidem ignoro. RAPHELIUS interpretatione, quae Graecorum auctoritate nititur, proposita postremum ita disputavit, ut vulgarem ei praeferre videretur. Utique hanc quidem nemo cum frequenti usu Praepositionis *κατά* congruere negavit. Nec vero inde, quod FRITZSCHIUS aliique eius defendendae causa ad locos tantum dissimiles provocarunt, cogendum est, frustra laboraturum, qui similes studiose quaerat. Talem certe nobis praebet IGNATIUS [1]), cuius verba sunt: *Ὀνήσιμος ὑπερεπαινεῖ ὑμῶν τὴν ἐν Θεῷ εὐταξίαν, ὅτι πάντες κατὰ ἀλήθειαν ζῆτε.* PAULI autem orationem postulare, ut formulam *κατὰ ἀλήθειαν* interpretemur *ad veri normam*, FRITZSCHIUS, MEIERUS, OLTRAMARIUS aliique docuerunt. Quemadmodum enim hanc interpretationem valde commendant disputata vs. 3 et 11, item vs. 5 vocabulum *δικαιοκρισία* et circumiecta; sic ea sola convenit cum vs. 1, ubi non ad quaestionem ducimur, *an revera iudicium Dei sit*, sed *quomodo iudicium Dei se habeat.* Verum hoc nemo clarius intelliget, quam qui praecedentia: *σεαυτὸν κατακρίνεις· τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις* mecum explicat: *te ipsum condemnas iisdem agendis, quae agunt et collaudant gentes exterae.* Omnia enim bene ordinata sunt, si reprehensionem illam haec excipit sententia: *Atqui vulgo cognitum est (teque etiam latere nequit), iudicium Dei esse ad veri normam (sine ulla conniventia) in omnes,*

---

[1]) *Epist. ad Eph.* Cap. 6. apud COT. Tom. II. p. 13. Eadem in *Epist. Interp.* ibid. p. 45. Cff. loci a WETSTENIO laudati.

qui talia agant. Et sic quidem suo loco stare deprehenditur formula κατὰ ἀλήθειαν, quam PAULUM praecedentibus τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ ἐστι praepositurum fuisse putaverim, si significasset quod Latine *vere* seu *revera* dicitur. In eo autem, quod formula illa, aeque ac frequentata κατὰ ἄνθρωπον *Gal.* I: 11, ad Verbum ἐστί refertur, nihil esse video quo impediamur, quominus sequentia: ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας, ut suadet locus similis ab interpretibus laudatus *Act.* IV: 33 [1]), itidem ad Verbum illud referamus. Neque interiectis *ad veri normam* oratio carere potest, nisi concedamus, quod multi temere sumserunt, Simplex κρίμα vim habere Compositi κατάκριμα. Ceterum vocabulum ἀλήθειαν, ne aliena notio ei affingatur, vertendo reddere non licet *iustitiam.* At valde tamen dubito, an KREHLIO largiendum sit, FRITZSCHIUM male scripsisse: *ut iustitiae leges postulant.* Haec enim formulae *ad veri normam* explicatio est, iudicio, ut bene monet MAIERUS, accommodata, quippe in quo *verum* vocatur id, quod *iustum* est.

Vers. 3.

Proposito vs. 2 Enthymemate, cui implicite inerat conclusio: *Ergo ad te, qui tua ipsius vita condemnaris, Dei etiam iudicium pertinet*, aptissime PAULUS novum Apostrophen sic exorditur: Λογίζῃ δὲ τοῦτο. Iure meritoque KÖLLNERUS RÜCKERTUM de eo reprehendit,

---

[1]) Cff. 2 *Chron.* XIX: 10. *Luc.* II: 40. VI: 35. *Act.* XI: 28.

quod auctorem orationis perpetuitati magis consulturum fuisse ait, si scripsisset: Ἢ λογίζῃ τοῦτο. Sed haud minus orationis seriem turbat praecedentis Puncti, quae FRITZSCHIO etiam et KREHLIO placuit, mutatio in Colon vel Comma, quo vs. 2 et 3 tanquam eiusdem Antitheseos membra arcte connectantur. Deinde si vel una eademque sententia comprehendi possint duo, quorum alterum a prima Pluralis incipiat, alterum a secunda Singularis; inde certe Apostolum Antithesin facere noluisse apparet, quod Verbo λογίζῃ Pronomen σύ non adiiceret. Interpretationem quod attinet, ex disputatis iam sequitur, recte plerosque, a quibus etiam reapse non dissentit STUARTUS, Particulam δέ habere Adversativam. Verbum λογίζεσθαι proprie, ut STEPHANUS aliique monent Lexicographi, significat *calculos subducere* vel *computare*. Computationem autem et veram et falsam esse posse, nemo est, qui nesciat. Ita quoque et ratiocinatio, et cogitatio, ad quas illud saepe refertur. Mirandum igitur non est, interpretes nonnullos cum PHILIPPO nunc Latine scribi velle *censere*, nunc *opinari*. Sed huiusmodi distinctio praeter necessitatem, nisi fallor, intolerabilis est. Et videant VV. DD. quomodo se expediant 2 *Cor.* X: 2, ubi distinctio illa Paronomasiam, qua auctor studiose usus est, omnino tollit. Proinde si significatur quod falsum est, scribere etiam praestat *censere*, quam *opinari*, cui quoque in PAULI scriptis et alibi magis respondet Graecum δοκεῖν. De Pronomine τοῦτο, quod Verbo λογίζῃ subiectum est, quaestio esse nequit. Inservit enim, ut docent loci similes [1]), ad illud, quod

[1]) *Luc.* X: 11. XII: 39. *Act.* XXIV: 14. *Rom.* VI: 6. 2 *Cor.* X:

sequitur, *significanter* praeparandum. Itaque PAULUS sibi vult: *censesne vero id, quod tale est, ut se ipsum evertat?*

Hoc autem quid sit, explicat auctor verbis: ὅτι σὺ ἐκφεύξῃ τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ. Sed explicationem illam praecedit compellatio: ὦ ἄνθρωπε, ὁ κρίνων τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας καὶ ποιῶν αὐτά, i. e. Latine: *o homo, qui iudicas talia agentes et ea facis.* Animum indignationis plenum et tituli ὦ ἄνθρωπε prodit repetitio, et nova Iudaei notatio. Quid GREVIO acciderit, quum hanc notationem orationi aliunde adiectam esse suspicaretur, me nescire fateor. Non solum enim illa utrumque cogit, quod vs. 1 et 2 Iudaeo tributum est, iudicii levitatem et morum pravitatem; sed ea etiam hinc expulsa ipsius interrogationis causa quodammodo delitescit. Ea vero praecedente, quisque videt, quam graviter interrogatio hanc in conclusionem desinat: *fore, ut tu effugias iudicium Dei.* Emphasin, quae Pronomini σύ inest ad significandum *tu qui Iudaeus es* recte notarunt interpretes. Nec nonnulla, quae bonae frugis sunt, de usu Verbi ἐκφεύγω monere neglexerunt. Sed haud pauci doctrina sua abusi sunt ad opinionem, Simplex κρίμα notionem Compositi κατάκριμα habere, urgendam. Hanc enim permutationem temere sumi haud pauci in N. T. indicant loci, uti *Matth.* VII: 2. *Ioann.* IX: 39. *Act.* XXIV: 25. Ipsum autem Verbum ἐκφεύγειν nihil aliud decernit, quam sequi debere rem ei, cuius causa agitur, infaustam. Et cuiusmodi illa sit, Nomen docet subiectum, uti

---

11, al. Cff. WINER. p. 486. STUART, *A. Gramm.* p. 199, 200. MATTH. Tom. II. p. 1047. KÜHN. Tom. II. p. 330.

in formulis *ἐκφεύγειν τὸν θάνατον, τὴν δίκην*, etiam *τὴν κρίσιν*, quod 2 *Macc.* VII: 35 exstat. Quemadmodum vero ibi sine dubio propria retinenda est notio vocabuli *κρίσις*; sic alibi [1]), ubi legimus: *οὐκ ἐκφεύξονται [οἱ] ποιοῦντες ἀνομίαν τὸ κρίμα Κυρίου*, ea temere deseritur. Hac in Pauli oratione vocabulo *κρίμα* ab humano iudicio *iudicium* distinguitur *Divinum*. Apostolus, nempe, ex depravatione popularium suorum argumentum petens, superbam eorum exagitat fiduciam, fore, ut Deus gentibus exteris iudex sit, Iudaeis vero non item [2]). Sed recentiorum interpretum error leniter ferendus est, quoniam veteres eos iam a via abduxerunt, etiam CHRYSOSTOMUS, ubi auctori suggerit interrogationem: *τὸ σὸν οὐκ ἐξέφυγες κρίμα, καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ διαφεύξῃ;*

Vers. 4.

Contumaciam animi Iudaeo, nisi superbia sua sibi fraudem fieri patiatur, obiicere volens, acerbae interrogationi PAULUS continuo hanc subiungit acerbiorem: *Ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς*, i. e. *Vel an ubertatem benignitatis eius et indulgentiae et clementiae contemnis?* Qui cum KOPPIO Vulgatae suffragantur interpretanti: *An divitias* cet. et hiatum in orationem important, et loquendi deserunt usum, Cap. III: 29

---

[1]) *Psalm. Sal.* XV: 9, apud FABR. *Cod. Pseud.* V. T. vol. I. p. 956.

[2]) Cff. *Matth.* III: 9 et EISENMENGER. Tom. II. Cap. IV. p. 234 sqq.

et alibi conspicuum, qui postulat, ut Latine scribamus *Vel an.* Neque aliter Particula ἤ reddi debet 1 *Cor.* IX: 6. XIV: 36, quidquid cum SCHLEUSNERO nonnulli monent. Verbo καταφρονεῖς, ut vidit etiam STUARTUS [1]), *contemtionem* denotari, *quae* rebus in facto positis, i. e. *pervicaci morum pravitate ostendatur*, perspicue docent circumiecta. Similiter illud haud raro, uti 1 *Cor.* XI: 22. 1 *Tim.* VI: 2. *Hebr.* XII: 2, usurpatur, quemadmodum apud HERODIANUM [2]) ALBINUS dicitur σπονδῶν καὶ ὅρκων καταφρονήσας. Tria autem cum eo connexa sunt vocabula: χρηστότης, ἀνοχή et μακροθυμία, ut oratione cumulata *summa Dei bonitas erga homines vitiis et flagitiis obnoxios* significetur. Primo, i. e. *benignitati*, tanquam generi, secundum et tertium, i. e. *indulgentiam* et *clementiam*, tanquam species, subiici iam animadvertit ERASMUS. Haec igitur auctor in posteriori membro sine culpa praeterire potuit nihil aliud memorans quam τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ. Sed quid inter utrumque interest? In PAULI orationem, ad unum aliquem conversam, certe non quadrat ORIGENIS sententia, quam post alios recte improbavit MAIERUS, alterum spectare homines *infirmitate magis quam proposito delinquentes*, alterum *pertinaci mente velut exsultantes in delictis suis.* REICHIO iudice inter se tantum *tropo*, non *notione* haec duo differunt. Quod si quis minus probabile habuerit, fortasse ea sic distinguenda videbuntur, ut ἡ ἀνοχή Deum proponat Iudaeis *bona* in eos collata *nondum adimentem*, ἡ μακροθυμία vero *poenas* bene meritas

---

1) *A comment.* ad h. l.

2) *Hist.* Lib. III. Cap. 6. § 11.

iis *nondum infligentem* [1]). Quo magis autem bonitatis Divinae ubertatem amplificaret, tria vocabula auctor pendentia fecit a Genitivo *τοῦ πλούτου*, et pro suo quidem more, ut ex Cap. IX: 23. XI: 33 aliisque locis apparet. Neque in hac dicendi ratione, quamvis eius exempla V. etiam T. praebet, Hebraismus cernitur, ut ESTIUS aliique putarunt, sed usus, quem Graeci cum Iudaeis communem habuerunt. Praeter PLATONIS [2]) verba: *τρυφᾶς ὑπὸ πλούτου τῆς σοφίας,* a FRITZSCHIO aliisque laudata, simile attulit PALAIRETUS, LOESNERUS [3]) non item. Ceterum cum orationis amplitudine, ut KÖLLNERUS bene monuit, coniuncta brevitas est, cui succurretur Graecis ita supplendis: *Vel an pravitate gentium exterarum pertinaciter imitanda ubertatem* cet. Eandem bonitatis Divinae contemtionem *Sir.* V: 4 sqq. et alibi ABRAHAMI nepotibus obiici, varii interpretes notarunt.

Posterius membrum: *ἀγνοῶν, ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει*, cum priori primo adspectu minus cohaerere videtur, si Participium *ἀγνοῶν* exponitur *ignorans*. Idcirco, GROTIO praeeunte, haud pauci interpretes, etiam THOLUCKIUS, KÖLLNERUS, OLTRAMARIUS, STUARTUS, TURNERUS, scribi iubent *non considerans*, alii, uti REICHIUS, WETTIUS, MAIERUS, *scire nolens*. Graecorum quidem in libris me nihil reperire memini, quo alterutrum probari possit. Neque a vulgari Verbi notione, ut antea putavi, discedere

---

[1]) Cf. praeter MEIERUM aliosque interpretes TITTMAN. p. 194, 195. Sed legatur etiam GURLITT. *Studien und Kritiken*. 1840. p. 980 sqq.

[2]) *Euthyphr.* p. 12.

[3]) *Observ. ad* N. T. *e* PHILONE *Alex.* ad h. l.

opus est, ubi IUSTINUS *Mart.* [1]) ait: *Ὁ γὰρ τοῦτον ἀγνοῶν, ἀγνοεῖ καὶ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ.* Sed locis Veteris Novique T. qui excitari solent, uti *Sap. Sal.* VII: 12 [2]). *Sir.* V: 15. *Rom.* X: 3. 1 *Cor.* XIV: 38. 2 *Cor.* VI: 9, diligenter lustratis, ibi quoque hanc notionem retinendam esse apparebit. Quod igitur iure meritoque hoc loco fecerunt FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, MEIERUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, alii. A nonnullis tamen eorum concessum nollem, plus semel Verbi *ἀγνοεῖν*, quamquam significet *ignorare*, hunc esse sensum, ut conveniat cum Latinis *non considerare* vel *non reputare* [3]). Nec cum FRITZSCHIO Participium *ἀγνοῶν* hîc potius interpretandum videtur *et ignoras*, quam *quoniam ignoras.* Sine scrupulo illud ad literam reddere possumus Latino *ignorans*, quo quidem Apostolum non reprehendentem facimus ignorantiam bonitatis illius Divinae, quae vitae pravitate contemnitur, sed, ut sequentia docent, *ignorantiam consilii*, cuius causa Deus hanc bonitatem praestat, eandemque in Iudaeo cum maxime culpandam. Ubi sic procedit au-

---

[1]) *Dial. cum Tryph. Iud.* Cap. 136. OTTON.

[2]) Recte FRITZSCHIUS provocavit ad vs. 13. Sed vs. 12 oratio via et ratione non procedere, nec priori membro posterius congruere videtur. Quapropter SCHLEUSNERUS in *Thes.* Imperfectum *ἡγεῖτο* pro Praesenti *ἡγεῖται* substituit. Sed Graeca *ὅτι αὐτῶν ἡγεῖται* cum eo exponi nequeunt: *quoniam quasi dux deduxit me ad illa.* Omnis sublata foret difficultas, si pro *ὅτι αὐτῶν* scribere liceret *ὧντινων.*

[3]) Ita multi cum FRITZSCHIO explicant verba *οὐκ ᾔδειν Act.* XXIII; 5; PAULUM vero nihil aliud sibi voluisse quam *ignorabam* vel *nesciebam*, propterea mihi persuasum est, quod hîc vocabulum *ἀρχιερεύς* non *Pontificem Maximum* significare puto, sed *unum e sacerdotum principibus*, qui vs. 2 appellatione *Ἀνανίας* a ceteris distinguitur et vs. 4 *Divinitus constitutus* dicitur.

ctor: *ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ*, ERASMO et GROTIO non assentior Adiectivum pro Substantivo positum esse censentibus, sed cum BAUMGARTEN-CRUSIO, OLTRAMARIO aliisque eum ita scripsisse puto, ut *id, in quo* benignitas Divina *adspectabilis est*, ad lectores suos referret. Vocabuli *μετάνοια*, uti etiam Verbi *μετανοεῖν*, vis primaria, nescio, unde clarius intelligatur, quam ex hisce EPICHARMI [1]): *Οὐ μετανοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν*. In Literis vero Sacris frequentata sunt ad laudabilem *animi* vitiis et flagitiis dediti *mutationem* denotandam. Differunt igitur a duobus aliis, *ἐπιστροφή* et *ἐπιστρέφειν*, quae *hominis transgressionem ad Dei partes* significant [2]). Plus dissensionis peperit Verbum *ἄγει*, quo haec sententia concluditur. Actionis Divinae *effectum Iudaeis salutarem* intelligi non posse omnino constat. Ideo nonnulli, praeeunte GLASSIO [3]), uti RAPHELIUS, KYPKIUS, KOPPIUS, PLATTUS, etiam PEILIUS [4]), *conatum* Dei intelligendum esse monuerunt. Sed haud secus a via aberrarunt, quam CALVINUS et BEZA, qui interpretati sunt *deducit*. Summo iure plerique inter se de eo consentiunt, salvo loquendi usu nihil aliud quam *ducit* scribendum esse. At reapse tamen levior discrepantia est, quam esse videtur. Orationis *sensus* certe ab omnibus ita explicatur, ut eodem redeat. Et sane media illa

---

[1]) STOBAEI *Floril.* Tit. I. p. 6. GAISF.

[2]) Cf. STRICKERUS, *de mutatione homini secundum* IES. *et Apost. doctr. subeunda*, praesertim p. 64 sqq.

[3]) *Phil. Sacr.* Tom. I. p. 202, 203.

[4]) *Annotations on the Apostolical Epistles.* Vol. I. Pars. I. Ed. II ad h. l.

εἰς μετάνοιαν luculenter declarant, PAULUM ducentis Dei proposuisse *consilium*, quod propter Iudaeorum contumaciam effectu careret. Similia sunt haec APPIANI [1]), a WETSTENIO aliisque allata: *Οἱ δὲ, Θεοῦ σφᾶς ἐπὶ μετάνοιαν ἄγοντος, τὸ ἁμάρτημα ᾔδοῦντο.* Quid? quod Verbum *ἄγειν* cum Praepositione *εἰς* variis exstat in locis, ubi in censum non venit consideratio, utrum ducendi actio *cum fructu* an *sine fructu* fiat, ut apud DIONYSIUM *Halic.* [2]), qui NUMAE instituta vocat *τὰ εἰς εὐτέλειάν τε καὶ σωφροσύνην ἄγοντα τὸν ἑκάστου βίον.* Itaque PAULI verba reddenda sunt: *ignorans, benignum illud Dei ad animi mutationem te ducere*, i. e. *id agere, ut ad animi mutationem perducaris.* Quod ad enunciandum ERASMUS et VATABLUS usi sunt verbis *allicit et invitat*, alii aliud scripserunt, CHRYSOSTOMUS: *Τοῦτο δὲ ἦν τὸ εἰς μετάνοιαν ἕλκειν τοὺς ἁμαρτάνοντας.*

Vers. 5.

Nullam responsionem exspectans ostendit PAULUS Iudaeo, quid Dei contemtione, cuius culpam a se amovere nequit, ille ipse sibi contrahat. COCCEII, KOPPII, STENGELII, PALMII, BAUMGARTEN-CRUSII, et-

---

[1]) *De Bell. civ.* Lib. II. Cap. 63. SCHWEIGH.


[2]) *Antiq. Rom.* Lib. II. p. 133. SYLB. Locum iam attulit KYPK. Cff. PLATO, *Reipubl.* Lib. III. p. 401 D. XENOPHON *Cyri Disc.* Lib. II. Cap. 1. § 13. Sed in N. etiam T. plus semel *solius ducendi actionis* ratio habetur, uti *Luc.* XXIII: 32. *Rom.* VIII: 14. 1 *Cor.* XII: 2. *Gal.* V: 18. 2 *Tim.* III: 6. *Hebr.* II: 10; item *Luc.* IV: 1, ubi cum TISCHENDORFIO legendum est *ἐν τῇ ἐρήμῳ.*

iam LACHMANNI sententiae, hunc vs. cum praecedenti ad interrogationem continuandam arcte necti debere, et prima verba, et alia argumenta evidenter obstant. Mirandum igitur non est, plerosque editores et interpretes illam cum FRITZSCHIO, RÜCKERTO, MAIERO improbasse. In verbis: *κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου καὶ ἀμετανόητον καρδίαν* frustra Hendiadys quaeritur, sed per popularem dicendi rationem Contentum Continenti sic praepositum est: *pro tua vero pervicacia et animo immutabili.* Similiter Praepositio *κατά*, quamvis etiam reddi potest *secundum*, usurpatur *Act.* III: 17. *Phil.* IV: 11, ut monet OLTRAMARIUS. Connexa: *θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργήν* ipsa quoque satis plana sunt. Postremum enim *iram Divinam*, i. e., ut supra [1]) interpretatus sum, *illud in Deo, quo malum morale indignatur*, seu eius *declarationem* significare, quisque sua sponte intelligit. Tam in N. T. quam alibi [2]) multa se produnt eiusdem notionis exempla. In Pronomine *σεαυτῷ*, uti Cap. XIII: 2 aliisque in locis a STUARTO excitatis, Dativus cernitur incommodi, sed explicandus *tibi ipse*, non vero *tibi ipsi*. Ad usum Verbi *θησαυρίζεις* auctorem duxisse videntur praecedentia *τοῦ πλούτου* vs. 4. Illud autem ab *opum coacervatione* petitum et ad *iram* translatum est,

---

[1]) Ad Cap. I: 18.

[2]) *Rom.* IX: 22. *Eph.* II; 3. 2 *Chron.* XXIV: 18. XXXII: 25, coll. 26. *Esr.* VII: 23. *Sir.* VII: 16. XXIII: 16. 1 *Macc.* III: 8. Ita apud PLUTARCH. *Mor.* p. 174 legimus *δι᾽ ὀργήν* pro *δι᾽ ὀργὴν τοῦ βασιλέως*. Vocabulum *ὀργή*, ubi Articulus *ἡ* praecedat, multo crebrius hanc notionem habere, res ipsa loquitur. Cf. GRABII *Praefat. ad Test.* XII. *Patr.* p. 508.



quemadmodum alibi ad rem malam [1]). Itaque si Graeca Latine interpretamur: *coacervas tibi ipse iram*, mens PAULI cuivis satis erit perspicua.

Plus curae sibi postulant sequentia: *ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ*. Praecipua quaestio est, utrum Editio Recepta sequenda, an vero vocabulis *ἀποκαλύψεως* et *δικαιοκρισίας*, uti variis in libris antiquis factum est, Particula *καί* interponenda sit. Quod quum MILLIO, BENGELIO aliisque [2]) placuerat, FRITZSCHIUS causam eorum defendendam suscepit. Sed levibus argumentis V. D. usus est, se adversus tot subsidiorum auctoritatem tendere nolle aiens et totius huius loci, quo Particulae repetitio commendetur, plenam et grandem orationem esse. Quorum altero sumsit, libros, quibus Particula adiecta est, ceteris fide praestare; altero, circumiecta postulare, ut hoc in vs. Particulae admissio orationem plenam et grandem faciat: utrumque vero aegre ac difficulter probabitur. Nec magni ponderis sunt, quae PHILIPPUS et nuperrime REICHIUS [3]) disputavit ad sententiam FRITZSCHII commendandam. Contra gravissima Receptam Editionem tuentur argumenta. Primum enim, ut orationi inseri possit Particula *καί*, post vocabulum *ἀποκαλύψεως* intelligamus necesse est vel *Χριστοῦ* vel *Θεοῦ*: hoc vero in lo-

---

[1]) *Prov.* I: 18. DIOD. *Sic.* Lib. XX: 36, ubi legatur WESSELING. Plura de translato usu Verbi *θησαυρίζειν* vocumque affinium vide apud scriptores a MEIERO laudatos: ALBERTIUM, LOESNERUM, MUNTHIUM, *Observat. Phil. in Sacr. N. T. libros* cet. ad h. l.

[2]) Etiam KLUITIO l. c. Tom. I. p. 733.

[3]) *Comment. crit.* ad h. l.

quendi incurrit usum, quoniam *τὸ ἀποκαλύπτεσθαι* ubique CHRISTO, nusquam *Deo* tribuitur; illud hinc alienum est, quoniam nomen, et CHRISTI hîc desideratur, et *Dei* proxime sequitur. Deinde quum toto hoc in loco auctor lectoribus de eo persuadere conatur, iustitiam Dei non permittere, ut ullis partibus faveat, optime illi congruunt vocabula *ὀργή* et *δικαιοκρισία*, vocabulum *ἀποκάλυψις*, nisi cum sequenti coniungatur, non item. Porro Coniunctio *καί* omnino requiritur, ut vocabulum vagae lateque patentis notionis *ἀποκάλυψις* inter duo bene definita *ὀργή* et *δικαιοκρισία* stare possit. Denique multo minus credibile est, homines, quales vulgo veteres fuerunt librarii, Particula *καί* adeo offensos fuisse, ut eam omitterent, quam illam hac in oratione frequentatam, ut ingrato vocabulorum *ἀποκαλύψεως* et *δικαιοκρισίας* concursui succurreretur, inter utrumque posuisse. Haud sine causa igitur interpretes recentioris memoriae fere omnes, etiam TISCHENDORFIUS et TURNERUS, Editionem Receptam probarunt. Nec recentisssima REICHII disputatio MEIIERUM permovere potuit, ut nunc retractaret quod antea contra admissionem Particulae *καί* dixisset. Quae quum ita sint, satis certum, nisi fallor, est, PAULUM hîc Genitivum *δικαιοκρισίας* pendentem fecisse a praecedenti *ἀποκαλύψεως*, quemadmodum Cap. XVI: 25 scripserit *κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου*. Hinc sequitur Graeca Latine interpretanda esse: *in die, quo Deus iram suam manifestabit suamque iuste iudicandi virtutem omnibus faciet conspicuam.* Atque sic vocabulo *δικαιοκρισία*, quod STEPHANI, BRETSCHNEIDERI aliorumque Lexica rarioris usus esse docent, sua quoque potestas tribuitur.

Sed quomodo verba ἐν ἡμέρᾳ explicanda sint, nondum ostendimus. Quod LUTHERUS, CALVINUS, BEZA, SLICHTINGIUS, WOLFIUS opinati sunt, Praepositionem ἐν pro εἰς positam esse, hodie refellere non opus est. Plausibilis tantum est sententia, de qua omnes fere recentioris memoriae interpretes, etiam OLTRAMARIUS, KREHLIUS, MAIERUS inter se convenerunt, formulam ἐν ἡμέρᾳ arcte connectendam esse cum praecedenti vocabulo ὀργήν. Cui si cogitando adiicimus Participium ἐσομένην vel simile quid, eandem huic loco tribuemus Breviloquentiam, quae 2 *Cor.* I: 14. 1 *Thess.* III: 13 et alibi exstat [1]). Infra vs. 16 hanc quoque orationis supplendae rationem sequendam esse videbimus. Vocabulum ἡμέρα a iudicii humani *die* ad *iudicii Divini*, a PAULO ceterisque Apostolis praenunciati, *tempus* translatum est. Illud autem, uti vs. 16, item *Matth.* X: 15. XI: 22, 24. XII: 36 cet. Articulo carere videtur, quoniam auctor, quamvis hoc iudicium instare putabat, tempus tamen definire non poterat [2]). Itaque mens eius sic explicetur: *quae manifestabitur, quando advenerit tempus.* Si quis rogat, quale iudicium in hoc aliisque N. T. locis proponatur, eandem caliginem dolere cogor, cui Scriptorum Sacrorum doctrinam de rebus vitae futurae involutam esse non ita pri-

---

[1]) Prorsus dissimilia quoque non sunt 1 *Cor.* I: 8. V: 5, item 2 *Thess.* II: 13. *Hebr.* III: 12. Cff. WINER. p. 494 sq. et BOS in *Ellips.* p. 510.

[2]) Articulum hac de causa a vocabulo ἡμέρα abesse ostendunt, nisi fallor, *Matth.* XXIV: 50. *Luc.* XII: 46. 2 *Cor.* VI: 2. *Iac.* V: 5. 1 *Petr.* II: 12. At salva tamen temporis incerti notatione Articulus ei praeponi potuit, uti 1 *Cor.* I: 8. V: 5 cet.

dem monui [1]). Inde quidem, quod vitae his in terris peractae ratio ubique reddenda dicitur, luculenter apparet, ibi certe totum genus humanum in censum non venire nisi exemtis pueris et infantibus [2]). Utrum eximi quoque debeant an non debeant, quotquot ante CHRISTI aetatem vixerint, difficilior quaestio est, quoniam de talibus mentionem tantum fieri videmus *Matth.* XII: 41, 42. *Luc.* XI: 31, 32, ubi verba *ἀναστήσονται* et *ἐγερθήσεται* figurate accipienda esse puto, neque alii intelligendi sunt, quam quibus se Deus per vates suos patefecit. Et quamvis CHRISTUS *Act.* X: 42 coll. 2 *Tim.* IV: 1 [3]) *κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν* vocatur, nusquam tamen reditus mortuorum in vitam et iudicium supremum, si breve illud *ἀναστάσεώς τε νεκρῶν καὶ κρίματος αἰωνίου Hebr.* VI: 2 et orationem Symbolicam *Apoc.* XX excipimus, uno eodemque tenore memorantur atque ita copulantur, ut in Theologia, praeeunte Symbolo Apostolorum, fieri solet. Quid? quod controversia esse videtur nondum plane diremta, utrum illud iudicandi negotium, quod in N. T. CHRISTO tribuitur, plures spectet homines, quam qui Euangelium praedicari audiverint. Ulterius nihil addo, sed haec occultare nolui, partim ut nonnullos a temere asseverando deterrerem, partim ut quemvis ingenuum lectorem excitarem ad perscrutanda, quae mihi ne magno quidem labore detegere contigerit.

---

[1]) *Comment. in* 1 *Cor.* XV. *Introit.* p. 10, 11.

[2]) Non obstant verba *Apoc.* XX: 12, ubi circumiecta vocabulum *μικρούς* explicare vetant *pueros et infantes*. Cf. Cap. XI: 18.

[3]) Alius generis est quod *Act.* XVII: 31 legimus.

Vers. 6.

Quomodo Deus iuste iudicandi virtutem conspicuam facturus sit, PAULUS nunc sic explicat: Ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, i. e. *Qui reddet unicuique secundum opera eius*, ut interpretatur Vulgata. Haec verba, quae Apostolus ex *Psalm.* LXII: 13 et *Prov.* XXIV: 12 mutuatus est, nihil dubii habent, dummodo exploratum sit, quid sibi velint τὰ ἔργα. Atqui *facta* non denotari a *sermonibus*, *cogitationibus*, *consiliis*, *studiis* distinguenda, sed *totam vivendi rationem*, perspicue intelligimus ex praecedentibus Cap. I: 32. II: 1—3 et sequentibus vs. 7—10, item ex locis V. T. excitatis atque ex loquendi usu, qui se prodit *Rom.* XIII: 12. 2 *Cor.* XI: 15. *Gal.* V: 19. *Col.* I: 21 et alibi, ubi τὰ ἔργα memorantur, etiam *Ioann.* III: 19 sqq. *Apoc.* II: 23, 26. III: 1, 2, 15 cet. Hac autem iudicii Divinii norma proponenda auctor lectoribus suis ostendit, nullo nomine Iudaeos praeferri gentibus exteris. Iure suo MEIJERUS FRITZSCHIUM redarguit, qui huic sententiae inesse putavit, quo PAULUS sibi ipse contradixerit. Nec sine causa contra REICHIUM negavit, generalem, quae in morali huius mundi regimine cernitur, regulam gratia Dei sectatoribus CHRISTI destinata circumscribi. Sed infra quoque, si notiones vocabulorum πίστις et ἔργα bene assecutus sum, patebit, nihil aliud hîc reapse doceri, quam ubi homines tantum *per fidem* favoris Divini et salutis hinc proficiscentis participes fieri dicantur, ut KÖLLNERUS etiam aliique recte viderunt. REITHMAYRI disputatio ad vs. 7, 8 contra eos tantum valet, qui ex *fidei* regione *pietatis* excludunt et *virtutis studium* vel *appetitum*.

Vers. 7, 8.

Quod generatim dixit PAULUS adspectabile facit in hominibus duplicis generis, bonis et malis. Et bonos quidem, quo gravius oratio decurrat, malis praemittit in Protasi, quae sic constituenda videtur: *Τοῖς μὲν, καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ, δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι, ζωὴν αἰώνιον.* Ergo ex vs. 6 Verbum *ἀποδώσει* repeti et coniungi debet cum postremis *ζωὴν αἰώνιον.* Quod ut facillimum est, sic iam placuit ORIGENI, CHRYSOSTOMO, THEODORETO, THEOPHYLACTO, item ERASMO, CALVINO, GROTIO, quos recentiori memoria praeter interpretes a MEIIERO laudatos secuti sunt PALMIUS, HODGIUS, OLTRAMARIUS, STUARTUS, REITHMAYRUS. Sine causa OECUMENIUS, PELAGIUS, *Ambrosiaster*, LUTHERUS, ESTIUS hunc in locum Hyperbaton insolitum importarunt, Verbum *ἀποδώσει* ad vocabula *δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν* referentes et sequentia *ζητοῦσι ζωὴν αἰώνιον* coniungentes. Quod REICHIUM antea probasse miror, nunc vero non amplius probare confido. Haec enim structura orationi Appositionem affingit, qua Protasis longe aliter desinat quam Apodosis. Deinde formulae *τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ* et *ζητοῦσι ζωὴν αἰώνιον* adeo differunt, ut haec illi respondere nequeat. Tum nemo prudens hoc loco committet, ut vs. 10 auctori ingratam Tautologiam adscribere cogatur. Sed falsa etiam cavenda est opinio, verbis *καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ*, aeque ac superioribus *κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ*, iudicii Divini normam proponi. Altera enim *Deum* spectant sua cuique reddentem, alte-

ra *homines* in eo, quod bonum est, sibi constantes. Ab Accusativo *ὑπομονήν*, i. e. *καρτερίαν*, ut HESYCHIUS interpretatur, sequens pendet Genitivus, ut 1 *Thess.* I: 3. Vocabulis autem *ἔργου ἀγαθοῦ*, ut bene viderunt OLSHAUSENIUS, WETTIUS, BAUMGARTEN-CRUSIUS, OLTRAMARIUS, MAIERUS, alii, *perseverantiam in totius vitae probitate* significari, docent loci similes, uti *Phil.* I: 6. 1 *Tim.* V: 10. 2 *Tim.* III: 17. *Tit.* III: 1, praesertim *Hebr.* XIII: 21. Cum GROTIO sumere necesse non est, Singulare pro Plurali positum esse. Multo peius BEZA distinctionem ita mutandam censuit, ut connecteret *ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν*. Quod ad refellendum notare sufficit, nusquam in N. T. Genitivum sibi adiectum habere vocabula *δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν* vel similia. Sed minus intelligendo, quid copulata illa sibi velint vocabula, eodem in errore BEZA versatus est ac REICHIUS, formulam *ζητεῖν ζωὴν αἰώνιον*, et hoc loco frigere aiens, et nihil continere quod remuneratione dignum sit. Imagine auctor usus est ab iis petita, quae, ut iam monuit CHRYSOSTOMUS, *τὰ ἀνθρώποις περισπούδαστα* sunt. Eum vero graviora descripsisse, quam quae his in terris magni fieri soleant, et quidem gloriosa et honorifica in Dei oculis, et ex tota eius disputatione elucet, et inde quoque, quod ubique in N. T. vocabula *δόξα* et *τιμή* ad maiora et superiora denotanda coniuncta sunt, uti vs. 10. 1 *Tim.* I: 17. *Hebr.* II:. 7. 1 *Pet.* I: 7. 2 *Petr.* I: 17. *Apoc.* IV: 9, 11. V: 12, 13. Sed ne ambiguitatis umbra superesset, PAULUS iis et adiecit *ἀφθαρσίαν*, quae his in libris *vitam corruptionis expertem* significat, et praeposuit *καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ*. Haec enim non cum BENGELIO, FRITZSCHIO,

KREHLIO referenda esse ad praecedentia *τοῖς μέν*, ut cogitando iis addatur Participium *οὖσι*, RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MEIIERUS, alii satis commonstrarunt. Nec huic structurae favet Apodosis, quippe cuius formam ab initio aliter se habere, apparet ex Particula *καὶ* verbis *τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας* subiecta. Ceterum notio Praepositionis *κατά* hîc eadem est ac vs. 6. Utroque loco inservit ea ad *normam* denotandam, sed vs. 6 *iudicii Divini*, vs. 7 *vitae humanae*. PAULUS igitur sibi velle videtur: *iis quidem, qui perseverantes in probitate gloriam et honorem et vitam corruptionis expertem quaerunt, vitam reddet aeternam.* Disputationi de usu formulae *ζωὴ αἰώνιος* locus erit infra ad Cap. V: 21.

In Apodosi, cuius prima verba sunt: *Τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας*, interpretes nihil magis exercuit quam vocabulum *ἐριθεία*. Plerique illud cum Vulgata interpretantes *contentio*, homines potissimum intellexerunt *Deo renitentes.* Ita recentiori memoria etiam OLSHAUSENIUS, REICHIUS, MICHELSENIUS, WETTIUS, OLTRAMARIUS, WALFORDUS, STUARTUS, PHILIPPUS, MAIERUS. Pars veterum vestigia sequentes *ἐριθείαν* ab *ἔρις* derivari debere putarunt [1]). FRITZSCHIUS contra, ut hoc vocabulum originem ab *ἔριθος* ducere et *malitiosam fraudum machinationem* significare probaret, in *Excursu* docte disputavit. FRITZSCHIO omnino assensus est KREHLIUS [2]), summatim MEIIERUS, quodammodo RÜCKERTUS, REITHMAYRUS, etiam WETTIUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS. Quatenus vero KÖLLNERUM sequebatur contendens,

---

[1]) Ita praeter alios Lexicographos etiam DUNCANIUS l. c. in v. *ἔρις*.

[2]) Sic etiam MULLERUS et WIESINGERUS ad *Phil.* I: 16 aliique interpretes.

malitiosos fraudum machinatores pro *hominibus nequam* commemorari, nemo, quantum novi, ei adiecit calculum. Et sane hac interpretatione V. D. ea, quae supra disputaverat, retractasse censendus est. Sed quantum desiderii ille hac omni in controversia reliquisset, ipse docuit fatendo, se, quamvis diu multumque de origine et primaria notione vocabuli ἔριθος cogitasset, nihil tamen invenisse, quod sibi ullo modo satisfaceret. LOBECKIUS [1]), meliori non usus fortuna, disquisitioni suae hunc constituit terminum: „Adeo nobis Etymologis gloriari licet quod Sirenibus:

Ἴσμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὅμοια,

nec tamen haec sedulitas eo nos provehit, ut Iota longi, quo ἔριθος a λέκιθος differt, rationem reddere possimus." Quum igitur interpretatio aliter fieri nequeat quam per coniecturam, illud unice prae ceteris eligendum videtur, quod in locis, ubi PAULUS vocabulum ἐριθεία scripsit, orationi contextae maxime accommodatum est. Iam si inspicimus 2 *Cor.* XII: 20. *Gal.* V: 20, quis quaeso inde, quod duo illa ἔρεις et ἐριθεῖαι interiectis ζῆλοι (ζῆλος) et θυμοί a se invicem separantur, non facile cogit, *contentiones* ibi in censum non venire? Hunc vero in locum minus quadrat interpretatio *partium studium* vel *factionum comparatio*, quam ARISTOTELIS [2]) auctoritate post FRITZSCHIUM aliosque MEIJERUS commendavit. Itaque me nondum prorsus poenitet sententiae ante multos iam annos propositae [3]),

---

[1]) *Pathologiae serm. Graec. Prolegomena.* p. 365.

[2]) *Polit.* Lib. V. Cap. 2, 3. Vol. II. p. 1302. BEKK.

[3]) *Comm. perp. in Phil.* I: 16. coll. II: 3.

a qua non plane abhorret quod RÜCKERTO, KÖLLNERO, REITHMAYRO, PEILIO placuit, vocabulum ἐριθεία hîc et alibi significare *cupiditatem sui efferendi*. Quamquam autem illa cupiditas gentibus exteris non plane deerat, vide, quam bene et Iudaeorum, ad quos haec oratio conversa est, indoli congruant, et praecedentibus δόξαν καὶ τιμήν, quibus *vera gloria verusque honor* denotantur, respondeant verba: *Iis vero, qui sui efferendi cupiditate ducuntur.* Similiter Praepositionem ἐκ Cap. III: 26. IV: 12, 14 et alibi usurpari monent interpretes.

Horum hominum perversitatem auctor sic describere pergit: *καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ,* i. e. *et qui, uti se veritati opponunt sibi patefactae, sic vitiis et flagitiis serviunt.* Duo igitur memorantur, quibus homines illi, qui sui efferendi cupiditate ducuntur, conditionis suae humilitatem produnt. Antithesis autem utrique non recta inest, sed obliqua.

Quid vero homines illos PAULO iudice manet? Editio Recepta dicit: *θυμὸς καὶ ὀργή*. Sed ad librorum veterum fidem KNAPPIUS, GOESCHENIUS, LACHMANNUS, TISCHENDORFIUS, TURNERUS excudendum curarunt ὀργὴ καὶ θυμός, quod plerisque recentioris memoriae placuit interpretibus, etiam MEIIERO. FRITZSCHIUS, quem BOSIUS [1]) praecesserat, haec Latine reddidit *ira et excandescentia* eaque explicuit *ira et vehemens quidem*, quod probavit PHILIPPUS, KREHLIUS non item. Utriusque vocabuli notionem distinguendam esse intelligimus ex *Eph.* IV: 31. *Col.* III: 8. *Apoc.* XVI: 19. XIX: 15,

---

[1]) *Exercitat. Philol.* ad h. l.

item ex veterum locis, quos praeter STEPHANUM in *Thes.* attulere WETSTENIUS aliique. Sed hoc loco coniunctim, ut etiam HODGII, OLTRAMARII, STUARTI sententia est, formulae *ζωὴν αἰώνιον* opposita videntur ad *iram* seu *indignationem vehementem* significandam [1]). Minus recte autem CAMERARIUS aliique orationem Verbo *ἀποδοθήσεται* carere putarunt. Studiose enim PAULUS sibi ab huius Verbi usu cavit, quoniam dici quidem poterat *ἀποδιδόναι κακὸν ἀντὶ κακοῦ*, ut legimus Cap. XII: 17. 1 *Thess.* V: 15. 1 *Pet.* III: 9, neutiquam vero *ἀποδιδόναι ὀργὴν καὶ θυμόν*, seu *vehementem Dei iram reddere.* Idem igitur Verbum *ἔσται*, quod vs. 9, 10 reticetur, hîc intelligendum est, ut cum plerisque vidit MAIERUS, qui recte itidem auctorem ab Accusativo ad Nominativum transiisse monet, ne praecedens *ἀποδώσει* repeteretur. Similiter *Hospes* apud PLATON. [2]): *Τί δῆτα προταξαίμεθ' ἂν εὔγνωστον μὲν καὶ σμικρὸν ——— οἷον ἀσπαλιευτής*, scil. *est.* Pertinet hoc Anacoluthon ad genus eorum, quae *cogitata* sunt, ab *incogitatis* probe distinguenda [3]).

Vers. 9, 10.

Argumentum vs. 7 et 8 expositum PAULUS repetit,

---

[1]) Mentem suam minus clare explicuit TITTMANN. *De Synon.* p. 131 sqq.

[2]) *Sophist.* p. 218.

[3]) BERNHARD. p. 462. KÜHNER. Tom. II. p. 156. ALT. p. 233. WINER. p. 615. Hunc PAULI locum etiam attigerunt TROLLOP. p. 208 et VIGER. p. 39, ubi tamen male Verbum *ἀποδιδόναι* repetendum dicitur.

et inversa quidem oratione, a poenis metuendis exordiens. Quod utrum gravitatis causa, an alio consilio fecerit, ignoro; hoc tamen video, Punctum versui 8 subiectum, cum RÜCKERTO non esse mutandum in Colon, quoniam vs. 9 et 10 plena legitur sententia, e Protasi constans et Apodosi. RÜCKERTI partibus fautum nollem a TURNERO, qui recte tamen post alios inter utrumque hunc vs. pro Puncto Colon interposuit.

Prima, quae in Protasi exstant, verba *θλίψις καὶ στενοχωρία* vehementis Dei indignationis describunt *effectum*. Unde tamen non sequitur, ea ad *summam calamitatem* seu *miseriam* denotandam coniuncta esse, ut cum GROTIO contenderunt FRITZSCHIUS aliique. Quod ad probandum nec iuvant *Ies.* VIII: 22. XXX: 6, nec ceteri loci, in quibus VV. DD.[1]) utrumque legi ostenderunt. Ipse auctor vocabula *θλίψις* et *στενοχωρία* non solum Cap. VIII: 35 perspicue distinxit, sed gloriatio eius 2 *Cor.* IV: 8: *ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι* omnino suadere videtur, ut illa hoc etiam loco cum THOLUCKIO, KÖLLNERO, MEIIERO aliisque distinguamus. Quomodo hoc fieri debeat, docent in Apodosi verba *δόξα καὶ τιμὴ καὶ εἰρήνη*, quae, uti praecedentibus *θλίψις καὶ στενοχωρία* explicantur, sic ea vicissim explicant. Inde enim, quod priora *δόξα καὶ τιμή* et *θλίψις* aeque Antithesin continent ac posteriora *στενοχωρία* et *εἰρήνη*, nisi fallor, apparet, vocabulo *θλίψις* indicari, quod *gloriae* et *honori*, vocabulo *στενοχωρία*, quod *paci* oppositum sit. Itaque illud, uti 2 *Thess.* I: 6, *afflictio-*

---

[1]) ALB. *ad Hesych.* v. *θλίψις.* PALAIR. et WETST. ad. h. l.

nem impiis, qua deprimantur, Divinitus imminentem, hoc vero *anxietatem eos intrinsecus cruciaturam* denotat. Iam utrique vocabulo addit Apostolus ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου, quoniam haud secus afflictione impiis Divinitus imminente, quam anxietate eos cruciatura tristissimus proponitur *sensus animum afficiens.* Sine causa plerique per Hebraismum *omnem* seu *quemcumque hominem* intelligi volunt [1]). Quod ad stabiliendum importune WETTIUS aliique PAULUM non scripsisse aiunt ψυχὴν παντὸς ἀνθρώπου vel πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπων. In locis autem, quibus suam interpretationem tueri conantur, uti *Act.* II: 43. III: 23. *Rom.* XIII: 1, commemoratio rerum ad *animum* pertinentium usum vocabuli ψυχή peperit [2]). Sed qui attendit ad *Num.* XXIII: 10. 2 *Reg.* VI: 11. *Ezech.* XLIV: 25. *Act.* XIV: 2, 22. *Apoc.* VI: 9. XVIII: 13. XX: 4, ubi huic vocabulo in Genitivo adiunctum est aliud Nomen, cum RÜCKERTO et MEIJERO scribere non recusabit *omnem* vel *quemque animum hominis.* Et quum orationi, uti vs. 8, item *Act.* XIII: 11. XVIII: 6. *Rom.* IV: 9. *Gal.* VI: 16. 1 *Pet.* III: 12, cogitando addendum sit Verbum Substantivum, quod vs. 2 et alibi expressum est, PAULUS hac in Protasi dicit: *Afflictio et anxietas erunt super omnem animum hominis efficientis id quod malum est, Iudaei primum et Graeci.* Quid formula Ἰουδαίου τε πρῶτον καὶ Ἕλληνος sibi velit, vidimus supra ad Cap. I: 16.

---

[1]) Cum interpretibus consenserunt VORSTIUS, *de Hebraismis N. T.* Pars. I. p. 116. LEUSDENIUS, *Philolog. Hebraeo-Graec.* p. 99, 100. GATAKERUS, *de Novi Instrum. Stylo.* p. 65. Cff. ALT. p. 37 et TROLLOP. p. 216.

[2]) L. omnino WINER. p. 180, 181.

Antithesis, quam praeter alios bene intellexit REITHMAYRUS, cernitur in Apodosi vs. 10: *Δόξα δὲ καὶ τιμὴ καὶ εἰρήνη παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθὸν, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι*, i. e. *Gloria vero et honor et pax erunt omni facienti id, quod bonum est, Iudaeo primum et Graeco.* Vocabulum *εἰρήνη*, quum soli *στενοχωρία* opponatur, praecedenti *θλίψις*, ut nonnulli putarunt, non item, KREHLIUS, MEIERUS, alii recte ad *animum* retulerunt. Significat igitur, uti Cap. I: 7. V: 1, *tranquillitatem* seu *beatitatem animi pacem cum Deo habentis.* Iam sequitur Dativus, non vero Accusativus cum Praepositione *ἐπί*, quoniam eius indolis sunt *δόξα* et *τιμή*, ut in hominis earum participis animum, aeque atque *εἰρήνη*, penetrare nequeant. Idcirco in Apodosi etiam non memoratur *πᾶσα ψυχὴ ἀνθρώπου.* Cur autem hîc Participium Simplex *ἐργαζομένῳ*, in Protasi Compositum *κατεργαζόμενου* legatur, quaestio paulo difficilior est. Utrique haud pauci eandem tribuunt notionem [1]). Et Compositum plus semel pro Simplici usurpari STEPHANUS aliique opinati sunt. Equidem vero mihi persuadere non possum, auctorem eadem in sententia utrumque adhibiturum fuisse, nisi alterum ab altero distinxisset. Sed quomodo tandem distinguenda sunt? BENGELIUS, „Differentia," inquit, „horum verborum facilius sentitur, quam explicatur: facilius ridetur, quam refutatur." FRITZSCHIUS, cui PHILIPPUS asssentitur neque OLTRAMARIUS omnino renititur, per Praepositionem *κατά*, nunc vim Simplicis *ἐργάζεσθαι* augeri, nunc illud in

---

[1]) Cf. TITTMANN. p. 172.

deteriorem partem flecti contendit. Sed vide, quam imprudenter suam ipse fidem infringat aiendo, alterum *Cap.* VII: 18, alterum ibidem vs. 17 cerni, quod incredibile est. Quid? quod Compositum *κατεργάζεσθαι* Cap. V: 3. XV: 18. 2 *Cor.* VII: 11, ut recte monent RÜCKERTUS, WETTIUS, KREHLIUS aliique, ea spectat, quae bona sunt. Hanc unam igitur vim habet Praepositio, ut Verbi notionem intendat. Quod THEOPHYLACTUM non fugit scribentem: *Τὸ κακὸν κατεργαζόμενος, τουτέστιν, ἐπιμένων καὶ μὴ μετανοῶν. Οὐ γὰρ εἶπεν ἐργαζόμενος, ἀλλὰ κατεργαζόμενος, ἤγουν μελέτην ποιούμενος τὸ κακόν.* Sed Simplex et Compositum, nisi fallor, distinguenda sunt, uti Latina *facere* et *efficere*, vel etiam *operari* et *consummare* [1]). Praesertim comparari debent loci, in quibus conveniunt. Illustre exemplum praebent verba DEMOSTHENIS [2]): *κατεργασάμενος τὴν ἀργυρῖτιν, ἣν οἱ ἐμοὶ οἰκέται εἰργάσαντο.* Eodem tendunt verba PAULI 2 *Cor.* VII: 10, 11, ubi pro primo *κατεργάζεται* cum LACHMANNO et TISCHENDORFIO ad fidem Codicum substituendum est *ἐργάζεται.* Atque sic inter ea interesse deprehendimus, ubi primo adspectu alterum vicibus alterius fungi videatur. Hîc Simplici Compositum excipi putaverim, quia in Protasi auctor *malum, quod*

---

[1]) Multis in locis sermo etiam vernaculus hanc distinctionem admittit, ut pro Simplici *ἐργάζεσθαι* scribatur *werken*, pro Composito *κατεργάζεσθαι*, *bewerken.* Ita 2 *Cor.* V: 5 Graeca: *ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς* sine scrupulo reddantur: *die ons nu bewerkt heeft.* Et sic alibi, ubi Verbum Accusativum *Personae* post se habet, ut apud EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. II. Cap. 15. Tom. I. p. 136. HEIN. Ceterum cf. BUDAEUS p. 374.

[2]) *πρὸς Πανταίνετον.* Tom. II. p. 109 SCHAEF.

factis perpetratur, in Apodosi *bonam totius vitae rationem* proponere vellet. Similiter Verbum *ἐργάζεσθαι* totius vitae rationem spectat *Matth.* VII: 23. *Ioann.* VI: 27 coll. 28. *Act.* X: 35. 1 *Cor.* IX: 13. *Gal.* VI: 10, ubi legimus *ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθόν* [1]). Hoc autem tenendo intelligemus, PAULUM in locis, ubi *opera* a *fide* distinguit, sibi ipsum non contradicere.

Vers. 11.

Superiores futurorum praedictiones Apostolus gravi confirmat sententia: *Οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ*, cuius similia exstant *Eph.* VI: 9 et *Col.* III: 25. Vocabulum *προσωποληψία* frustra quaeritur apud interpretes V. T. et multo minus usitatum fuit scriptoribus Graecis; rem vero perspectam habuere omnes. Iam apud HOMERUM [2]) de regum iniquitate dicentem audimus PENELOPEN:

Ἄλλον κ' ἐχθαίρῃσι βροτῶν, ἄλλον κε φιλοίη.

Proxime vero accedit formula *λαμβάνειν πρόσωπον* *Mal.* I: 8, 9, quacum permutatur *θαυμάζειν πρόσωπον* *Deut.* X: 17. 2 *Chron.* XIX: 7. Utraque *Lev.* XIX: 15 non solum coniuncta est, sed ibi continuo etiam sequitur admonitio: *ἐν δικαιοσύνῃ κρινεῖς τὸν πλησίον σου*, qua homines in iudicio, ut GROTIUS ait, nihil aliud, quam quod in iudicium venit, respicere, i. e. nulla personarum ratione habita iuste iudi-

---

[1]) Cf. *Test. Beniam.* Cap. 11. p. 746.

[2]) *Odyss.* IV. 692.

care doceantur. Similiter PAULUS apud Deum non esse monens *προσωποληψίαν*, omnem ab eo *personarum*, quae ERASMI etiam interpretatio est, amovet *respectum*, quo partium studio ductus eadem in aliis probet, in aliis improbet. Atque ita negandi formula asseveranter Iudici Supremo vindicat *δικαιοκρισίαν* vs. 5 iam memoratam. Quod qui cum OLTRAMARIO Iudaeorum causa fieri concedant, minus intelligo, quomodo sumere possint, obiurgationem praecedentem ad exteras quoque gentes pertinere.

Vers. 12.

More suo PAULUS id, quod ad praecedentia confirmanda adscripsit, denuo confirmat, exemplis illud tanquam adspectabile facere cupiens. Si quis miratur, hoc in vs. utrumque exemplum homines spectare peccati culpa oneratos, immemor est consilii auctoris eo tendentis, ut Iudaeos et gentes exteras pariter morte dignos esse probet, quod REICHIUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS hîc in censum venire viderunt. Ad gentes exteras sine dubio referri debet prius orationis membrum: *Ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται.* Praecipua quaestio est, quid vocabulum *ἀνόμως* significet. De eo quidem nemo dubitat, an oratio contexta postulet, ut illud interpretemur *χωρὶς νόμου* vel *ἄνευ νόμου*, i. e. *sine lege.* Sed haec eius notio a more recedit Scriptorum Sacrorum et exterorum, qui, si excipimus 1 *Cor.* IX: 21, affinia *ἄνομος*, *ἀνομία* cet. de *legis violatione* usurpare solent, quemadmodum Adverbium *ἀνόμως* 2 *Macc.* VIII: 17 etiam

usurpatur. Ex ISOCRATE [1]) tamen KOPPIUS, REICHIUS, FRITZSCHIUS, OLTRAMARIUS, praeeunte ALBERTIO [2]), afferunt verba: *Παραλαβοῦσα* (sc. *civitas nostra*) *τοὺς Ἕλληνας ἀνόμως ζῶντας, καὶ σποράδην οἰκοῦντας, καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ δυναστειῶν ὑβριζομένους, τοὺς δὲ δι' ἀναρχίαν ἀπολλυμένους, καὶ τούτων τῶν κακῶν αὐτοὺς ἀπήλλαξε———. Πρώτη γὰρ καὶ νόμους ἔθετο, καὶ πολιτείαν κατεστήσατο.* OLSHAUSENIUS quidem hoc quoque loco *legis violationem* proponi voluit, quamquam homines simul *sine lege* viventes indicari concedens; sed V. D. opinione falsus est. Comparari meretur Quod Rhetor Atticus infra [3]) scripsit: *Πολλῶν κακῶν τῇ φύσει τῇ τῶν ἀνθρώπων ὑπαρχόντων, αὐτοὶ πλείω τῶν ἀναγκαίων προσεξευρήκαμεν, πολέμους καὶ στάσεις ἡμῖν αὐτοῖς ἐμποιήσαντες, ὥστε τοὺς μὲν ἐν ταῖς αὐτῶν* (sc. *πατρίσι*) *ἀνόμως ἀπόλλυσθαι* cet. Iam postrema eandem continent formulam *ἀνόμως ἀπόλλυσθαι*, qua PAULUS usus est. Haec vero et talia sibi habet circumiecta, et tam clare respondet verbis supra excitatis *δι' ἀναρχίαν ἀπολλυμένους*, ut Adverbium *ἀνόμως* aliter explicari nequeat quam *sine lege*. Transferimur igitur in tempora legislatoribus Graecorum antiquiora, quae nobis HOMERUS, cui vocabulum *νόμος* plane incognitum fuit, repraesentare dicitur [4]).

---

[1]) *Panegyr.* Cap. 10. COR.

[2]) *Observat. Philol.* cet. ad h. l.

[3]) Ibid. Cap. 44.

[4]) Cff. STEPHANI *Thes.* item ESTIUS aliique interpretes. Apud HESIODUM vocabulum *νόμος* non frustra quaeritur; ibi vero non *legem* significat, sed *vivendi modum ac morem*. Vide LENNEPIUM ad *Theogon.* vs. 66. *Opera et dies.* vs. 276.

Hinc autem si rationem petimus vocabuli illius interpretandi, Apostolus sibi voluisse videtur *sine lege aliqua*, sc. *scripta* vel *constituta*.

Atqui hac interpretatione me multis fortasse lectoribus fallaces in scopulos compellere videbor. Omnes fere interpretes tam recentioris quam antiquioris memoriae Adverbio *ἀνόμως legem Mosaicam* significari putarunt. *Eandem legem* in altero membro formula *ἐν νόμῳ* denotari, itidem commune fere iudicium est. Nimirum nemo ignorat, WINERUM sententiam ante plus semel propositam, vocabulum *νόμος* in N. T. sive Articulus illud praecedat seu non praecedat, hanc notionem habere, in postrema Grammaticae suae Editione [1]) repetiisse. Alii Grammatici [2]) idem sibi placere prodiderunt, uti FRITZSCHIUS, REITHMAYRUS, PHILIPPUS, qui vocabulum *νόμος*, quamvis nihil ei adiectum sit, in omnibus N. T. locis, nullo excepto, *legem per* MOSEM *patefactam* denotare asseveravit. Hinc reapse non discesserunt, qui cum BOSVELDIO, KOPPIO, HODGIO [3]) *Literas Sacras* vel *quod in Literis Sacris patefactum est* intelligi malebant. Nemo autem ad hanc interpretationem tuendam RÜCKERTUM, quantum novi, superavit diligentia. Equidem vero salva reverentia, qua multos horum VV. DD. ipsumque WINERUM prosequor, iam dudum ab iis dissentiendum putavi. Ergo, hanc PAULI Epistolam in schola tractans, probare conatus sum, inter duo illa *νόμος* et *ὁ νόμος* revera interesse. Identidem alios esse animadverti, qui hacte-

---

[1]) L. c. p. 140.

[2]) ALT. p. 31, 276. STUART. *Gramm.* p. 145.

[3]) Ita etiam STUART, *Comment.* ad h. l.

nus mecum convenirent, ut nonnullis saltem in locis vocabulo *νόμος generalem legis notionem* tribuerent [1]). Ipse RÜCKERTUS mihi contradicendi animum fecit, quum vir acutissimus causam suam ita ageret, ut non omnino deesse fateretur, quo ab altera parte disputari posset. Sed mea etiam in sententia valde confirmatus sum ab illo tempore, quo OLTRAMARIUM eadem in via, quam ingressus eram, deprehendebam. Nunc vero me nondum perturbat silentium, quo VV. DD. disputationem eius praeteriverunt, quasi levior esset, quam ut examinari mereretur. Contra me erigit cogitatio ab omni quidem probabili non alienum fore, quod nostrum utrique, dum alterum alterius placitum lateret, in mentem venerit. Proinde fidenter periclitabor, quid ad causam meam defendendam valeam. Sed brevitati, quantum possim, me studere oportebit. Quare satis habebo argumenta, quibus a vulgari sententia amoveor, verbo indicare. Et mihi quaenam propria, quaenam cum OLTRAMARIO communia sint, lectori hoc scire cupienti relinquam explorandum.

Primum incredibile mihi est, PAULUM aliosque scriptores N. T. vocabulo *νόμος eadem in disputatione* vel *sententia*, nempe *Luc.* II: 22—24. *Ioann.* XIX: 7. *Rom.* II: 14, 15, 23, 27. III: 21. IV: 15. VII: 1, 2, 7. *Gal.* III: 10—13, 23, 24. IV: 21. V: 3, 4. 1 *Tim.* I: 8, 9. *Iac.* II: 8—12, *et cum Articulo et sine Articulo* usos esse, nisi alterum ab altero distinguerent; si quidem utrumque neque ad orationem variandam, nec gratae alicuius negligentiae causa permutasse cen-

---

[1]) MIDDLETON. l. c. p. 303 sqq. TROLLOP. p. 55. Cf. KLUIT. l. c. Tom. I. p. 227, 228. RÜCKERTUS alios memorat.

sendi sunt. Deinde huic vocabulo *Ioann.* XIX: 7. *Act.* XVIII: 15. *Rom.* II: 14. IV: 15. VII: 8. *Gal.* V: 23, ubi illud sine Articulo scribebant, *generali notione* tribuenda, ipsi tanquam digito lectori monstrasse videntur, quomodo alibi accipiendum esset itidem Articulo carens. Quod magis urgendum est, quoniam *Act.* XVIII: 13. *Rom.* III: 19, item Cap. VII: 2, 23. VIII: 2, ubi Nomen in Genitivo sequitur, ὁ νόμος *legem Mosaicam* nequidem denotat, nec *Gal.* V: 14 *totam* illam legem. Sed in censum quoque veniunt loci, in quibus vocabulo νόμος talia praemissa, subiuncta vel circumiecta sunt, ut in loquendi usum incurrere putem, qui sumant, ipsum illud ad *legem Mosaicam* denotandam valere, etiamsi sine Articulo usurpetur, uti *Rom.* III: 27. IX: 31. *Gal.* IV: 4. VI: 2. *Hebr.* VII: 16. *Iac.* I: 25. II: 12. Similiter *Rom.* III: 20, 28. *Gal.* II: 16. III: 2, 5. *Rom.* VII: 25, quibus ex locis, si comparantur cum *Rom.* II: 15 et VII: 22, 23, nisi fallor, apparet, PAULUM eadem formula, ubi Articulum omitteret, aliud significasse, quam ubi illum adscriberet. Praesertim vero attendendum est ad *Rom.* IV: 13. *Gal.* II: 19. III: 21 aliosque locos, qui vocabulo νόμος, quamvis vulgo *lex Mosaica* intelligatur, *generalem notionem* subiici iubent, ne auctori inepta ratiocinatio affingatur aut orationi nervus praecidatur [1]). Hinc autem locorum, ubi primo adspectu *legis Mosaicae* notio urgenda est, interpretandorum normam petere licebit, si bene vidi, eam ad illos quoque locos sine

---

[1]) De *Gal.* II: 19 dixi in libro: *Proeve van Grondslagen* cet. p. 117, una cum acumine, quod habent verba, vim orationis tolli, nisi interpretemur: *alteri (cuidam) legi me subiiciendo alteri mortuus sum.*

culpa applicari posse. Nimirum ibi vocabulum *νόμος*, nisi fallor, propterea Articulo caret, quod *legem* quidem *Mosaicam* spectat, nec tamen eam in Abstracto, sicuti ab aliis legibus secreta est, proponit. Plerumque igitur inservire videtur ad *qualitatem*, quam aliae etiam leges cum Mosaica communem habent vel habere possunt, a *qualitate*, seu *legis* tanquam *regionem* a *fidei aliave regione* distinguendam, scilicet *Rom.* II: 17, 23. III: 20, 21, 31. IV: 14. V: 13, 20. VI: 14, 15. VII: 1, 8, 9. X: 4. *Gal.* II: 21. III: 11, 18, 23. IV: 4, 5, 21. V: 4, 18. *Phil.* III: 5, 6, 9. *Hebr.* VII: 12. Ideo plus semel fit, ut nunc *unam* tantum *legis Mosaicae*, quae dicitur, *tabulam* denotat; nunc *legis illius praeceptum* aliquod vel *praecepta* generatim sumta: quorum alterum *Rom.* XIII: 8, 10. *Iac.* II: 8. IV: 11 cernitur, alterum *Luc.* II: 23 (non item 24). *Rom.* II: 13, 25, 27. VII: 7. *Gal.* VI: 13. *Hebr.* X: 8. *Iac.* II: 11. Quam accommodata autem huiusmodi interpretatio orationi sit, infra me ostensurum spero, ubi ad locos pervenero, in quibus *νόμος* sine Articulo legitur. Nec mihi obstat 1 *Cor.* IX: 21, quippe quo in loco *ἀνόμους* nuncupari censeo homines *lege constituta* vel *scripta carentes*. In posteriori autem membro vs. 20 vehementer friget oratio, si verba *τοῖς ὑπὸ νόμον* ad solos, qui iam memorati sunt, Iudaeos referimus nec significari sumimus, *quotquot legi constitutae* vel *scriptae subiecti sint*. Immo verisimile est, hac formula populos tali lege gaudentes una cum Iudaeis comprehendi. Quo posito PAULUS aequales suos in tres classes partitur. Atque eiusdem tripartitae divisionis vestigia se produnt *Rom.* I: 14 et *Col.* III: 11, ubi a *Graecis Barbari* distinguuntur et *Scythae*.

Itaque Protasis id continet, quod res ipsa loquitur: *quotquot* hac in vita *legis expertes peccato servierint, nulla etiam legis ratione habita perituros esse.* Aoristus enim ἥμαρτον non significat, quod semel iterumque perpetratum est, sed peccandi licentiam, cui se homines dedisse aliquando deprehendentur. Futuro ἀπολοῦνται eadem proponitur pernicies, vitae aeternae opposita, ac vocabulo θάνατος Cap. I: 32, i. e. *miseria mortem illam sequens, quae peccati poenam luit*, quemadmodum ea Cap. IX: 22 dicitur ἀπώλεια. Loquendi usum negligere, qui *omnem vitae exstinctionem* intelligi velint, recte monuere RÜCKERTUS aliique. Sed minus recte multi, praeeunte ERASMO, Particulam καί ad Verbum ἀπολοῦνται referunt, si quidem cum ESTIO referenda est ad praecedens vocabulum ἀνόμως, quod hac in Protasi primarium est et cui in Apodosi formula ἐν νόμῳ per Antithesin respondet. CHRYSOSTOMI opinionem hoc Adverbio quandam poenae mitigationem promitti, valde miror, non solum OECUMENIO et THEOPHYLACTO, sed etiam MUSCULO, GROTIO, COCCEIO, aliis placuisse. Nam ad eam refellendam satisfacit iam sequens ἀπολοῦνται, ut post FRITZSCHIUM etiam KREHLIUS et PHILIPPUS aliique viderunt.

Pervenimus ad membrum posterius: καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται, quod si explicamus: *et quotquot in legis communione peccato servierint, per legem iudicabuntur*, acerba reprehensio timenda non est. Hodie enim nemo paulo intelligentior dubitabit, quin formulae ἐν νόμῳ eadem insit Breviloquentia ac multis aliis, in quibus Nomen aliquod a Praepositione ἐν pendet. Nec Verbi κριθήσονται propriam sine causa retinui notionem, si bene

se habent, quae supra ad vs. 1, 2, 3 disputata sunt. A via autem aberrant VV. DD. qui hoc loco Antithesin postulare contendunt, ut Latine scribatur *condemnabuntur*. Hoc ipsum nempe, *improbos per legem*, i. e. *ad legis normam iudicatum iri*, horribilem iudicii exitum tam clare praenunciat, ut *condemnandi* verbo facile carere possimus. Et hinc quoque apparet, quam improbabilis sit sententia, PAULUM lenius de Iudaeis censuisse quam de gentibus exteris. Sed causam, cur prius membrum in *ἀπολοῦνται*, posterius in *κριθήσονται* desinat, recte PHILIPPUS aliique interpretes inde explicant, quod hîc oratio praecedens *iudicandi normam* memorat, illic vero non item. Quare minus plausibile quoque est, quod PELAGIO iam placuit, alteri membro cogitando addere *iudicabuntur*, alteri *peribunt*.

Vers. 13–16.

Quaestio nunc agitur, quomodo cohaereat oratio sequens. Editio Recepta, quam recentiori memoria secuti sunt GRIESBACHIUS, KNAPPIUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS, vs. 16 cum 12 connectit, tres intercedentes in Parenthesi ponens. Quod praeter interpretes a MAIERO memoratos probarunt BEZA, GRÓTIUS, LIMBORCHIUS, HEUMANNUS, GREVIUS, BOSVELDIUS, HODGIUS, HERINGA [1]). Eandem viam ingressus REICHIUS, ut se tueatur, Parentheseos talis exempla 1 *Cor.* VIII: 1—3. XV: 9.

---

[1]) *Quaestiones de vitiis Apost. et locis N. T. difficilioribus.* p. 61.

2 *Thess.* I: 10 exstare et omnem aliam nexus faciendi rationem longe quaesitam esse monet. Sed exempla illa si recte allata essent, nihil aliud efficerent, quam hunc in locum Parenthesin induci posse. Atqui minus recte allata sunt, quia 1 *Cor.* VIII: 1—3 et XV: 9 nulla se Parenthesis vere ita dicta et 2 *Thess.* I: 10 brevissima tantum prodit, ut etiam notavit WETTIUS. Quid? quod a Scriptorum et Sacrorum et exterorum ingenio tam longae seriei Parenthesis plane aliena est. Deinde tantum abest, ut PAULI verba hanc formam prodant, ut usus Particulae *γάρ*, et vs. quidem 14 repetitus, orationis ostendat perpetuitatem. Nec silentio praetermitti debet, quod VV. DD. animadverterunt, verba *τὰ κρυπτά* intercedere, quominus vs. 16 coniungatur cum 12, ubi hominum non proponuntur *consilia*, sed *peccata*. Quod ipsum obstat quoque sententiae LACHMANNI, PALMII, BAUMGARTEN-CRUSII, OLTRAMARII, WALFORDI, MAIERI, MEIIERI, qui, praeeuntibus ESTIO aliisque, versus tantum 14 et 15 Parentheseos notis includere malunt; siquidem haec duo: *ὅτε κρινεῖ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων* et *οἱ ποιηταὶ νόμου δικαιωθήσονται* inter se etiam non conveniunt. Sed contra hanc structuram propemodum valet omne, quod supra alteri oppositum est. MEIIERUS tria quidem deinceps recenset, quibus eam et indicari, et postulari, et confirmari ait; his vero argumentis nullum inest, quin sumat aliquid, vel minus probabile, vel ulteriore disquisitione indigens. Nec gravius pro ea disputat OLTRAMARIUS provocando ad *Rom.* I: 3, 4. et 1 *Cor.* IX: 1—6, qui loci uti dissimiles sunt, sic ibi Parenthesis frustra quaeritur. KOPPII sententiam, quae nemini, quantum scio, placuit, vs. 13

tantum per uncos a circumiectis separandum esse, obiter memorasse sufficiet. Si orationis series consideratur, nihil facilius est, quam, ERNESTIO [1]) et STUARTO ducibus, vs. 16 cum 10 copulare. Sed quo longius haec coniectura Parenthesin extendit, eo minus profecto habet commendationis. Quae quum ita sint, equidem plerisque assentior tam antiquioris, quam recentioris memoriae interpretibus, qui, omni Parenthesi sublata, vs. 16 ad praecedentem vs. 15 retulerunt. Quomodo autem nexus faciendus videatur, infra explorabimus.

Vers. 13.

Superbiam Iudaeorum, qui legis Mosaicae *possessione* gloriabantur, ulterius persequi volens, Apostolus posterius vs. praecedentis membrum confirmatum ivit. Orationem Editio Recepta sic exhibet: *Οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ· ἀλλ' οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται.* Et Articulum *τοῦ* in Protasi et Apodosi aequaliter genuinum esse, FRITZSCHIUS inde cogit, quod ille vocabulis *ἀκροαταί* et *ποιηταί* etiam praepositus est. Sed cadit eius argumentatio, si Genitivus *νόμου* ita restringi non debet, ut *solam* significet *legem Mosaicam.* Hoc autem me supra probavisse spero. Itaque cum RÜCKERTO, OLTRAMARIO, WETTIO, PHILIPPO aliisque monimenta sequor antiquitatis, in quibus Articulus non exstat. Quod tanto facio fidentius, quo firmius mihi persuasum est, discre-

---

[1]) *Neue Theol. Bibl.* Tom. X. p. 517.

pantiam Codicum non ex librariorum negligentia, sed, uti MEIJERUS etiam vidit, ex studio curandi, ut omnis alia lex praeter Mosaicam excluderetur, exortam esse. Eandem quoque viam ingressi sunt LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS.

In Protasi vocabulum ἀκροαταί explicandum non est ex usu Graecorum, qui, ut SUIDAS et PHAVORINUS docent, *discipulos* ita appellarunt. Neque *auditores* significat ab *oratoribus*, vel *disputatoribus*, vel *lectoribus* etiam *domesticis*, quos sibi gentis illius optimates praesto habuerunt, distinguendos [1]). Immo memoriam renovat moris antiqui Iudaeorum, quorum in Synagogis quovis die sacro Scripta Mosaica legebantur populo literarum ignaro, quo spectant *Act.* XV: 21. 2 *Cor.* III: 14 [2]). Sed quomodo accipiendum sit, apparet ex opposito ποιηταί, uti *Iac.* I: 22, 23, 25 et alibi [3]). Itaque formula οἱ ἀκροαταὶ νόμου denotantur, quotquot *familiaritatem cum lege contrahunt*, sive eam ab aliis recitari audiunt, seu ipsi recitant. Hodie inter nos, quorum plerique Numinis Divini favore ad hanc humanitatem perducti sunt, ut libros legere possint, appellari solent *lectores*. Generatim autem *legem*, quamquam PAULUS *Mosaicam* ante oculos habuerit, intelligendam esse OLTRAMARIUS bene vidit. Iam quid sibi voluerit auctor adscribens: οὐ δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ, optime docent verba alibi [4]) reperiunda: *Οἱ*

---

[1]) Vide PLAT. *Protagor*. p. 337. *Gorg*. p. 457. ISOCR. *Epist*. I. l. c. Tom. I. p. 410. POLYB. *Histor*. Lib. IX. Cap. 1.

[2]) Cf. VITRINGA, *de Synagoge vetere*. p. 685 sqq.

[3]) Cf. KREBSIUS, *Observat. in N. T. e* FLAV. IOSEPH. ad h. l.

[4]) *Test. Aser*. Cap. 4. p. 692.

ἀγαθοὶ ἄνθρωποι καὶ μονοπρόσωποι, κἂν νομισθῶσι παρὰ τῶν διπροσώπων ἁμαρτάνειν, δίκαιοί εἰσι παρὰ τῷ Θεῷ. Huiusmodi igitur homines, qui eo contenti sunt, quod cum lege contrahunt familiaritatem, *coram Deo non probati* esse dicuntur.

Quae in Apodosi exstat formula *οἱ ποιηταὶ νόμου,* aeque ac praecedens *οἱ ἀκροαταὶ νόμου,* postulat, ut non e Graecorum libris explicetur, sed ex *Iac.* I: 22, 23, 25 collato 1 *Macc.* II: 27, item ex *Ioann.* VII: 19 et *Gal.* V: 3, ubi legimus *ποιεῖν τὸν νόμον.* Hinc intelligimus, in censum non venire *facta* proprie ita dicta, sed *universam vitam legi consentaneam.* Ergo, Apostolo monente, *probati habebuntur* scilicet *a Deo,* quotquot vitae rationem convenienter legi sibi datae instituunt. Futurum autem *δικαιωθήσονται,* quum respondeat praecedenti *δίκαιοι,* quod pro *δίκαιοί εἰσι* scriptum esse vidimus, non solum significat id, *quod aliquando fiet,* sed *quod nullo tempore aliter fieri posse,* ipsa dictat ratio humana Divinitus illustrata [1]). Sententiose PAULUS generalem Dei iuste iudicantis proponit normam, ad quam aeque gentium exterarum atque Iudaeorum vita exigitur. Quod tamen vereor, ut verba eius ferant, nisi cum OLTRAMARIO dissentiam a MEIIERO et plerisque interpretibus, qui vocabulo *νόμου,* spreta eius notione generali, *legem Mosaicam* denotari putant. Quid inde sequatur, quod inter homines nemo est omnibus numeris absolutus et perfectus, auctor Cap. III: 20 sqq. demum ostendit.

---

[1]) Cf. WINER. p. 323, 324.

Vers. 14, 15.

Doctrinae propositae PAULUS ratiocinationem subiungit, cuius pars prior est: *Ὅταν γὰρ ἔθνη, τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι, νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσι νόμος.* Quomodo vero haec verba et cum praecedentibus nectenda, et explicanda sint, quaestio est, quae tantum inter Viros Doctos peperit discrepantiae, ut longiorem facere cogerer excursum, si singulas sententias ad amussim exigere vellem. Ergo potissimum ea, quae me iudice maxime probabilia sunt, in medium afferam, haud pauca ab aliis disputata vel obiter modo attingens, vel silentio praeteriens. Quod ut iam ab initio agam, interpretes, qui versu 14 prius, aut versus 12, aut vs. 13 membrum confirmari putarunt, a MEIIERO aliisque satis refutatos esse sumo. Sumo itidem, vulgarem usum Particulae *γάρ* negligi, nisi ei vim tribuamus adstringendae doctrinae, nullos alios probatum iri, quam qui legi sibi datae vita sua obsequantur. Sed quam difficile dictu sit, quonam vinculo utrumque contineatur, luculenter inde apparet, quod recentiori etiam memoria alii alia orationi inseruerunt. Fortasse nihil simplicius est, quam coniectura, cuius vestigia iam apud PELAGIUM exstant, PAULUM contradictionem, quae a gentibus legis constitutae vel scriptae expertibus peti posset, occupasse. Quo posito id, quod desideratur, sic supplendum videtur: ***Nam, ne quis gentes obiiciat legis expertes***, vel similiter.

Vocabulum *ἔθνη* multi, quibus OLTRAMARIUM assentiri miror, aeque ac *τὰ ἔθνη*, *universas gentes* significare contendunt. Quod iure meritoque reprehen-

ditur a BENGELIO, KOPPIO, FRITZSCHIO, MEIIERO. Dissimile enim est, quidquid VV. DD. ad vim Articuli impugnandam ex scriptoribus Graecis congesserunt. Omnes vero iis obstant loci Novi Testamenti, illi etiam ipsi, quibus se tueri conantur, uti Cap. III: 29. IX: 24, 30. 1 *Cor.* I: 23, ubi *duplicis* tantum *generis* homines, Iudaei et gentes, sibi invicem opponuntur, *nulla* utrorumque memoratur *universitas*. Quod quoties fit, Articulus Nomini praepositus est, uti *Eph.* III: 6. 1 *Thess.* IV: 5. Neque in contrariam partem afferri potest *Eph.* II: 11, ubi *τὰ ἔθνη ἐν σαρκί* a praecedentibus *ὅτι ὑμεῖς ποτέ* Commate seiungenda sunt, quippe aeque ac sequentia *οἱ λεγόμενοι* cet. Pronomini *ὑμεῖς* per Epexegesin adiecta. Eadem Epexegesis, quamquam Commati locus non est, exstat *Eph.* III: 1, item *Rom.* XI: 13, ubi exemplo luculento illustratur discrimen utriusque *ἔθνη* et *τὰ ἔθνη*, hoc nempe *universas* significari *gentes*, illo *gentes* a Iudaeis *discernendas*. In sequentibus *τὰ μὴ νόμον ἔχοντα* OLTRAMARIUS vocabulo *νόμος* generalem *legis constitutae* vel *scriptae* notionem strenue vindicat, quam ei quoque CHRYSOSTOMUS, THEODORETUS, MELANCHTHONUS aliique tribuerunt. Et sane VV. DD. qui hoc vocabulum Articulo carens interpretantur *legem Mosaicam*, sibi constare nequeunt, nisi formulam *ἑαυτοῖς εἰσι νόμος* in sensum torqueant omnino alienum. Quid? quod monente THEOPHYLACTO, cuius verba lectu dignissima sunt, triplex hîc lex proponitur: *scripta, Mosaica, naturalis*, quod supra disputata de tripartita hominum divisione corroborat. BENGELII vero aliorumque sententia, inter duo illa *μὴ νόμον ἔχειν* et *νόμον μὴ ἔχειν* interesse, vereor ne argutior sit, siquidem verba

νόμον μὴ ἔχοντες, nisi meram repetitionem superiorum *μὴ νόμον ἔχοντα* continent, hanc in orationem non quadrant. Quamobrem illa quoque argumentum praebent disputandi contra interpretes, quibuscum nuper WALFORDUS *ἔχοντα φύσει* coniunxit. Sed qui ad usitatam scribendi rationem, ad locum similem 1 *Cor*. XI: 14, ad exempla a WETSTENIO e Graecorum libris allata, ad totam orationem contextam, ad ipsam denique notionem vocabuli *φύσει* attendit, dubitare non poterit, quin illud cum sequentibus coniungendum sit, quod FRITZSCHIO et omnibus horum dierum interpretibus placet, etiam HODGIO, STUARTO, TURNERO.

Nunc in deliberationem veniunt verba: *ὅταν — φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ*. Plurale *ποιῶσιν*, quod LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS ad nonnullorum Codicum fidem ediderunt et WETTIUS probavit, a librariis ortum videtur orationem propter subiectum *οὗτοι* corrigere volentibus. Eodem consilio alii imperite scripserunt *ποιοῦσιν* [1]). Singulare *ποιεῖ* Itacismus peperit [2]). Iam *τὰ τοῦ νόμου* PAULUS ipse, ut monet etiam REITHMAYRUS, vs. 26 explicat *τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου*, ut *legis Mosaicae*, quam Articulus indicat, intelligenda sint *statuta* vel *praecepta*. Verbo autem *ποιῇ*, haud secus quam supra vocabulo *ποιηταί*, *vivendi ratio* significatur. Nec tamen gentes esse dicuntur, qui *totam vivendi rationem* ad Dei voluntatem conforment, sed qui sive intrinsecus, seu extrinsecus observent *qualia* Divinitus prae-

---

[1]) Cf. LIPSIUS, *de modorum usu in N. T.* p. 17 sqq.

[2]) Ita quoque WINER. p. 357.

scripta sunt. Similiter Articulus in Neutro Plurali cum Genitivo usurpari solet ad denotanda, quae *alicuius generis* sunt, uti Cap. VIII: 5. XIV: 19. 1 *Cor.* II: 11, 14. VII: 32, 33, 34 et alibi. Quare nonnulli temere opinati sunt, Apostolum sibi palam contradicere, nisi, praeeunte *Ambrosiastro*, intelligantur *gentes ad* CHRISTUM *perductae*, quod ab hac omni disputatione alienissimum est. Sed a via quoque aberrant, qui praemissum *φύσει* ita interpretantur, ut PELAGII placitis faveat. Quid sibi velit illud, satis elucet ex *Gal.* II: 15. IV: 8. *Eph.* II: 3, ubi cum LACHMANNO legendum est *φύσει τέκνα*, aliisque locis [1]), in quibus Simplex *φύσει*, ut STEPHANUS iam vidit, eodem redit ac formula *κατὰ φύσιν*. Nihil igitur impedit, quominus, Vulgatum sequentes, Graecum Latine reddamus *naturaliter* et cum CHRYSOSTOMO et THEOPHYLACTO exponamus: *τοῖς ἐκ φύσεως λογισμοῖς πειθόμενοι*, seu *rationibus sibi ingenitis obedientes*, i. e. *sine lege*, ut TERTULLIANUS [2]) interpretando praeivit. Molestiam autem creare nequit Particula *ὅταν*. Quod enim haud ita pridem contendi [3]), eam ubique in N. T. non excepto *Ioann.* IX: 5, significare *eo tempore, quo* vel *quando*,

---

[1]) Locis a WETSTENIO allatis multi addi possunt. Apud XENOPH. *Memorab.* Lib. IV. Cap. 2 § 2 movetur quaestio, *πότερον Θεμιστοκλῆς διὰ συνουσίαν τινὸς τῶν σοφῶν ἢ φύσει τοσοῦτον διήνεγκε τῶν πολιτῶν*. PLUTARCH. *Moral.* p. 463, 474 bis narrat, HELICONEM a PLATONE vocatum *φύσει εὐμετάβολον ζῶον*. A *Pseudo-Clem. Homil.* II. Cap. 13 Deus *φύσει δίκαιος* dicitur. Hactenus vocabulum *φύσις* cum THOMA *Mag.* explicari potest *ἡ ἐνοῦσά τινι δύναμις*.

[2]) *De Corona militis.* Cap. 6.

[3]) *Comm. perp.* in 1 *Cor.* XV. p. 120.

nititur etiam locis aliunde allatis [1]). Hinc iam sequitur, alienam mentem auctori affingere, qui eum exempli causa *aliquid* sumsisse putent, *quod reapse non fieret.* Sed unanimi fere consensu VV. DD. cum KÖLLNERO improbarunt interpretationem, quae PAULUM vanum adeoque ridiculum facit disputatorem. Itaque scribens ille: *ὅταν γὰρ ἔθνη, τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ*, sibi voluit: *Quando* (seu *quotiescunque*) *sunt gentes legis constitutae expertes, quae eo, quod sibi ingenitum est, legis Mosaicae observent praecepta.* Recentiori enim aetate post FLATTUM, quantum novi, nemo sibi hanc fraudem fieri passus est, ut cum BEZA, IAC. CAPPELLO, CAMERONE, WETSTENIO, MICHAËLE verba *τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν* interpretaretur *eadem facere, quae lex facit Mosaica.* Quod si non prorsus refelleret formula praecedens *οἱ ποιηταὶ νόμου,* unum alterumque locorum, quos ipse WETSTENIUS attulit, in praesidium vocarem.

Inceptum persequens Apostolus pro Neutro studiose Masculinum *οὗτοι* substituit, quoniam ante oculos habebat *homines,* qui inter gentes memoratas versabantur, neutiquam *gentes ipsas integras*, quibus observationem praeceptorum legis Mosaicae adscribere absurdum profecto fuisset. Nunc autem evidentiae causa repetere debuit *νόμον μὴ ἔχοντες*, i. e. *quum legis constitutae expertes sint.* Quomodo vero FRITZSCHIUS, PHILIPPUS, MEIERUS a se impetrare potuerint, ut postrema *ἑαυτοῖς εἰσι νόμος* ad *legem Mosaicam* referrent,

[1]) MATTH. Tom. II. p. 1193 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 535, 536. VIGER. p. 436, ubi semel tamen Particula sine causa explicatur *quandoquidem*. Cff. WINER. p. 356. TROLLOP. p. 145, 146.

equidem non intelligo. Hanc enim interpretationem sententiosum non admittit dicendi genus, cuius similia Cap. III: 20. IV: 15. VII: 8 exstare RÜCKERTUS largitur. Et vocabulo *νόμος generalem legis notionem* vindicant ipsi illi loci, quos congessit WETSTENIUS, uti quum vita ABRAHAMI a PHILONE [1]) dicitur *νόμος αὐτὸς ὢν καὶ θεσμὸς ἄγραφος*. Equidem verba aliter explicare nequeo quam *in se habent legem eodem ducentem, quo Iudaeos lex ducit Mosaica.* Ita vel similiter OECUMENIUS, LUTHERUS, MELANCHTHONUS, CALVINUS, GROTIUS, quos nuper praeter OLTRAMARIUM KREHLIUS etiam secutus est.

Cum priori ratiocinationis parte vs. 15 arcte cohaeret posterior: *Οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων.* Et hîc quidem PAULUS haud secus explicat quam confirmat, quod supra proposuit verbis *ἑαυτοῖς εἰσι νόμος.* Hanc autem ad causam agendam duplici utitur argumento: documento externo et testimonio interno. Quod uti nuperrime post alios MEIIERUS probavit, ita singulorum deinceps verborum docebit interpretatio.

Documentum externum continent priora *οἵτινες — ταῖς καρδίαις αὐτῶν.* Pronomine *οἵτινες*, quod Latinis *quippe qui* eodem modo ac Cap. I: 25, 32 respondet, Apostolus superiora *οὗτοι, νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσι νόμος* explicare et confirmare incipit. Verbo *ἐνδείκνυνται* satis fit, si illud cum Vulgata reddimus

---

[1]) De ABRAHAMO. Cap. 46. Tom. II. p. 40.

ostendunt. Notandum tamen est, Medium ἐνδείκνυσθαι in N. T. cuius scriptores hac sola forma usi sunt, ostendendi rationem, *qua intima aliorum ante oculos ponuntur,* seu *re et facto aliis demonstrantur,* aeque atque alibi etiam [1]), significare, excepto fortasse 2 *Tim.* IV: 14, nisi ibi scribens: πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο PAULUS sibi voluerit: *se mihi multiplicis mali praestitit auctorem.* Sic via patet interpretandi subiecta τὸ ἔργον τοῦ νόμου, quae quum ita accipienda sint, ut ratio habeatur praecedentium: τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, intelligi debet *illud, quod lex Mosaica postulat.* Eadem potestas Genitivi est *Ioann.* VI: 29. 1 *Cor.* XV: 58, item *Ioann.* IV: 34 coll. XVII: 4, ubi IESUS verba sua αὐτοῦ τὸ ἔργον ipse explicat τὸ ἔργον, ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω. Ita hodie saltem plerique interpretes, quorum tamen haud pauci hîc Singulare Collectivum usurpari putarunt, eodem rediens ac Plurale τὰ ἔργα τοῦ νόμου. Quod cum KÖLLNERO, REITHMAYRO, TURNERO alii recte, nisi fallor, negarunt, levitatem utriusque formulae absque consilio permutandae in PAULUM coniicere nolentes. Utique de industria Plurale τὰ τοῦ νόμου Singulari τὸ ἔργον τοῦ νόμου excipi videtur, quo magis lectores sibi, non facta quaedam, sed *universae vitae rationem, legis Mosaicae praeceptis consentaneam* proponant, quemadmodum haec ratio in locis supra allatis, item *Gal.* VI: 4. 1 *Pet.* I: 17. *Apoc.* XXII: 12, denotatur. Qui cum WOLFIO τὸ ἔργον τοῦ νόμου per Periphrasin pro unico τὸν νόμον scriptum esse contenderunt, vel aeque improbabilia

---

[1]) Cf. SCHNEIDERUS ad XENOPH. *Cyr. Discipl.* Lib. I. Cap. 6. § 10.

commenti sunt, affatim refutantur a REICHIO, RÜCKERTO, OLTRAMARIO aliisque. Quod, GROTIO praeeunte, MEIIERO etiam antea visum erat, interpretandum esse *id, quod lex Mosaica efficit*, nuperrime ipse improbavit. Iam sequentia *γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν* arcte cum his connectenda sunt. Sensus enim non est: *ostendunt opus legis, quod scriptum habent in cordibus suis*, sed: ut CALVINUS multique alii viderunt, *ostendunt, se opus legis scriptum habere in cordibus suis*, i. e. notiones convenienter legis Mosaicae praeceptis vivendi eorum in animis penitus insitas esse. Eadem *Ier.* XXXI: 33. 2 *Cor.* III: 3. *Hebr.* VIII: 10 exstat imago, a tabulis, quibus lex illa inscripta erat, ad hominum animos translata. Orationi cogitando addi debet Participium Verbi *εἶναι*, ut aliis in locis, ubi *verba similia* praecedunt. Exemplo sit, quod legimus apud SOPHOCLEM [1]):

Δηλοῖ τὸ γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρὸς
Τῆς παιδός;

item apud PLATONEM [2]): *Ἱκανώτατα δέδεικται ψυχὴ τῶν πάντων πρεσβυτάτη γενομένη τε ἀρχὴ κινήσεως*. Alia affert MEIIERUS [3]). PAULUS autem Adiectivo Verbali *γραπτόν*, non Participio Passivo *γεγραμμένον* usus est, quia in eo, quod nullo tempore adstrictum erat, commemorando versabatur. Quam perpetuitatis notionem si ESTIUS, KYPKIUS aliique ipsi huic Adiectivo inesse monuissent, FRITZSCHIUM eos non reprehensurum fuisse crediderim. Ceterum Apostolus, ut ex

---

[1]) *Antigon.* vs. 441, 442. BOTH.

[2]) *De legib.* Lib. X. p. 896.

[3]) Cff. MATTH. Tom. II. p. 1276. KÜHN. Tom. II. p. 356.

vs. 14 luculenter apparet, *gentes hoc ostendere* ait, *quotiescunque vitae rationem ad legis Mosaicae praecepta componant.* Atque sic *externum* legis gentibus ingenitae *documentum* proposuit, cuius multa ex veterum scriptis exempla, praeeuntibus GROTIO et WETSTENIO, attulerunt REICHIUS, OLSHAUSENIUS, KREHLIUS, alii.

Ab hoc vero documento *testimonium internum* distinguere non oportet, si THOLUCKIUS et KÖLLNERUS rem acu tetigerunt, sequentia *συμμαρτυρούσης αὐτῶν* eodem pertinere censentes ac praecedentia, ut gentes *conscientiae testimonio* cet. *ostendere* dicantur, legem sibi ingenitam esse. Sed plerique hanc orationis structuram acriter reprehendunt. Et argumenta sane ei obstant gravissimi ponderis. Primum enim RÜCKERTUS in arguta, ut FRITZSCHIUS ei obiicit, sibi non placuit ratiuncula, quum interno conscientiae testimonio non fieri contendebat *ἔνδειξιν* supra propositam. Nam verbum *ἐνδείκνυνται* id significare vidimus, quod *aliis facto* demonstratur. Hoc autem argumentum ne diluere videatur contradictio KÖLLNERI, *communem* hîc attingi *hominum experientiam*, recordandum est, vs. 14 neque *omnes gentes* memorari, nec vitae rationem *omni tempore* legis Mosaicae praeceptis consentaneam. Deinde vim Pronominis *οἵτινες* extenuare cogimur, nisi PAULUM dicentem facimus, id quod internum est *documento* ostendi *externo.* Tum summo iure provocari potest ad Participium *Compositum συμμαρτυρούσης.* Multi quidem VV. DD. duce GROTIO aiunt, auctorem Composito illo pro Simplici *μαρτυρούσης* usum esse, quemadmodum *συμμαρτυρεῖν* alibi etiam pro *μαρτυρεῖν* exstet; sed fidenter assentior FRITZSCHII verbis:

„Locum, qui hauc opinionem confirmat, me ignorare fateor." WETTIUS exemplum, quod in controversiam vocari nequeat, a THOLUCKIO ex PLATONE afferri asseverat; atqui illud ipsum evidenter utriusque probat discrimen. Quum enim MEGILLUS de HOMERO dicat: *Τῷ σῷ λόγῳ ἔοικε μαρτυρεῖν, Atheniensis* vero hospes respondeat: *Ναί· ξυμμαρτυρεῖ γάρ*; alterum interpretandum est: *verbis tuis testimonium dare* (i. e. *verba tua probare*) *videtur*, alterum: *Ita, nam una* (i. e. *cum verbis illis* vel *mecum*) *testimonium dat* [1]). Consentiunt mecum praeter alios OLTRAMARIUS et MEIIERUS. Hac autem in Epistola, Cap. VIII: 16. IX: 1, Praepositio vim suam retinet [2]). Sine scrupulo igitur hactenus BEZAM sequor, ut Participium Latine reddam: *una testimoninm reddente* vel *testante*. Nec causam video illud, dummodo vocabulum *una* bene explicetur, cum KREHLIO et WETTIO improbandi. FRITZSCHIUS vero a via aberravit Graeca interpretans: *Et simul* (scil. cum honestis gentium moribus) *eorum conscientia testabitur.* Participium enim *συμμαρτυρούσης* ad remotiora: *ὅταν — τὰ τοῦ νόμου ποιῇ* refert, quamvis referri debet ad propius *ἐνδείκνυνται*. Et mores gentium honesti quominus hîc in censum venire possint, omnino impedit sequens Participium *κατηγορούντων*. Quid? quod orationis tollitur perpetuitas, nisi vocabulum *una* explicamus *cum documento, quo gentes,* quotiescunque vitae ratione legis Mosaicae praeceptis obsequuntur, *se sibi legi esse ostendunt.* Quapropter scribens Aposto-

---

[1]) *De legibus.* Lib. III. pag. 680.

[2]) Cf. VOORSTIUS, *Animadvers. de usu verborum cum Praepos. compos. in N. T.* Spec. I. 7, 62 sqq. 70, 71.

lus συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, aliis verbis sibi voluit: *ad externum documentum accedit internum conscientiae eorum testimonium.* Quod testimonium cum *Ambrosiastro* accipiendum non est, ac si conscientia homines *probare* dicatur; qui error MEHERO etiam hanc fraudem fecit, ut proxime sequentia alienum in sensum torqueret. Rursus vero non indicatur testimonium conscientiae homines *improbantis*, ut IAC. CAPPELLO placuit. Sed, ut ESTIUS aliique recte viderunt, testimonium intelligendum est *mentis bonum et malum distinguentis.*

Continuo PAULUS sibi ipse interpres est, sed dici fere nequit, quam vario modo id, quod simplicitate sua se commendat, VV. DD. deseruerint. In vocabulo μεταξύ Adverbium absolute positum cerni posse, quemvis iam docebit cognitum illud HOMERI: μάλα πολλὰ μεταξὺ οὔρεα [1]). Mirandum igitur non est, alios illud hoc loco reddidisse *aliquando*, alios *postea*, alios *interea* vel *dum.* Et in hoc quidem defendendo strenuus et copiosus nuper fuit KÖLLNERUS. Sed Grammatici, quorum ad auctoritatem provocat [2]), exempla tantum suggerunt alius generis. Alius itidem generis sunt *Ioann.* IV: 31 et *Act.* XIII: 42, in quorum neutro quoque Particula μεταξύ absolute posita est, quum in altero legamus ἐν τῷ μεταξύ (χρόνῳ), in altero εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον. Ceterum in N. T. post se habens Genitivum respondet Praepositioni *inter*, etiam *Matth.* XXIII: 35. Unde intelligimus hoc

---

[1]) *Iliad.* I. vs. 156.

[2]) VIGER. p. 418, 419. MATTH. Tom. II. p. 1312. ROST. p. 674. Similiter KÜHN. Tom. II. p. 174, 368. MADV. p. 193, 204, 205.

in PAULI loco, ubi itidem *Genitivus* sequitur *duas partes significans*, eandem ei, ut REICHIUS etiam bene vidit, tribuendam esse notionem, multis veterum locis, quos STEPHANUS in *Thes.* attulit, commendatam. Quid? quod et ambigua et insolens oratio auctori affingitur verborum structura a KÖLLNERO proposita: *Καὶ μεταξὺ τῶν λογισμῶν* (Subject.) *κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων ἀλλήλων* (Obiect.). Iure igitur meritoque hanc structuram omnes interpretes recentioris memoriae improbarunt, etiam OLTRAMARIUS. Quid vero hunc moverit ad verba *μεταξὺ ἀλλήλων* ita connectenda, ut ea exponeret, *in medio ratiocinationum, quas inter se mutuo adhibent* [1]), equidem non intelligo. Ut enim huic interpretationi refragatur loquendi usus, sic Articulus *τῶν*, Pronomini *ἀλλήλων* et Nomini *λογισμῶν* interpositus, perspicue docet eam ferri non posse. Nec multum praestat sententia MEIIERI, qui verbis *μεταξὺ ἀλλήλων* cet. *id, quod gentes secum invicem agunt* distingui putat a *testimonio conscientiae uniuscuiusque in animo loquentis*. PAULUM enim ab instituto suo, quod *homines ipsos* spectat, ad aliud genus transeuntem facit adeoque sui immemorem. Eius autem argumentatio inde petita, quod Pronomina *αὐτῶν* et *ἀλλήλων* Nominibus *praeposita* sunt, haud magni ponderis est, siquidem saepe *gravitatis tantum causa* in oratione antecedunt, ut alterum Cap. XI: 11. 1 *Cor.* VIII: 12. 2 *Cor.* V: 15, alterum Cap. XII: 5. 1 *Cor.* XII: 25. *Gal.* VI: 2. Inde

---

[1]) Verba eius sunt: *au milieu de leurs raisonnements reciproques* c.-à-d. *des raisonnements qu'ils se font entre eux, les uns aux autres.*

vero, quod in N. T. ubicunque Pronomen ἀλλήλων exstat, *Subiectum* etiam *memoratur,* quo illud referendum est, sequitur, nisi fallor, Viri Docti sententiam stare non posse. Recte igitur MAIERUS se opposuit STORRIO, FLATTO, BAUMGARTEN-CRUSIO, quibus eadem similisve interpretatio placuerat. Immo hac facta structura: *καὶ τῶν λογισμῶν, μεταξὺ ἀλλήλων, κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων,* verba *τῶν λογισμῶν* Subiectum continere censenda sunt. Huc autem formulam *μεταξὺ ἀλλήλων,* quamvis absolute positam, non vero ad Participia *κατηγορούντων* et *ἀπολογουμένων,* referendam esse, inde apparet, quod ea apud PAULUM Subiectum praecedit. Utrique vocabulo Graeco, ut monent haud pauci, etiam STUARTUS, WALFORDUS et TURNERUS, unum respondet Latinum *alternis,* scil. *vicibus. Ratiocinationes* (*οἱ λογισμοί,* uti 2 *Cor.* X: 5) nempe, per Prosopopoeiam, cum hominibus comparantur, quorum alii in iudicio *accusatoris,* alii *defensoris* partes sustinent. Ergo intelligendum est Pronomen (*ratiocinationibus accusantibus vel etiam defendentibus* EAS scil. GENTES), quod tamen ad orationem non requiri satis elucet ex *Act.* XXIV: 2, 19. XXVI: 1, 2. Sed defensionem rariorem quam accusationem esse indicat, ut monent FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, KREHLIUS, PHILIPPUS aliique, Particula *καί,* quae Participium *ἀπολογουμένων* praecedit. Paulo superius haec Particula vocabulo *συνειδήσεως* subiecta est ad inducendam Epexegesin explicantem, quomodo conscientiae testimonium gentium in animis loquatur. Proinde in posteriori huius vs. membro verba sic intelligenda videntur: *dum una cum documento externo, quo se, quotiescunque vitae suae ratione legis Mosaicae praeceptis*

obsequuntur, sibi legi esse produnt, hoc idem intrinsecus testatur conscientia eorum pariter improbans et probans, et eo quidem, quod ratiocinationes eorum alternis occupatae sunt in sui accusatione vel etiam defensione.

De Participiorum *συμμαρτυρούντων* et *ἀπολογουμένων* tempore praesenti nondum disputavi. FRITZSCHIO iudice ea Latine reddenda sunt Futuris *testabuntur, accusabunt, defendent,* quod nonnullis aliis etiam magis minusve placuit. Sed ita conatu huius vs. cum vs. 16 connectendi V. D. seductus est ad detrahendum de severitate Grammaticae, cuius religiosam observationem interpretibus sexcenties inculcavit. Hunc in locum certe non quadrat WINERI [1]), ad quam provocat, regula, *Praesens de re certo futura dici*, quia tria illa Participia ad aliud tempus referri nequeunt, quam Verbum *ἐνδείκνυνται*, cuius notio extra Praesentis fines non egreditur. Quapropter plausibile etiam non est utrumque: *συμμαρτυρούσης — συνειδήσεως* et *καὶ μεταξὺ — ἀπολογουμένων* cum KREHLIO aliisque ita distinguere, ut alterum ad *hanc vitam*, alterum ad *diem iudicii* maxime referatur. An PAULO dies ille ante oculos obversatus sit, quum TERTIO dictaret quae vs. 16 exstant, quaestio est posterioris curae. Sed cum hoc in vs. spectare non potuit, quoniam de rebus tantum disputabat, quae nunc fiebant, quando inter gentes exteras homines erant, qui vitae rationem ad legis Mosaicae praecepta conformarent.

---

[1]) p. 404, 405.

Vers. 16.

Cum oratione praecedente, si recte eam interpretatus sum, non cohaerent verba: *Ἐν ἡμέρᾳ, ὅτε κρινεῖ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Vel sic tamen ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, PELAGIUS aliique veterum, et haud pauci recentioris memoriae interpretes utrumque versum connectere conati sunt. Quaenam tentaverint, infinitum sit narrare. Sed nihil allatum vidi, quod se ab omni parte commendet. Prae ceteris tamen audiendos arbitror, qui ratiocinationem nexu carere aiant, nisi ei inseramus aliquid, quo lector a Praesenti ad Futurum ducatur. Sumendum igitur videtur, proxime praecedentia iudicii diem, qui in tota disputatione huius Capitis ante PAULI oculos obversatus esset, eius in animo adeo reviviscentem fecisse, ut omissa transitionis formula: *ὃ καὶ γενήσεται, quod etiam fiet*, vel simili, TERTIO tantum dictaret *ἐν ἡμέρᾳ*. Eodem, quamquam vario modo, tendunt THOLUCKIUS, RÜCKERTUS, KÖLLNERUS, WETTIUS, PHILIPPUS [1]). Hac vero sententia ne PAULO, ut MEIIERUS putat, saltus obtrudi censeatur, a dicendi ratione ei usitata alienissimus, animadvertere oportet, eum plus semel iudicii futuri commemorationem ceteris appendicis instar subiecisse, et ita quidem, ut verbis nonnullis orationi inserendis hiatus tolli debeat. Exempla supra allata sunt ad vs. 5, quem ipsum postulare vidimus, ut ante

[1]) Cf. WINER. l. c. p. 613.

eadem *ἐν ἡμέρᾳ* intelligamus Participium *ἐσομένην* vel simile. Ceterum hîc quoque sine Articulo scriptum est *ἐν ἡμέρᾳ*, quoniam auctor iudicii tempus definire non poterat, quamvis illud instare putabat.

Sequentibus nihil inerit obscuri, dummodo in luce posita sit formula *κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου*. Multi interpretes, quos nuperrime Viri Doctissimi REUSSIUS [1]) et LECHLERUS [2]) secuti sunt, auctorem hîc suum Euangelium ab Euangelio aliorum Apostolorum distinxisse contendunt. Sed hoc aeque a vero abhorrere videtur atque opinio veterum, *Commentarium de vita* IESU PAULO *privum et proprium* significari, et quidem *Euangelium* LUCAE. Haud ita pridem hoc de loco disputans [3]), nisi fallor, probavi, PAULUM *doctrinam salutis, quam ipse sive ore seu scripto annunciaret*, proposuisse; eum hanc non a PETRI, IACOBI aliusve Doctoris Christiani doctrina distinxisse, sed a *falsis commentis*, quibus Iudaei Euangelium Divinitus patefactum, quod cum omnibus nominis Christiani doctoribus commune haberet, obscurarent: Pronomen *μου*, quemadmodum *Cap.* XVI: 25 et 2 *Tim.* II: 8, ex pectore prodiisse commoto, cui penitus de eo persuasum esset, commune illud Euangelium, quod ipse praedicaret, *omnino verum* esse: itaque formula: *ut fert Euangelium meum* (sic enim Graeca Latine explicanda sunt, neutiquam *ad normam Euangelii mei*), non confirmari, *Deum fore*

---

[1]) *Histoire de la Théologie Chrétienne au siècle Apostolique.* Tom. I. p. 35.

[2]) *Das Apostolische und nach-Apostolische Zeitalter.* in *Teyl. Godgel. Gen.* Tom. XXXV. p. 21, 22.

[3]) *De betrekking van het gevoel* cet. p. 196 sqq.

iudicem, nec *Deum iudicaturum per* IESUM CHRISTUM, ut plerisque et iam ORIGENI visum est, sed *iudicium eius spectaturum* τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων: haec autem cum GROTIO, THOLUCKIO aliisque ita interpretanda esse, ut intelligantur *arcana hominum studia et consilia*, quae 1 *Cor*. IV: 5 vocantur αἱ βουλαὶ τῶν καρδιῶν: auctorem enim sibi voluisse: *Deus per* IESUM CHRISTUM *ita iudicabit, ut non rituum externorum, in quibus Iudaei spem salutis collocant, sed studiorum et consiliorum animi rationem habeat.* Quod uti praecedenti, sic sequenti orationi, praesertim versibus 28, 29, egregie congruit.

Vers. 17–20.

Peracta disputatione, quae lectoribus in luce posuit, qualis iudex Deus omnibus omnino hominibus sit, nunc PAULUS Iudaeos nominatim compellat. Ergo ut videant ipsi, quam dissimiles sui sint, deinceps recenset ea, quibus superbia eorum se efferre solet. Et primum quidem haec tria memorat: *Εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ, καὶ ἐπαναπαύῃ νόμῳ, καὶ καυχᾶσαι ἐν Θεῷ.* Quo acrius autem bonorum suorum iactatores pungat, aeque ac supra vs. 1 sqq. ad colloquii familiaris imitationem Singulari utitur. Pro recepto ἴδε vel ἰδέ scribens εἰ δέ fere communem secutus sum editorum et interpretum recentiorum sententiam, a STUARTO, PEILIO, TURNERO etiam non improbatam. Neque eam labefactatum iri, si constaret, hac mutatione Anacoluthon in orationem induci, luculenter apparet ex *Act.* XXIII: 9. *Rom.* IX: 22, ubi itidem Anacoluthon post

se habent vocabula *εἰ δέ*. Sed plura disputandi otium mihi fecit REICHII [1]) diligentia. Ad Codicum vero antiquissimorum fidem delendus etiam est Articulus *τῷ* Substantivo *νόμῳ* in Editione Recepta praepositus, ut praeter alios recte monuit OLTRAMARIUS, minus recte tamen Articulum ab auctore omissum esse aiens, quia notio vocabuli *νόμῳ* nulla ambiguitate laboraret.

Primum, quod PAULUS vs. 17 Iudaeis tribuit: *Εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ*, eorum spectat nomen. Haud pauci Compositum *ἐπονομάζῃ* a Simplici *ὀνομάζῃ* notione non differre opinantur vel ita saltem interpretantur, ut utrumque eodem redeat. Et sane aliunde [2]) nonnulli afferri possunt loci, in quibus primo saltem adspectu Compositum ampliorem notionem quam Simplex non habere videatur. Sed vulgo illud ita usurpatur, ut vim eius sine dubio augeat Praepositio connexa. Nec verisimile est, PAULUM Verbo, quod in N. T. *ἅπαξ λεγόμενον* est, usum fuisse eique Verbum eiusdem formae *ἐπαναπαύῃ* subiecisse, nisi Compositum a Simplici distingui vellet. Hoc igitur discrimen tenens FRITZSCHIUS, quocum RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS et satis multi magis minusve consentiunt, interpretari iubet *nomen tibi imponis*. Hactenus bene, quod Verbum *ἐπονομάζῃ* non Passivum, sed, congruenter sequentibus *ἐπαναπαύῃ* et *καυχᾶσαι*, Medium habet, Iudaeos *agentes* faciens, uti totius orationis argumentum postulat. Quare cum REITHMAYRO Vulgatam probare nequeo Graeca Latine reddentem: *Iudaeus cognominaris*. Sed

---

[1]) *Comm. Crit.* ad h. l.

[2]) Uti ex PLATONIS *Conviv.* p. 180. *Leg.* Lib. IV. p. 712, 713.

comparatio verborum: *οὓς καὶ Ἀποστόλους ὠνόμασεν* et *ὃν καὶ ὠνόμασε Πέτρον*, *Luc.* VI: 13, 14, ne plura excitem, perspicue docet, Simplex *ὀνομάζειν* etiam significare *nomen imponere.* Nec potestati Praepositionis satisfacit interpretatio: *Iudaeum te denominas.* Propterea tamen, ut nuperrime vidit MEIJERUS, cum BENGELIO aliisque scribendum non est: *Iudaei geris cognomen;* quoniam in appellatione *Iudaeorum* non *cognomen*, sed *nomen* cernitur, quod iis PAULI aetate proprium et vulgo usitatum fuit. Nemo enim ignorat, *Israelitarum* nomen, quod iam a tempore IEROBEAMI omnes tribus comprehendere desiisset, post reditum posterorum IACOBI ex captivitate Babylonica, *Iudaeorum* nomine in vita communi exceptum esse[1]). Sed an incredibile est, hanc nominis mutationem Apostolo ante oculos obversatam esse eumque sibi voluisse: *si vero tu Iudaei nomen nunc adsciscis*, i. e. Breviloquentia sublata: *si vero tu, ut a gentibus exteris te distinguas, pro veteri nomine novum substituens, Iudaeum te dicis?* Recte interpretes, ut Iudaeos hoc nomen honoris causa, et quidem ad se a gentibus illis distinguendos, usurpasse efficerent, ad vs. 28, 29. *Gal.* II: 14. *Apoc.* II: 9. III: 9 provocarunt. Verbo autem *ἐπονομάζειν*, quod iudice STEPHANO proprie significat *supernominare*, interpretatione proposita nihil alieni affingitur. Exemplo nobis sit, quod legimus apud ARRIANUM [2]): *ἀφικνεῖται* (ALEXANDER) *ἐς τοὺς πάλαι μὲν Ἀγριάσπας καλουμένους, ὕστερον δὲ Εὐεργέτας ἐπονομασθέντας.* Similiter de

---

[1]) Cf. WINER. *Bibl. Realwört.* Tom. I. p. 617, 637.

[2]) *De expedit. Alex.* Lib. III. Cap. 27. §. 9. RAPH.

veteri nomine in novum mutato THUCYDIDES [1]) narrat: *Ἡ χώρα ἀπὸ Ἰτάλου, βασιλέως τινὸς Σικελῶν τοὔνομα τοῦτο ἔχοντος, οὕτως Ἰταλία ἐπωνομάσθη.* Iam in altero membro minus difficili: *καὶ ἐπαναπαύῃ νόμῳ*, i. e. *et acquiescis in lege*, Verbum post se habet Dativum, uti 1 *Macc.* VIII: 12 aliisque in locis a STEPHANO et WETSTENIO laudatis. Nomen *νόμῳ* Articulus non praecedit, quoniam auctor *ipsam legem* non proposuit in Abstracto, sed dicere voluit: *et in eo acquiescis, quod legis particeps es.* Similiter in tertio: *καὶ καυχᾶσαι ἐν Θεῷ, et gloriaris in*, i. e. *de Deo*, omissio Articuli non *ipsum Deum*, sed *Dei communionem* proponi indicat. Ergo sensus Verborum est: *et gloriaris de tua Dei communione*, i. e. *quod Deus tuus Deus est*, vel, ut scripsit FRITZSCHIUS, *tibi prae ceteris propitius.* Cff. 1 *Cor.* I: 31. *Gal.* VI: 14. *Phil.* III: 3. Pro forma contracta *καυχᾷ*, ut vs. 23. Cap. XI: 18. 1 *Cor.* IV: 7, priscam *καυχᾶσαι* positam esse constat. Eiusdem formae exempla alibi non frustra quaeruntur [2]).

Quae a Iudaeis iactantur auctor vs. 18 sic recensere pergit: *Καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα, καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου.* Primis verbis: *καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα*, i. e. *et cognoscis voluntatem*, omissionem Pronominis *αὐτοῦ* nihil ambiguitatis afferre, FRITZSCHIO lubenter concedo. Valde tamen dubito, an recte viderit V. D. PAULUM ita scripsisse, ut orationem magis concinnam et nervo-

---

[1]) Lib. VI. Cap. 2. Ed. POPPO, cuius annotata legantur Pars. III. *Comment.* p. 10.

[2]) Cf. PIERSONUS ad *Moeridis Atticistae Lex.* p. 16, quem laudavit etiam BUTTMANN. *Ausf. Griech. Sprachlehre.* Tom. I. p. 354.

sam faceret, nec meo ex animo dubitationem expellunt KREHLIUS et PHILIPPUS, qui ei assentiuntur. Equidem ad Breviloquentiam explicandam sumere malo, Iudaeos *voluntatem Dei* saepe per excellentiam dixisse *τὸ θέλημα*, atque Apostolum hoc imitatum esse, quum ostentationem eorum exagitaret. Eiusdem generis Breviloquentia se prodit, ubi memorantur, quae *κατ' ἐξοχήν* ad Deum pertinent, uti *αἱ ἐντολαί*, *ἡ ὑπακοή*, *ἡ εὐδοκία*, *Matth.* XIX: 17. *Rom.* XVI: 19. *Phil.* II: 13. Connexa: *καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα* alibi [1]) interpretatus sum: *et discernis inter probanda et improbanda.* Similiter, quamquam sibi minus constans, iam THEOPHYLACTUS: *κρίνεις τί δεῖ πρᾶξαι καὶ τί μὴ δεῖ πρᾶξαι*, atque ita plerique, nisi fallor, interpretes antiquioris et recentioris memoriae, etiam HODGIUS, WALFORDUS, STUARTUS. Haec autem egregie cum praecedentibus cohaerent, si exponuntur: *et huius cognitionis, tanquam trulinae, ope discernis ea, quae Deo iudice licita et illicita sunt.* Quod cum aliis, Vulgatam sequens, MEIJERUS praefert: *et probas praestantiora*, nonnihil Tautologiae, ut WETTIUS et KREHLIUS etiam iudicarunt, in orationem importare videtur. Multo minus audiendos puto OLTRAMARIUM aliosque, formulam *τὰ διαφέροντα* reddi iubentes: *quae ab hac voluntate discrepant.* Haec enim conveniunt quidem verbo *κατακρίνεις* vel simili, sed verbo *δοκιμάζεις* non item. Sequentia: *κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου* ostendunt, cur utrumque praecedens Iudaeis tribuatur. Qui autem cum Vulgata scribunt *instructus per legem* vel simile

---

[1]) *Comm. perp.* in *Phil.* I: 10, ubi adeantur WETTIUS, MÜLLERUS, WISSINGERUS.

quid, Participium Perfecti κατηχημένος confundunt cum Participio Praesentis κατηχούμενος, quod HESYCHIUS recte interpretatur διδασκόμενος. PAULUS non memorat institutionem, quam Iudaei, ut BEZA et GROTIUS etiam voluere, a pueris acceperant, sed quam quovis Sabbato, quum lex Mosaica populo legebatur, in Synagoga accipiebant. Ergo Scribendum est: *ut qui edoceris ex lege.*

Recensioni eorum, quorum possessione Iudaei se ipsos beatos praedicant, Apostolus vs. 19 ea adiungit, quae se erga gentes exteras praestare gloriantur: Πέποιθάς τε σεαυτὸν ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει. Verbo πέποιθας non Particulam ὅτι cum Verbo Finito, uti 2 *Cor.* II: 3. *Gal.* V: 10, nec solum Infinitivum, uti 2 *Cor.* X: 7, sed Accusativum cum Infinitivo postposuit, ut Pronomine σεαυτόν Iudaeum ab aliis perspicue distinguere posset. Particula autem τε praecedentem καί excipere videtur ad significandam orationis progressionem [1]). Nemo facile negabit verborum sensum esse: *Tibique* (adeo) *persuasum habes, te ipsum ducem esse coecorum, lucem eorum, qui versentur in tenebris.* Nec valde lectorem exercebunt adiecta vs. 20: Παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων, i. e. *magistrum insipientium, doctorem infantium.* ROSENMULLERO et KOPPIO quidem largior, vocabulo ἀφρόνων, secundum Hebraeorum rationem, significari posse *scelestos*, sed hoc loco intelligendos tantum esse *insipientes*, i. e. *rerum Divinarum imperitos*, tum ex circumiectis τυφλῶν, τῶν ἐν σκότει et νηπίων,

---

[1]) Cf. HARTUNG. l. c. Tom. I. p. 58 sqq. WINER. *Gramm.* p. 516 sqq.

tum ex proxime sequenti διδάσκαλον, quo praecedens παιδευτήν explicatur, tum ex tota apparet oratione, in qua Iudaei inducuntur de rebus Divinis melius instituti quam homines exteri. Nimirum variarum imaginum ubertate PAULUS utitur, quo copiosius et vividius Iudaeorum arrogantiam ostentet. Quod bene etiam vidit RÜCKERTUS, quocum tamen Apostolum *Proselytos* etiam spectasse non crediderim, quum hac omni in disputatione, ut post alios recte monet MAIERUS, *ipsae gentes exterae* et *Iudaei* sibi invicem opponantur.

Aliquanto difficiliora sunt, quae altero vs. 20 membro continentur: ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ. De vocabulo μόρφωσιν valde inter se discrepant interpretes, sed in duas partes commode distribuentur, quarum altera hoc vocabulo id, quod *bonum* est, altera id quod *minus bonum* vel *malum* est, denotari putet. Qui hoc illi praeferunt, vel *speciem simulatam* intelligi iubent, quod iam nonnullis apud THEOPHYLACTUM placuit, vel *meram umbram*, *ab ipsa re distinguendam*, uti recentiori memoria OLSHAUSENIUS et OLTRAMARIUS. Sed quum in hac oratione, ut recte monuerunt VV. DD. proponantur tantum, quae *in Iudaeis laudanda*, neutiquam vero quae *in iis vituperanda* sunt, nec *species simulata*, nec *mera umbra* hîc in censum venire potest. Deinde haec interpretatio ferri nequit, nisi Participium ἔχοντα Latine reddamus: *quamvis habes;* atqui illud, ut praecedenti κατηχούμενος respondeat, reddendum est: *quippe qui habeas.* OLTRAMARIUS autem, strenuus maxime harum partium defensor, ubi contendit, postrema ἐν τῷ νόμῳ eo in loco posita

esse, ut non cum Participio illo, sed cum proxime praecedentibus *τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας* iungenda sint, vehementer a vero aberrat, ut apparet ex Cap. XV: 17. 2 *Cor.* IV: 7. *Eph.* V: 5. *Phil.* III: 4. *Col.* IV: 1 aliisque locis, in quibus Verbum *ἔχειν* post se habet Praepositionem *ἐν*. Quae quum ita sint, nihil aliud superest, quam ut vocabulo *μόρφωσιν* notionem eius, quod *bonum* est, tribuamus. Nec tamen salvo loquendi usu, cum ERASMO, BEZA, ESTIO, intelligi potest *ratio* vel *norma instituendi alios.* Immo id significatur, quod Iudaei in lege Mosaica *sibi* habent. Ita, GROTIO maxime duce, nunc omnes fere cum MEIJERO iudicant interpretes, sive Latine scribi velint *formam*, sive *exemplar*, seu *adumbrationem*, vel *effigiem*, vel aliter. Et huic sane interpretationi favent HESYCHIUS et SUIDAS, vocabulum *μόρφωσιν* exponentes *σχηματισμόν* et *εἰκόνα.* Nec minus eam commendant verba THEOPHRASTI [1]): *Ἡ ἀναγωγὴ καὶ ἣν καλοῦσιν οἱ πολλοὶ τῶν φυτῶν παιδείαν, οἷον σχηματισμός ἐστι καὶ μόρφωσις τῶν δένδρων ὕψει τε καὶ ταπεινότητι καὶ πλάτει καὶ τοῖς ἄλλοις*: item quae REICHIUS aliunde [2]) excitavit: *ἐπεθύμουν ἰδεῖν τὴν ἰδέαν αὐτοῦ καὶ τὴν μόρφωσιν τῆς ὄψεως αὐτοῦ.* Fortasse contradictioni locum optime praecludemus Graecis Latine reddendis: *quippe qui formam cognitionis et veritatis in lege* [Mosaica] *habeas expressam.* Quod quamquam Iudaeorum ex mente petitum sit, cum ipsius tamen auctoris sententia apprime congruere,

---

[1]) *De causis plant.* Lib. III. Cap. 7. § 4. SCHNEID.

[2]) *Testam. Beniam.* Cap. X. p. 742.

FRITZSCHIUS multique alii viderunt. Qui contrariam in partem provocant ad ea, quae 2 *Tim.* III: 5 legimus: *ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι,* animadvertere negligunt, vocabulum *μόρφωσιν* ibi carere Articulo, qui hîc praecedat et, ut PHILIPPUS monet, perspicue doceat, *formam* significari *ipsi rei convenientem*, i. e. *veram*, neutiquam *speciem rei simulatam* vel *meram umbram ab ea distinguendam*. Minus recte autem agunt, qui coniuncta *τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας* per Hendiadyn explicare conantur, ut vel *cognitio vera* proponatur, vel *cognitio veri*, quorum alterum FLATTO et STUARTO, alterum GROTIO et AMMONIO placuit. Duo enim memorari *Obiecta*, et quidem *sibi ipsa constantia*, haud pauci evidenter docent interpretes. Similiter accipiendus est Genitivus *γνώσεως*, ubi, ab alio Nomine pendens, ante se habet Articulum, uti *Luc.* XI: 52. 2 *Cor.* II: 14. *Phil.* III: 8 et in omnibus, nisi fallor, locis ita comparatis. Opportune THEODORETUS: *Τούτων πάντων τοὺς χαρακτῆρας ὁ θεῖος προσέφερε νόμος.* Altero tamen significari videtur, quod ad *intelligendum*, altero quod ad *agendum* pertinet. Ita iam censuit OECUMENIUS, neque hoc KREHLIO aliisque displicuit.

Vers. 21—23.

Quinquies Apostolus (vs. 21—23) eadem bona, quorum possessione Iudaeos se (vs. 17—20) efferentes induxit, eorum in vituperationem convertit. Ideo verisimile iam est, Apodosin hîc legi Protasi respondentem. Quod cum THOLUCKIO, FRITZSCHIO, RÜCKERTO et

plerisque interpretibus censet MEIJERUS. Novi quidem, verba auctoris ita comparata esse, ut secundum Grammaticae leges cum praecedentibus connecti nequeant. Sed nihil desiderii relinquitur, si cum HODGIO, KREHLIO, multis aliis ab Apodosi *Grammatica Logicam* distinguimus. Hanc enim in Veterum scriptis haud raro Particula *οὖν* indicari constat [1]). Neque ad Anacoluthon huic loco vindicandum exempla valent supra ex *Act.* XXIII: 9 et *Rom.* IX: 22 allata. Ibi enim Particulae *εἰ δέ* scriptae sunt pro *τί δὲ, εἰ,* quoniam continuata crescit oratio; vs. vero 17 auctor his Particulis aliter utitur, ad novum argumentum et quidem ad Iudaeos compellandos transiens. Logicum autem verborum nexum iam PELAGIUS adspectabilem facit articulatim ostendendo, quomodo Iudaeorum in arrogantiam vita eorum incurrat. His quinque tamen sententiis, quibus discrepantia proponitur, signa illa *interrogationis* non subiicit, quae in Editione Recepta leguntur et ab ESTIO, RÜCKERTO, STUARTO aliisque, duce THEOPHYLACTO, defenduntur. Similiter ea, Vulgatam Latinam sequentes, non admittunt LUTHERUS, BOEHMIUS, OLSHAUSENIUS, STENGELIUS, PEILIUS. Nec sane necessaria sunt, dummodo caveamus, ne singulis orationis partibus nuda insit et languida pravitatis Iudaeorum narratio. Hoc vero, ut FRITZSCHIUS et PHILIPPUS etiam viderunt, cavebitur interrogatione ubique mutanda in *exclamationem*, quo et toti ab Apostolo adversus Iudaeos institutae disputationi haec obiurgatio accommodatior fieri et eius acerbitas augeri videtur.

---

[1]) Cff. WINER. p. 523. MATTH. Tom. II. p. 1525, 1516. MADV. p. 254.

Primum igitur PAULUS Iudaeo obiicit: *Ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον σεαυτὸν οὐ διδάσκεις*. Participium cum Articulo praecedente nemo explicare gravabitur: *tu, qui doces*, uti Cap. IV: 4. *Ioann.* XIX: 12. 1 *Thess.* V: 24 multisque in locis explicandum est [1]). Itaque Graeca convertenda sunt in Latina: *Ergo tu, qui doces alterum, te ipsum non doces*, quod eodem redit ac si scripseris: *Ergo tu alterum doces, nec tamen te doces ipsum.* Verbo autem *διδάσκεις*, ut iam notavit GROTIUS, inest *πλοκή*, quum auctor in posteriori huius sententiae parte sibi voluerit: *ipse huius doctrinae fructum in vita et moribus non ostendis.*

A pravitate Iudaeorum generatim reprehendenda Apostolus ad singula vitia iis exprobranda transgreditur. Verba sunt: *Tu, qui furandum non esse promulgas, furaris. Tu, qui moechandum non esse dicis, moecharis.* Sic enim Latine reddenda sunt Graeca: *Ὁ κηρύσσων μὴ κλέπτειν κλέπτεις. Ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν μοιχεύεις.* Quae duo hactenus conveniunt, ut utrumque officia spectet erga *homines* praestanda. Multi ab antiquo, ante Infinitivos *κλέπτειν* et *μοιχεύειν* intelligi iubentes *δεῖν*, orationi temere Ellipsin affinxerunt, neque hoc recentiori aetate repudiarunt omnes [2]). Sed commentum illud, uti ab aliis [3]) satis refutatum est, ita iam displicuit GROTIO, qui Infinitivos valere monet pro Gerundiis, sicuti in sermone vernaculo sine culpa dicemus: *Gij predikt niet te stelen* et *gij zegt geen overspel te doen.* Idem autem V. D. cum WETSTENIO

---

[1]) Exemplorum copiam praebet WINER. p. 120, 121, 403, 404.

[2]) Cff. SCHAEFERUS aliique ad L. BOS, *Ellips.* p. 596, 597.

[3]) HERMANN. ad VIG. p. 745. BERNHARD. p. 371. praesertim LOBECK. ad *Phryn.* p. 753 sqq. Cf. WINER. p. 370 sqq.

aliisque ex Veterum scriptis probare conatus est, PAULUM vitia memorare, quae inter Iudaeos late regnaverint. THOLUCKIUS vero, RÜCKERTUS aliique auctorem, exempla tantum afferre volentem, vitia carpsisse putarunt, quae primum ei in mentem venirent. Quod sane probabile est, hac tamen posita conditione, ne eum alia vitia reprehendisse censeamus, quam quae Iudaeorum in vita se proderent.

Vitia, quae officia erga homines spectant, hoc, quo *in Deum peccatur*, excipit: Ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα ἱεροσυλεῖς. Iam Protasin sibi velle: *Tu, qui commentitios gentium exterarum Deos abominaris*, nemo negabit. Iudaeos enim Deos illos contemtim εἴδωλα, i. e. *figuras umbraticas* vocasse, cum WETSTENIO norunt omnes. Neque in dubium vocari potest, Verbum βδελύσσεσθαι in eum apprime convenire, qui Polytheismi sacra abominetur. Sed Apodosin ἱεροσυλεῖς explicare hoc opus, hic labor est. Haud pauci ab antiquo, uti STRIGELIUS, ESTIUS, CORNELIUS A LAPIDE, etiam PALMIUS et RÜCKERTUS, licet haberent quod praeferrent ceteris, aquam sibi haerere non occultarunt. KLEEIUS variis interpretandi rationibus propositis lectori iudicium relinquendum censuit. KÖLLNERUS nondum allatum esse scripsit, quo quaestio dirimatur. At hic tamen V. D. se eorum addixit sententiae, qui Iudaeis Verbo ἱεροσυλεῖς generatim *impietatem in Deum* obiici contendunt. Hactenus, praeeunte *Ambrosiastro*, inter se conveniunt VATABLUS, CALVINUS, BENGELIUS, BENECKIUS, BRETSCHNEIDERUS, BAUMGARTEN-CRUSIUS, STUARTUS, KREHLIUS, alii, quamquam vario modo impietatem illam exponentes. Sed ita interpretando, si minus occupatur argumentum proxime sequens (ὃς ἐν νό-

μῷ — ἀτιμάζεις), iniuria certe fit Verbo *ἱεροσυλεῖς*, quod ab antiquis [1]) explicatur: *τὰ ἱερὰ* et *τὰ ἀναθήματα κλέπτειν*, et sic intelligi nequit, ut plane exsulet *spoliandi* notio. Deinde quum praecedentia *κλέπτεις* et *μοιχεύεις singularia* significent flagitia, Verbo illi, ut recte monet PHILIPPUS, vix aut ne vix quidem *generalem* notionem tribuere licet. Nec facile crediderim, PAULUM id, quod variis rationibus tritis et usitatis enunciare posset, Verbo enunciasse in Epistolis eius aliisque Novi Testamenti scriptis nusquam reperiundo.

Multo magis se commendat sententia, quae iam olim CHRYSOSTOMO, OECUMENIO aliisque placuit, Verbum *ἱεροσυλεῖς* interpretandum esse: *Deorum templa spolias.* Quod praeter alios probarunt CLERICUS, WETSTENIUS, ROSENMULLERUS, KOPPIUS, FRITZSCHIUS, NIELSENIUS, MICHELSENIUS, RÜCKERTUS, THOLUCKIUS, WETTIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, MEIJERUS [2]), et ita quidem, ut nonnulli eorum hanc interpretationem solam ferri posse asseverarent. Et sane Protasi egregie congruit Apodosis, si THEOPHYLACTUM sequimur verba explicantem: *Καὶ γὰρ εἰ καὶ ἐβδελύσσοντο τὰ εἴδωλα, ἀλλ' ὅμως, τῇ φιλοχρηματίᾳ τυραννούμενοι, ἥπτοντο τῶν εἰδωλικῶν ἀναθημάτων δι' αἰσχροκερδίαν.* Nullum, inquit MEIJERUS, vitae contemplativae et activae discrimen, quo Iudaeorum sensus penitius affligeretur, PAULUS proponere poterat, quam *horrorem Deos abominan-*

---

[1]) HESYCH. et *Gloss.* ALB. ad h. v.

[2]) Cum his interpretibus OLTRAMARIUS etiam consentit, quatenus *Deorum falsorum templa* hîc in censum venire ait, sed ab iis dissentit Verbo *ἱεροσυλεῖν* explicando: *surripere et retinere dona, quae templis Deorum debentur.*

tem, quos gentes colerent, et *spoliationem templorum* iis consecratorum. Minus recte vero propter quaestionem, an templorum spoliatio in Iudaeos cadere potuerit, cum aliis V. D. provocat ad *Act.* XIX: 37, ubi Ephesi praeses negando, PAULUM eiusque socios *ἱεροσύλους* esse, neutiquam sumit, hoc crimen a Iudaeis committi. Nec maiori iure comparatur, quod IOSEPHUS [1]) inter leges refert a MOSE Israëlitis praescriptas: *μὴ συλᾷν ἱερὰ ξενικὰ, μηδ᾽ ἂν ἐπωνομασμένον ᾖ τινι Θεῷ κειμήλιον λαμβάνειν,* quod auctor haud secus scribere potuit ad causam explicandam, cur Iudaei ab hac culpa immunes essent, quam ad flagitium eorum damnandum. Mirandi igitur non sunt WETTIUS et OLTRAMARIUS, quorum alter his locis non ita magnam probandi vim inesse censet, alter hanc vim iis denegat. Credibile quoque non est, Iudaeos, sive Romae habitantes, quorum rationem PAULUS praesertim habuit, seu alibi Romanorum imperio subiectos, illo tempore Deorum templa spoliare potuisse, aut, si vel possent, tantae audaciae fuisse, ut in hoc immane nefas ruerent. Qui autem Verbum *ἱεροσυλεῖς* interpretantur: *Deorum templa spolias,* Apostolum Iudaeis alius generis facinus exprobrantem faciunt, quam in sententiis circumiectis, ubi *peccata* proponuntur *legibus Divinis adversaria.* Quod enim *Deut.* VII: 25, 26 Israëlitis Palaestinam expugnaturis a MOSE interdictum est, longe differt a spoliatione, quae Verbo illo denotatur, quippe bellicam spectans praedam eos mansuram, postquam huius regionis incolas armorum vi ex sedibus

---

[1]) *Ant. Iud.* Lib. IV. Cap. 8. § 10.

suis expulissent. Sed nihil huic interpretationi magis obstat quam loquendi usus. Si enim bene se habet LOBECKII [1]) annotatio, scriptores Sacros vel Ecclesiasticos *ἱερόθυτα* vocasse *δαιμονόθυτα* et *εἰδωλόθυτα*, PAULUS crimen Deorum templa spoliandi neutiquam Verbo *ἱεροσυλεῖν* significasse censendus est. Deinde, qui a Graecis dicuntur *ἱεροσυλεῖν*, ut recte monet REICHIUS, homines sunt *id, quod sibi vel suo certe populo revera sacrum est, spoliantes.* Nusquam aliter hoc Verbum usurpatur a DIODORO *Sic.* ubi res in *Bello Sacro* gestas amplissime describit [2]). Eodem modo apud ARISTOPHANEM [3]) PHILOCLEON servum rogans: *εἶθ' ἱεροσυλήσας φέρεις*, significat quod *manu sacrilega ablatum est.* Neque hinc discrepant loci XENOPHONTIS [4]) aliorumque, quos STEPHANUS et WETSTENIUS laudarunt. Similiter in loco supra iam allato *Act.* XIX: 37 homo est DIANAE addictus vel reverentiam eius simulans, qui PAULUM eiusque socios *οὔτε ἱεροσύλους* declarat, *οὔτε βλασφημοῦντας τὴν Θεὸν ὑμῶν.* Ita quoque vocabula *ἱεροσύλημα*, *ἱερόσυλος* et *ἱεροσυλία* 2 *Macc.* IV: 39, 42. XIII: 6 sine dubio *spoliationem* denotant *eius, quod Iudaeis sacrum fuit.* Etiamsi vero Verbum *ἱεροσυλεῖς* in uno alterove loco ferat interpretationem: *spolias profanum illud, quod aliis sacrum est*, huius tamen loci oratio eam respuit; quoniam absurdum est Iudaeis in Apodosi tamquam sacrum proponere,

---

[1]) Ad *Phrynich.* p. 159.

[2]) *Bibl.* Lib. XVI. Cap. 25, 28, 30, 31, 56, 57.

[3]) *Vesp.* vs. 841. BURM.

[4]) *Mem. Socr.* Lib. I. Cap. 2. § 62.

quod in Protasi, et quidem iure meritoque, abominari dicuntur.

Quae quum ita sint, videamus, an melius se tueri possit interpretatio: *templum tibi sacrum spolias*, i. e. *Hierosolymitanum*, quam *Syrum*, PELAGIUM, PHOTIUM, quodammodo etiam ORIGENEM, sequentes admiserunt VORSTIUS, CRELLIUS, SLICHTINGIUS, GROTIUS, MICHAËLIS, REICHIUS, OLSHAUSENIUS, GLÖCKLERUS, HODGIUS, PEILIUS, TURNERUS; nonnulli quidem ita, ut cum templi spoliatione *impietatem in Deum* coniungerent, quod factum etiam est a LUTHERO, PAREO, FLATTO, REITHMAYRO, WALFORDO. Sunt inter eos, qui praesidium sibi quaerant apud IOSEPHUM [1]), ubi viri legis Mosaicae studiosi aquilam auream in templum importatam securibus exscidisse sibique nomen ἱεροσύλων contraxisse dicuntur. Sed illud paucorum facinus populi mores non ostendit. Nec magis mores illi describuntur eiusdem auctoris narratione [2]), scelestos quatuor homines dona, quae FULVIA ab iis excitata templo Hierosolymitano destinasset, surripuisse suosque in usus convertisse. Rursus vero levius agunt FRITZSCHIUS aliique, ubi huic interpretationi obstare contendunt tres sententias praecedentes (ὁ οὖν διδάσκων — μοιχεύεις), quarum Protasis causas proponat, cur Iudaeis ea, quae in Apodosi memorentur, patrare non liceat. PAULUS enim, quum hîc alio verbo in Apodosi quam in Protasi uteretur, illa orationis mutatione indicasse videtur, se nunc ad Antithesin alius generis transire.

---

[1]) *Antiq.* Lib. XVII. Cap. 6. § 3. *De Bell. Iud.* Lib. I. Cap. 33. § 3, 4.

[2]) *Antiq.* Lib. XVIII. Cap. 3. § 5.

Sed si animadverterimus, Protasi: *Tu, qui gentium exterarum Deos abominaris*, ut etiam vidit PHILIPPUS, implicite inesse: *Tu, qui unius Dei religionem firmiter tenes*, minus ei dissimilis Apodosis esse deprehendetur, quam primo esse videatur adspectu. Nondum dixi, interpretes dissentientes, quidquid moliantur, ne ipsos quidem pares esse ad Antithesin orationi suggerendam praecedentibus aequalem. Tum haec duo: *Deos falsos abominari* et *Dei veri templum spoliare*, recte monet REICHIUS, sibi invicem e regione opposita esse. Neque a fide abhorret, Apostolum TERTIO dictantem: Ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα ante oculos habuisse primum Decalogi praeceptum, eum vero, quum sui temporis Iudaeis huius praecepti violationem obiicere non posset, aliud obiecisse crimen, quod Deï religionem aequaliter spectaret. Sine ullo igitur scrupulo meam quoque facio interpretandi rationem, quae sola loquendi usu nititur. Quod ita omnino manere, si verba: *templum spolias* explicentur: *sacrarium suo defraudas*, locorum, quos supra memoravi, nonnulli tam clare docent, ut nulla sit necessitas dicendi, auctorem hoc loco, aeque ac 2 *Cor.* XI: 8, graviori usum esse verbo pro leniori. Sed efficacius haec notio Verbi ἱεροσυλεῖν vindicari nequit quam iterum excitando DIODORO *Sic.* qui [1]) Athenienses cum Phocensibus in templi Delphici spoliatione conspirasse et IPHICRATI, navibus, quibus DIONYSIUS Syracusarum princeps IOVI et APOLLINI dona Olympiam et Delphos misisset, suam in potestatem redactis, auctores fuisse narrat ea ad milites alendos depeculandi, huic vero narrationi continuo

[1]) L. c. Cap. 57.

addit, DIONYSIUM Atheniensibus scripsisse: *Τοὺς Θεοὺς καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ἱεροσυλεῖτε, καὶ τὰ ἀγάλματα τὰ εἰς ἀνάθεσιν ὑφ' ἡμῶν τοῖς Θεοῖς ἀπεσταλμένα παρελόμενοι κατεκόψατε, καὶ περὶ τοὺς μεγίστους τῶν Θεῶν ἠσεβήκατε, περὶ τὸν Ἀπόλλωνα τὸν ἐν Δελφοῖς, καὶ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον*; ubi DIODORUS Verbo *ἱεροσυλεῖν* eandem significat *ἀφαίρεσιν τῶν ἀνατιθεμένων τοῖς εἰδώλοις*, quam THEOPHYLACTUS a PAULO propositam esse putavit. Ut autem respondeatur ad quaestionem, an PAULI aetate Iudaei se tali sacrilegio polluerint, non opus est coniecturis uti, quae ex flagitiis, teste *Mal.* I: 8, 12, 13. III: 10, antea iam commissis, ex verbis IESU *Matth.* XXI: 13. XXII: 21. XXIII: 25, item ex summa huius gentis depravatione petuntur. In *Testamento* enim XII *Patriarcharum* saepissime occupari, quae nepotes eorum IESU et Apostolorum temporibus patraverint, nemo est, qui ignoret. Iam vero Levitarum sator de tribu sua hanc ex eventu vaticinationem edit [1]): *Τοῦτο (τὸ φῶς τοῦ κόσμου) θέλοντες ἀνελεῖν, ἐναντίας ἐντολὰς διδάσκοντες τοῖς τοῦ Θεοῦ δικαιώμασι, τὰς προσφορὰς Κυρίου ληστεύσετε, καὶ ἀπὸ τῶν μερίδων αὐτοῦ κλέψετε, καὶ πρὸ τοῦ θυσιᾶσαι Κυρίῳ λήψεσθε τὰ ἐκλεκτά* cet. Hoc autem si Levitae ausi sunt, quis dubitat, an plurimi ex patriciorum et plebeiorum turba eorum secuti sint exemplum? Ceterum de Gradatione, quam cum WETSTENIO aliisque MEIIERUS orationi sua ex interpretatione inesse contendit, nihil decedit, si *furibus* et

---

[1]) *Test. Lev.* Cap. 14. p. 578.

adulteris adiunguntur homines *sacrarium suo defraudantes.*

Vers. 23.

Postquam duo Decalogi praecepta memoravit et, saltu facto, primum omnium etiam attigit, Apostolus hinc commode ducitur ad *universam legem* sibi repraesentandam. Ergo hanc postremam facit Antithesin: Ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι, διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν Θεὸν ἀτιμάζεις, quod optime FRITZSCHIUS interpretatur: *Qui lege Dei superbis Deum violanda lege contumelia afficis.* Interpretatione illa quoque defenditur auctor hoc nomine, quod non scripsit ἐν Θεῷ, uti vs. 17, sed ἐν νόμῳ, *Divinam* nempe legem intelligens. Sed sententia etiam praecedens, quum ibi primum Decalogi attigisset praeceptum ad *ipsum Deum* pertinens, eum impedivit, quominus hoc loco scriberet ἐν Θεῷ. Cum FRITZSCHIO tamen aliisque interpretibus me hactenus non consentire, ut Dativum νόμῳ eodem modo ac Genitivum τοῦ νόμου accipiam, sequitur ex disputatis ad vs. 12. Ergo, quamquam utrumque ad *legem Mosaicam* referendum est, alterum cum OLTRAMARIO ab altero distinguo, verba PAULI explicans: *Qui legis Divinitus constitutae possessione* (sermone vernaculo: *in het bezit eener Goddelijke wet*) *gloriaris* seu *superbis*, *lege illa violanda* cet. Supra autem interrogatione ubique in exclamationem mutata, examinare nihil attinet quod volunt BOSVELDIUS aliique, etiam MEIJERUS, Apostolum nunc ab interrogando transiisse ad iudicium de Iudaeis, quod vocant,

Categoricum ferendum. Cur alia orationi forma induta sit, plane ignoro; sed continuatio Antitheseos prodere videtur, hanc quintam esse sententiam, qua Iudaeis sua pravitas eodem modo ac praecedentibus exprobretur.

Vers. 24.

Indignatione plenus hanc orationis partem PAULUS concludit verbis: *Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι, καθὼς γέγραπται*, i. e. *Nomen enim Dei propter vos contumelia afficitur inter gentes, sicut scriptum est.* Negari quidem nequit, proxime praecedentia: *τὸν Θεὸν ἀτιμάζεις* Apostolum ad gravissimam hanc conclusionem duxisse, sed rationem tamen habuit omnium, quae supra quinque Antithesibus continentur. Iudaeos nempe confundere studuit, aliud ore profitentes, aliud in corde ferentes. Qui formulam *δι' ὑμᾶς* cum Vulgata interpretantur *per vos*, sine ulla, ut STUARTUS etiam vidit, causa loquendi usum deserunt et vel auctori alienam mentem obtrudunt. Aliis enim verbis Iudaeis exprobrat: *Tam flagitiosa vestra vita est, ut gentes exterae, hoc videntes, non aliter possint quam ad Deum, cuius cultores vos esse dicitis, indignissimum qui colatur habendum impelli.* De eo inter se discrepant VV. DD. utrum PAULUS ad suam mentem enunciandam Veteri Testamento usus sit, an vero illud excitaverit, ut eius pondere confirmaret, quod de Iudaeorum protervitate effatus esset. Sed hoc illi praeferendum esse intelligimus, REICHIO aliisque auctoribus, tam ex Particula *γάρ*, quam ex formula *καθὼς γέγραπται*. Eadem vero formula con-

ferre quoque videtur ad dirimendam quaestionem, unde Apostolus sua mutuatus sit. Plerique aiunt ex *Ies.* LII: 5, CALVINUS, GLÖCKLERUS, HODGIUS, alii ex *Ezech.* XXXVI: 20 sqq. Comparato autem utriusque vatis oraculo cum PAULI oratione, hoc eius dissimile, illud simile esse videmus. Et propterea IESAIAM hîc in censum venire, EZECHIËLEM non item, haud sine causa MEIIERUS multique alii iudicant. Apostolum tamen ad IESAIAE verba minus provocasse, quam verbis illis usum esse ad oppobriorum, quibus vates Divini in Literis Sacris Israëlitas petiissent, memoriam renovandam, inde sequi videtur, quod formula *καθὼς γέγραπται* sententiam concludit. Hoc enim in N. T. fieri solet, ubi id minus agitur, ut locus aliquis e V. T. describatur, quam ut *plurium locorum doctrina* tradatur [1]). Ergo PAULUS imitatus quidem est Alex. IESAIAE interpretationem: *Δι' ὑμᾶς διαπαντὸς τὸ ὄνομά μου βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι,* sed ad praecedentia confirmanda generatim dixit, *quid* contra Iudaeos *testarentur Literae Sacrae* suis temporibus accommodatae. Idem fere iam olim iudicium fuit SURENHUSII [2]). Nec longe aliud nuper voluit PHILIPPUS monendo, PAULUM orationis formam a IESAIA, rem ab EZECHIËLE mutuatum esse. Hoc autem probato vide, an minuatur quoque difficultas inde exorta, quod,

---

[1]) *Marc.* IX: 13. XIV: 21. *Act.* XV: 15. Cff. *Matth.* XXVI: 24 aliique loci. Hactenus convenit igitur formula *καθὼς γέγραπται* cum simili *κατὰ τὰς γραφάς* 1 *Cor.* XV: 3, 4. Quin ipsum *ἡ γραφή* saepe usurpatur ad Literas Sacras generatim laudandas, ut ante multos annos monui in *Annot. in loc. nonn. N. T.* p. 73.

[2]) L. c. p. 436 sqq.

secundum Codicem Hebraeum, Assyrii Deum oppressione gentis ei consecratae contumelia afficere dicuntur.

Vers. 25.

Iam praevisae contradictioni Apostolus occurrit verbis: *Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ, ἐὰν νόμον πράσσῃς· ἐὰν δὲ παραβάτης νόμου ᾖς, ἡ περιτομή σου ἀκροβυστία γέγονεν.* Eius omissionem, quae RÜCKERTUM, WETTIUM, MEIIERUM non fugit, Particula *γάρ* indicat. Similiter haec Particula alibi, ut Grammatici monent [1]), cum omissis cohaeret, etiam ubi auditores vel lectores aliquid animo volvere censentur, ut in principio orationum DEMOSTHENIS. Vocabulum *περιτομή* cave credas per Metonymiam *Iudaismum*, aut per Synecdochen *legem ritualem* denotare, quorum alterum KOPPIO aliisque, alterum BEZAE placuit. Nulla enim causa est discedendi a propria eius notione, quae in versibus etiam sequentibus observari debet. Commemoratur nempe *Circumcisio*, cuius, utpote *ritus primarii*, Iudaeorum plerosque omni tempore tenacissimos fuisse, ex Literis Sacris et aliunde [2]) novimus. In eo autem quod perinde habeant, utrum hoc vocabulum Articulus praecedat an non praecedat, persuasum mihi est, WETTIUM, PHILIPPUM aliosque falli. Non dubito certe, quin duo illa *περιτομή* et *ἡ περιτομή* ita distinguen-

---

[1]) TROLLOP. p. 200. ZEUN. ad VIG. p. 496. ROST. p. 646, 707. MATTH. Tom. II. p. 1464, alii.

[2]) MEUSCHEN. *N. T. ex Talmude* cet. p. 152, 153, 169, 170. EISENMENG. Tom. I. p. 681 sqq. II. 285, 286.

da sint, ut illud ubique *circumcisionis*, sive *praeputii* seu *cordis*, significet *communionem*, hoc vero, nunc *communionem circumcisionis supra memoratam*, quemadmodum in altero huius sententiae membro, ubi REITHMAYRUS τὴν περιτομήν Pronomine σου restringi monet, nunc in Abstracto *ipsam circumcisionem* sive *praeputii* seu *cordis*. Huius distinctionis probitatem luculenter apparere puto ex *Ioann.* VII: 22, 23. *Rom.* II: 28, 29. IV: 9, 10. *Gal.* II: 9, 12. *Phil.* III: 3, 5. *Col.* II: 11, eaque WALFORDO placuit, nec MEIJERO omnino displicuisse videtur. Similiter vocabulum νόμος, quod OLTRAMARIUM minus animadvertisse miror, Articulo caret, ut *ipsam* non intelligamus *legem Mosaicam*, sed, GROTIO auctore, legis illius *praecepta* vel *statuta*. Hanc interpretationem commendat etiam Verbum adiectum πράσσῃς, quia neutiquam *peragitur* ipsa lex, sed *illud tantum, quod legis est*. Longius quaesita videtur ratio, qua PEILIUS νόμον et τὸν νόμον distinguit. Quaenam utilitas Verbo ὠφελεῖ significetur, PAULUS non explicuit, quoniam, ut bene monet KREHLIUS, huius loci non erat. Sed animum attendisse videtur ad bona Cap. III: 2 et IX: 4 proposita et in hominem circumcisionis participem collata. Sensus igitur orationis est: *circumcisionis enim, quam fortasse causaberis, participem esse quidem prodest, posito te legis Mosaicae praecepta observare; sed posito, te eorum violatorem esse, tua circumcisionis communio facta est communio praeputii.* Atque sic Iudaeus coram Deo homini praeputium habenti aequalis fieri et ex bonis per circumcisionem in eum collatis nihil emolumenti capere dicitur. Idem autem, qui in Verbo γέγονε cernitur, loquendi usus exstat 1 *Cor.* XIII: 1 et alibi.

Vers. 26.

Vituperationem Iudaeorum excipit laudatio gentium exterarum per interrogationem ei opposita: *Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ, οὐχὶ ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται;* quae sic explicanda est: *Posito igitur eum, qui praeputium habeat, legis Mosaicae statuta observare, nonne praeputium eius valere censebitur pro circumcisione?* Postrema *εἰς περιτομὴν λογισθήσεται* eodem modo ac tritam formulam *λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην* Cap. IV: 3, 9, 22 al. accipienda esse satis constat. Nec facile quis de eo ambiget, an in Protasi Abstractum *ἡ ἀκροβυστία* positum sit pro Concreto. Proinde in Apodosi legimus Pronomen *αὐτοῦ*, quod referri debet ad *hominem praeputium habentem*, qui Abstracto illo indicatur. Similiter illud usurpatur Cap. XI: 14. 2 *Cor.* II: 13. V: 19, et frequentissime ad urbis alicuius vel regionis, cuius nomen praecedit, denotandos incolas [1]. *Νόμον φυλάσσειν* vel *φυλάττειν* a Graecis antiquioribus dici solet, qui *curam gerit, ne lex vi sua privetur;* unde orta est appellatio *νομοφυλάκων* a CICERONE etiam memorata [2]. Sed praeeunte interprete Al. *Gen.* XXVI: 5. 1 *Reg.* XI: 38. *Prov.* VI: 20. *Sap. Sal.* VI: 4 cet. illud in N. T. haud raro, uti *Act.* VII: 52. XXI: 24. *Gal.* VI: 13, ad

---

[1]) Cf. WINER. p. 169 sqq. ubi provocatur etiam ad ea, quae disputavi in *Annot.* p. 195 sqq. Add. ROST. p. 470, 471. MADV. p. 98. alios.

[2]) *De leg.* Lib. III. Cap. 20.

obedientiam refertur *erga leges praestandam*, quod postea scriptores Ecclesiastici secuti sunt [1]). De verbis *τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου* satis disputasse mihi videor ad Cap. I: 32. II: 14, ubi me quoque refellisse spero, quotquot cum CALVINO aiant, PAULUM sibi cogitando finxisse homines, quales nusquam exstarent. Sed qui plura cupit, adeat FRITZSCHIUM, RÜCKERTUM, OLTRAMARIUM, alios. Ad auctoris sententiam illustrandam opportune PHILIPPUS attulit *Matth.* III: 9. VIII: 11. 1 *Cor.* VII: 19. *Gal.* V: 6. Addatur *Gal.* VI: 15. *Proselyti* tamen, qui dicuntur, *portae* hîc, ut recte monet MEIIERUS, in censum non veniunt.

Vers. 27.

Eiusdem interrogationis secundum Editionem Receptam pars altera est: *Καὶ κρινεῖ ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία, τὸν νόμον τελοῦσα, σὲ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου.* Quod praeter VV. DD. a MEIIERO memoratos probant OLTRAMARIUS, KREHLIUS, REITHMAYRUS, HODGIUS, TURNERUS, alii. Ipso MEIIERO iudice PAULUS non amplius interrogat, sed novam sententiam exorsus id proponit, quod quisque intelligit ex interrogatione praecedente sequi. Consentiunt BAUMGARTEN-CRUSIUS et MAIERUS, uti et TISCHEN-

---

[1]) Ita quoque plus semel Graeci recentioris aetatis, uti AELIAN. *Varr. Hist.* Lib. II. Cap. 31 et qui memorantur a PALAIRETO ad *Act.* XVI: 4. Quod apud HOMER. *Iliad.* XVI. v. 686 de PATROCLO legimus, huc non pertinet: nam Graeca *εἰ ἔπος φύλαξε* explicanda videntur Latine: *si verbi non immemor fuisset.*

DORFIUS. Hac autem distinctione, quamvis Particulae *καὶ* nihil demendum aut addendum [1]) sit, orationis gravitatem augeri putant. Et sane Verba *τὸν νόμον τελοῦσα* vehementer frigere videntur, si ad Apodosin pertinent, cuius Protasis est: *ἐὰν οὖν — — φυλάσσῃ.* Deinde separatio huius vs. a praecedente insigniter commendatur eo, quod Verbum *κρινεῖ* sequentibus *ἡ ἐκ φύσεως — τελοῦσα* praepositum est, non postpositum. KÖLLNERI enim sententia, quum repetat *ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ* et cum his per Appositionem connectat *ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία*, Pronomen *σε* longius a Verbo suo *κρινεῖ* amovetur, et Antithesis, quae huic versui inest, extenuatur, et auctori mira affingitur scribendi insolentia. Communi igitur consensu interpretes Subiectum orationis cerni sumunt in expressis *ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία*. Plerique item inter se de eo consentiunt, Verbo *κρινεῖ* sententiam non indicari *ore*, sed *facto* ferendam. Hinc tamen alieni sunt loci, in quibus legitur Compositum *κατακρίνειν*, quocum Simplex *κρίνειν* confundendum non esse supra ad vs. 1 vidimus. Quare hîc in censum non venit *damnatio*, sed solum, ut bene monet GLÖCKLERUS, *iudicium*. Et *iudicium* intelligentes *facto* ferendum eandem sequimur interpretationem, quae postulatur etiam 1 *Cor.* VI: 2, 3, ubi formula: *εἰ ἐν ὑμῖν κρίνεται ὁ κόσμος*, secundum vulgarem notionem Praepositionis *ἐν*, explicanda est: *si in vobis iudicantur homines huius mundi*, i. e. *vita vestra cum vita eorum comparanda.*

---

[1]) LUTHERUS ei addidit *οὕτω*. FRITZSCHIUM vero aliosque errare, qui distinctionem propositam hoc, vel *τοιγαροῦν*, vel simile requirere aiant, MEIJERI docet disputatio.

De connexis ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία, τὸν νόμον τελοῦσα contra KOPPIUM, OLSHAUSENIUM aliosque disputandi otium mihi fecit FRITZSCHII, REICHII, RÜCKERTI aliorumque diligentia. Probata autem sententia, hunc Versum sibi constare, verborum καὶ κρινεῖ cet. nisi fallor, sensus est: *Et iudicabit ille, qui naturale, quod Iudaeis ademtum est, praeputium habet, vita sua ad legem eorum moralem conformanda.* In sequentibus vocabulum γράμμα litem peperit, utrum Latine reddi debeat *scriptum*, an *litera*, quod nemo acrius defendit quam OLTRAMARIUS. Et hoc quidem ut illi praeferamus, imprimis suadet comparatio vs. 29. Verumtamen hinc excludere oportet omnem vituperationis notam, quam ibi alibique γράμματι adspergit oppositum πνεῦμα. Unde apparet quoque errasse, quotquot coniuncta γράμμα καὶ περιτομή per Hendiadyn explicanda censerent: *circumcisio literalis* seu *externa*. Immo duo diversa sunt γράμμα et περιτομή, sed propterea composita, quod literae, i. e. legis tabulis inscriptae possessio Iudaeos circumcisionis fecit participes. Praepositionem διά interpretes recentioris aetatis fere omnes, etiam HODGIUS, OLTRAMARIUS, STUARTUS, MAIERUS, TURNERUS, duce maxime GROTIO, *conditionem agentis* denotare monent. Nec temere provocant ad Cap. IV: 11. XIV: 20. 2 *Cor.* II: 4. V: 7. *Hebr.* IX: 12. Utique orationis turbant seriem, qui cum BEZA PAULUM dicentem faciunt, *literam et circumcisionem Iudaeos ad legem violandam perducere.* At vel sic tamen Graeca fortasse interpretari licet: *te, qui per literam et circumcisionem statutorum legis violator es.* MEIJERO enim auctore censendum videtur, Praepositionem διά cum Genitivo, ubi ad *conditionem agentis*

denotandam inserviat, proprie *transitum* per hanc conditionem ante oculos collocare. Quod praesertim elucet e locis, in quibus Praepositio illa a verbis pendet *motionem* indicantibus, cuius generis hîc vocabulum *παραβάτης* est. Nihil fortasse accommodatius est, quam quod legimus apud PHRYNICHUM [1]): *Δι' ἀσχολίας πολλῆς ἦλθον ἐπὶ τόδε*, i. e. ut continuo explicatur: *καίτοι ἀσχολίας μοι πολλῆς οὔσης*. Pari modo haec PAULI explicanda sunt: *quamquam literae et circumcisionis particeps es.* Nec hactenus reapse a MEIIERO RÜCKERTUS aliique discrepant.

Vers. 28, 29.

Arrogantia Iudaeorum satis explosa PAULUS disputationem de circumcisione concludit sententia, quae sensus communis redolet iudicium nulli reprehensioni obnoxium. Altera eius pars *negans* est et huc redit: *Non enim, qui propalam Iudaeus est, is Iudaeus est hoc nomine dignus, nec qui propalam, id est in carne, circumcisus est, circumcisus est, qualis sit oportet.* Nam quis est, quin Breviloquentiae succurrendum esse videat oratione sic complenda: *Οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖος ὢν ὄντως Ἰουδαῖός ἐστιν, οὐδὲ ἡ ἐν*

---

[1]) BEKK. *Anecd. Graec.* Vol. I. p. 36. FRITZSCH. OLTRAM. aliique ex XENOPH. *Cyr. Disc.* Lib. IV. Cap. 6. § 6 attulerunt verba *διὰ πένθους τὸ γῆρας διάγων*. Similes etiam sunt loci supra memorati 2 *Cor.* V: 7. *Hebr.* IX: 12. Cff. WINER. p. 454. ROST. p. 538. KÜHNER. Tom. II. p. 280 sqq. MATTH. Tom. II. p. 1353, ubi PHRYNICHI verba etiam leguntur.

τῷ φανερῷ, ὅ ἐστιν ἐν σαρκὶ, περιτομὴ οὖσα ὄντως περιτομή ἐστιν? Huiusmodi Breviloquentia, quae verbum semel editum repeti iubet, tam in N. T. uti Cap. III: 29. 2 *Cor.* I: 6, quam alibi exstat [1]). Vocabulum *Ἰουδαῖος*, uti vs. 17, honorifica gentis appellatio est rerum Divinarum patefactione donatae. Huic autem quum in posteriori membro, sine Articulo, respondeat *περιτομή*, hinc apparet, non in Abstracto ipsam intelligi debere circumcisionem, sed in Concreto *circumcisum*, *περιτετμημένον*. Ibidem formula *ἐν σαρκί* ad nihil aliud inservire potest, quam ad praecedentia *ἐν τῷ φανερῷ* explicanda. Longius vero quaesitum duco, quod scripsit GROTIUS: „i. e. *quae*, si inquisitio fiat (ut olim post Antiochi tempora), *in ipsa carne adspici potest.*" Immo de industria auctor, sui corrigendi causa, alterum alteri adiecisse videtur, quoniam membrum circumcisum hominum latet oculos.

Difficilior vs. 29 est *aiens* huius sententiae pars: *Ἀλλ'* [*ἀλλὰ*] *ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομὴ καρδίας, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι· οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ*. Et primum quidem explorandum est, quamnam sibi membrum prius structuram postulet. Plerique, quibuscum etiam consentiunt HODGIUS, OLTRAMARIUS, KREHLIUS, STUARTUS, PHILIPPUS, MAIERUS hoc loco non Subiecta ex Praedicatis, ut vs. 28, sed Praedicata ex Subiectis eruentes orationem sic constituunt: *ἀλλ' ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος ὢν ὄντως Ἰουδαῖός ἐστι, καὶ περιτομὴ καρδίας, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι οὖσα, ὄν-*

---

[1]) Cff. WINER. p. 652 sqq. HERM. ad VIG. p. 869 sqq. BOS. Ed. SCHAEF. p. 2, 3.

τως περιτομή ἐστιν. FRITZSCHIUS vero et MEIERUS, ERASMO, LUTHERO, etiam BOSVELDIO et PAULO [1]) quodammodo vel omnino praeeuntibus, Praedicata enunciata esse putarunt verbis *Ἰουδαῖος* et *ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι.* Sed primum structura illa valde dissuadetur eo, quod Verbum *ἐστι* vocabulo *Ἰουδαῖος* adiunctum non est. Deinde huius eiusdem Verbi relictum non esset desiderium in sequentibus: *ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι*, si Praedicatum illa continerent. Praeterea Apostolus hoc sibi volens ad ambiguitatem evitandam scribere debuisset: *ἡ περιτομὴ τῆς καρδίας.* Quid? quod et supervacanea, et hinc aliena videtur doctrina, *circumcisionem cordis cerni ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι.* Itaque sine scrupulo vulgarem sequor orationis structuram, quae Apostolum dicentem facit: *Sed qui in occulto Iudaeus est, is Iudaeus est hoc nomine dignus, et circumcisus corde*, id est *ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι*, *circumcisus est, qualis sit oportet.*

Quaestio vero nunc est, quid sibi velint verba: *ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι*, quae REICHIUS haud temere obscura vocat. Vocabulo *πνεῦμα animum humanum* significari, praeter interpretes a MEIERO memoratos, multi exstimarunt alii, quibus CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS et PELAGIUS annumerandi videntur. Sed quod huic vocabulo convenit, ubi ei opposita sunt *σάρξ* et *σῶμα*, hîc admittere vetat subiunctum *γράμματι*, ut eadem docet Antithesis Cap. VII: 6, praesertim 2 *Cor.* III: 6, ubi illa interpretatio ferri nequit. Et quum satis constet, formulam *ἐν πνεύματι,*

---

[1]) *Des Ap. Paulus Lehr-Briefe an die Galater und Römer-Christen* ad h. l.

ου γράμματι alteri *περιτομὴ καρδίας* per Appositionem adiectam esse, quemadmodum praecedentem *ἐν σαρκὶ* alteri *ἐν τῷ φανερῷ*, is sane, qui usitatissimum *καρδίας*, cuius notio neminem fugere potest, explicari sumit verbis *in animo*, etiam sumere debet orationem misere languere. Utrumque animadvertens MEIIERUS cum OECUMENIO, VATABLO, ESTIO, GROTIO, WOLFIO, FRITZSCHIO, PHILIPPO, intelligendum censuit *Spiritum Sanctum*, quod mihi quoque olim placuit [1]). Nunc vero non amplius credo, Vocabulum *πνεῦμα*, ubi Articulo careat, *Spiritum Sanctum Dei* in Abstracto denotare [2]). Dubito etiam, an oppositum *γράμμα*, i. e. *litera* Deo auctore scripta, permittat, ut vocabulo illi *Spiritus Sancti* notio tribuatur. Praeterea in PAULI disputatione, quae tota ipsam legem Mosaicam spectat, ineptus fieri videtur transitus ad aliud genus, si in eam *Spiritus Sancti* importatur commemoratio. Equidem OLTRAMARIUM, cui hoc postremum debeo, cum MICHAËLE et KREHLIO ad verum propius accessisse putans, verba *ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι* explicare malo: *in studio eius, quo lex tendit, non in eius observatione, quod lex praescribit.* Atque hoc, ut quisque sua sponte intelligit, longissime differt a „bis crassa," quam CALVINUS exagitat, „eorum stultitia, qui ex litera fecerunt genuinum sensum, ex spiritu allegorias." Cernitur enim hoc in loco Symbolicus legis usus, qui

---

[1]) *Annot.* cet. p. 223.

[2]) Hinc tamen non sequitur me ubique *τὸ πνεῦμα* interpretari *Spiritum Sanctum*, quod DIDYMUM iam *Alex.* fecisse reprehendit GLASSIUS l. c. Tom. I. p. 138, sed ad locos provocans, qui fere omnes id probant, quod ille refellere conatus est.

cum Allegorica Verborum interpretatione nihil commune habet. Haec autem explicatio non solum egregie quadrat in Cap. VII: 7 et 2 *Cor.* III: 6, sed commendatur etiam plerisque locorum, quos VV. DD. monent *cordis circumcisionem* praecipere: *Deut.* X: 16. *Ier.* IV: 4. *Ezech.* XLIV: 7, 9. *Act.* VII: 51. *Phil.* III: 3. *Col.* II: 11, et quorum similes GROTIUS, WETSTENIUS aliique ex veterum scriptis attulerunt [1]). Ceterum *novum vivendi principium in homine*, quod RÜCKERTUS intelligi vult, hinc, habita ipsius rei ratione, minus longe discrepat, quam primo adspectu discrepare videtur.

Posterius membrum: *οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ* nos minus fatigabit. Vocabulo *ἔπαινος* nihil aliud quam *laudem* significari, FRITZSCHIUS aliique satis ostenderunt. Articulus ὁ ei praepositus inservit ad hanc laudem utpote meritam ab alia quavis distinguendam, quemadmodum 1 *Cor.* IV: 5. Disputatio tantum de eo exorta est, utrum Pronomen *οὗ* Masculinum sit, ad praecedens *Ἰουδαῖος* referendum, an Neutrum, Latine interpretandum *cuius rei* et posteriora: *καὶ περιτομὴ* — — *γράμματι* una cum prioribus: *ἀλλ'* — *Ἰουδαῖος* comprehendens. Illud GROTIO et plerisque placuit, etiam THOLUCKIO, postquam mentem mutaverat; hoc KOPPIO, MEIIERO paucisque aliis. Utrumque vero, nisi fallor, habet, cur minus probabile sit. Vocabulum enim *Ἰουδαῖος*, nisi illud violenter traiicias cum GROTIO, lon-

---

1) Cff. SCHOETTGEN. *Hor. Hebr.* p. 500. SUICER. Tom. II. p. 693. item VAIHINGER in *Real-Encyclop. für protest. Theol. und Kirche.* Tom. II. p. 110.

giori intervallo a Pronomine οὗ distat, quam ut commode cum eo connectatur. Contra interpretatio *cuius rei* hinc aliena est, quoniam haec oratio non de *re* agit, sed de *homine*. Nam supra vidimus, περιτομήν hoc loco idem esse ac περιτετμημένον. Proinde vero Pronomen οὗ Masculinum esse potest et tamen ad utrumque Ἰουδαῖος et περιτομή referri, quod fecerunt etiam GLÖCKLERUS et REITHMAYRUS. Si autem PAULUS dicit: *cuius* (hominis) *laus* (bene merita) *non hominibus debetur, sed Deo*, non ita dicit ad contemnendam omnem laudem ab hominibus proficiscentem, sed laudem commendare cupiens, cuius Deus, quippe arcana animorum consilia et studia pervestigans, solus auctor est.

CAPUT III.

Vers. 1.

Conclusio proxime praecedens ita comparata erat, ut PAULUS retractasse videretur, quod vs. 25 Iudaeis concesserat verbis: *Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ.* Ergo ad hanc inconstantiae speciem amovendam sibi obiicit: *Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου, ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς;* Qui Iudaeum vel CHRISTI sectatorem haec rogantem induci putant, a FRITZSCHIO, REICHIO, OLTRAMARIO, MEIIERO refelluntur, quibuscum RÜCKERTUS, WETTIUS et fere omnes interpretes recentioris memoriae consentiunt. Similiter conclusionem nova quaestio excipit Cap. IV: 1. VI: 1 pluribusque locis a TURNERO memoratis. Hinc autem Apostolus usque ad vs. 20 probare pergens, omnes omnino homines vitiosos et poenis Divinis obnoxios esse, praeparare iam incipit doctrinam, quae vs. 21 sqq. proposita est, neminem favoris Divini aliter fieri participem quam per fidem auctore CHRISTO in Deo collocandam. Graeca, Vulgatae ambiguitatem tollens, BEZA recte interpretatur: *Quae est igitur praestantia Iudaei, aut quae utilitas circumcisionis?* Sed interpretatio Latina ostendere ne-

quit, vocabulis Ἰουδαίου et περιτομῆς praefixum esse Articulum ea definientem. Neutrum Adiectivi τὸ περισσόν, cui respondet sequens ἡ ὠφέλεια, ut alia huius generis, Substantivi vicem sustinet [1]) et, quemadmodum saepe in veterum scriptis, ut exempla docent a STEPHANO allata, *praestantiam* significat. Priori autem membro PAULUS, uti Cap. II: 20, posterius addidit, quoniam in circumcisione Iudaei, ut etiam BISPINGIUM [2]) animadvertisse video, praestantiae suae ponebant fastigium.

Vers. 2.

Ad quaestionem PAULUS generatim respondet: *Πολὺ, κατὰ πάντα τρόπον*, i. e. *Multum, quovis modo.* Levem ERASMI coniecturam, Neutrum πολύ in Femininum πολλή mutandum esse, iam satis refutavit BEZA. Neutro nihil certius est. Nec tamen cum plerisque interpretibus censere cogimur, PAULUM, neglecto posteriori vs. praecedentis membro, hoc ad solum prioris membri vocabulum περισσόν retulisse. Quidni enim eo, aeque ac Cap. II: 29 Pronomine οὗ, utrumque τὸν Ἰουδαῖον et τὴν περιτομήν, quamquam illa Abstracta sunt, per Syllepsin, quae GROTII sententia est, comprehendere potuit? Formulae κατὰ πάντα τρόπον, quae POLYBIO imprimis familiaris et cuius similis est negans κατὰ μηδένα τρόπον

---

[1]) Nequidquam nonnulli cum MICH. apud BOS. p. 282 Ellipsin vocabuli μέρος comminiscuntur.

[2]) *Erklärung des Briefes an die Römer* ad h. l.

2 *Thess.* II: 3, non respondere Adverbium Latinum *omnino*, quo eam nonnulli cum CALVINO vertendo reddiderunt, exempla etiam docent a WETSTENIO et RAPHELIO allata. Studiose PAULUS scripsit *quovis modo*, quoniam sibi varia recensere proposuerat, quorum possessione Iudaei iidemque circumcisi, Deo auctore, ab aliis hominibus distinguebantur.

Hanc igitur recensionem in posteriori membro exorditur verbis: *πρῶτον μὲν γὰρ ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ.* Particulae *μὲν γάρ* in N. T. satis crebro coniunctae sunt, uti Cap. II: 25. V: 16, item 1 *Cor.* XI: 18, ubi vocabulum *πρῶτον* praecedit, quemadmodum apud THUCYDIDEM legimus: *πρότερον μὲν γάρ* [1]). Ab Editione tamen Recepta LACHMANNUS, librorum Veterum aliquot auctoritate fretus, discessit delenda Particula *γάρ*, quam etiam suspectam habuerunt FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS. Sed causa satis gravis, quae homines moverit ad eam hunc in locum importandam, cogitando fingi nequit. Contra omissio eius inde oriri potuit, quod huic loco propter argumentum disputationis et principium vs. sequentis primo adspectu magis incommoda videatur quam commoda. Praesertim vero omissionem profectam puto a librariis, qui vocabulum *πρῶτον* explicabant *praecipuum* vel *praecipue*, quocum Particula Causalis minus congruit. Itaque genuinam hanc Particulam habens cum WETTIO, MEIJERO et plerisque VV. DD. consentio, quos etiam secutus est TISCHENDORFIUS eam antea expulsam in orationem restituens.

---

[1]) Lib. VII. Cap. 55. p. 215. Alia exempla praebet HARTUNGIUS. l. c. Tom. II. p. 414.

Parum negotii facesset verborum interpretatio. Qui cum CHRYSOSTOMO, THEODORETO, OECUMENIO aliisque veterum formula *τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ legem Mosaicam* laudari putant, disputationis superioris Cap. II: 12 sqq. 17, 20, 23, 25, 27, ut GLÖCKLERUS etiam bene vidit, immemores sunt. Nec vocabulum *λόγια* notionem suam ita restringi patitur, ut intelligamus cum STRIGELIO, VATABLO aliisque *promissiones* et vel *vaticinationes ad Messiam pertinentes*. Generatim denotantur *patefactiones Dei* vel *oracula Divina*, uti *Act.* VII: 38. 1 *Petr.* IV: 11. *Hebr.* V: 12, ubi consuli meretur BLEEKIUS. Eandem interpretationem probant exempla a BOSIO [1]), ALBERTIO, RAPHELIO, KREBSIO allata, item HESYCHII, SUIDAE, POLLUCIS testimonia [2]). Si autem Apostoli *mentem* ab eius *verbis* cum RÜCKERTO distinguimus, non negabimus quod nunc plerisque interpretibus placet, ei quam maxime *oracula, quae regni Divini per Messiam constituendi spem facerent*, ante oculos obversata esse. Ita hodie inter omnes constat, in vocabulis *τὰ λόγια* non Nominativum cerni, sed Accusativum Passivo *ἐπιστεύθησαν* subiectum, quemadmodum, monente GROTIO, 1 *Cor.* IX: 7. *Gal.* II: 7. 1 *Thess.* II: 4. 1 *Tim.* I: 11. *Tit.* I: 3. Similiter Passivum *πιστεύεσθαι* apud POLYBIUM, DIODORUM, HERODIANUM multosque scriptores recentioris praesertim aetatis Accusativum post se habet. Quod cum ALBERTIO aliisque antiquioribus non ex Ellipsi Praepositionis *κατά*, sed ex ipsius verbi ratione explicandum

---

[1]) *Exercitation. Philol.* ad h. l.

[2]) Cff. etiam LOCELLA et PEERLKAMPIUS ad XENOPH. *Ephes.* p. 133, 134.

esse optimi quique docent Grammatici [1]). Nominativus igitur Verbi ἐπιστεύθησαν latet, nisi fallor, in Singularibus τοῦ Ἰουδαίου et τῆς περιτομῆς. Iam si praecedens πρῶτον cum plerisque Adverbium habemus, sensus orationis est: *Nam primum quidem Iudaeorum praestantia et circumcisionis, qua se distinguunt, utilitas in eo cernuntur, quod iis concredita sunt oracula Dei.* Si vero illud Adiectivum est, ut SLICHTINGIO, BEZAE, WOLFIO, FRITZSCHIO, RÜCKERTO placuit, Graeca explicanda sunt: *Nam primum quidem bonum in eo cernitur, quod Iudaeis circumcisione se distinguentibus concredita* cet. Hoc autem ut illi praeferamus, suadet Particula ὅτι, quae sequi posse videtur Adiectivum, Adverbium non item. Interpretibus, qui πρῶτον vertendo reddunt *praecipuum* aut *praecipue*, vel similiter, ut recentiori etiam memoria KOPPIUS, FLATTUS, BENECKIUS, PAULUS, GREVIUS, BOSVELDIUS, HODGIUS, STUARTUS, vehementer obstant Particulae μὲν γάρ, quemadmodum 1 *Cor.* XI: 18. Sed contra eos valent quoque disputata ad Cap. I: 8. Sine dubio PAULUS consilium ceperat plura recensendi, uti Cap. IX: 4, quem locum GROTIUS, HAMMONDUS, BENGELIUS excitantes profecto non opinati sunt, eo demum Apodosin contineri. Sed Apostolum prae animi fervore a consilio deduxit novae, quae ei in mentem veniebat, quaestionis agitatio vs. 3 sqq. ut post alios etiam monent OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MAIERUS. Ceterum ad notionem *oraculorum*

---

[1]) BERNHARD. p. 341, 342. MATTH. Tom. II. p. 946, 947. ROST. p. 487, 547. KÜHNER. Tom. II. p. 230, 231. MADV. p. 31, 39 Hactenus sequuntur omnes BUDAEUM. p. 403, 404. Cff. WINER. p. 301, 302 et HERMANN. ad VIG. p. 882.

ad Messiae regnum pertinentium formulae *τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ* vindicandam, KÖLLNERUS RÜCKERTO et REITHMAYRO nimis ursisse visus est Verbum *ἐπιστεύθησαν*. Et sane ea, ut supra vidimus, nihil aliud significat, quam *oracula Dei*. At inde tamen, quod Iudaei *oraculorum* facti dicuntur *custodes, quorum fidei commissa sint*, intelligi putaverim, auctori etiam ante oculos fuisse *gentibus exteris profutura*, quod ERASMI iam fuit iudicium.

Vers. 3, 4.

Atqui exiguum fuit emolumentum, quod ex oracuculis sibi concreditis in gentem illam redundaret. Hoc dici posse sentiens PAULUS impellitur ad quaestionem movendam ab instituto suo eum avertentem. In Editione Recepta sic proponitur: *Τί γὰρ, εἰ ἠπίστησάν τινες; μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει;* GRIESBACHIUS orationem ita distinxit: *Τί γάρ; εἰ ἠπίστησάν τινες, μὴ ἡ ἀπιστία* cet. Quod FRITZSCHIUS acriter defendit, sed argumentis levioribus. MEIIERUS nihil dirimi posse putat. Equidem tamen cum BENGELIO et LACHMANNO etiam receptum alteri praefero, quoniam eo hic vs. cum praecedenti arctius connectitur. De Verbo *ἠπίστησαν* VV. DD. inter se non disceptassent, si omnes formulam *τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ* interpretati essent, ut oportet, *oracula Dei*, et simul animadvertissent, quod MEIIERUS monet, Verbum *ἀπιστεῖν* in N. T. nullam aliam habere notionem quam *fidei denegandae*. Atque hanc notionem ei hoc loco tribuerunt plerique, etiam OL-

TRAMARIUS, PHILIPPUS, STUARTUS, PEILIUS, BISPINGIUS, aliique a WETTIO memorati. Ipse WETTIUS, ut sententiam eorum, qui Apostolum dicentem faciunt: *infideles fuerunt* vel *foedus fregerunt cum Deo contractum*, praestare probaret, provocavit ad 2 *Tim.* II: 13, sed frustra. Ibi enim verba *εἰ ἀπιστοῦμεν*, collatis praecedentibus vs. 11 *πιστὸς ὁ λόγος*, interpretanda sunt: *si fidem* [ei] *denegamus*, quemadmodum sequentia *ἐκεῖνος πιστὸς μένει*, *ille in fide manet*, i. e. *fidem liberat faciendo quod praedixit.* Pronomen *τινές* quod attinet, nondum poenitet me eius, quod ante multos iam annos scripsi [1]): illud explicandum non esse *τινὲς αὐτῶν*, i. e. *Iudaeorum*, sed sine ulla omissione significari *nonnullos homines*: PAULUM enim, Iudaeis paulisper missis, vs. 3, 4 *exemplo* usum esse, a quo infra ad eos redierit. Hoc certe sumto difficultas orationis, cuius gravitatem queritur PALMIUS, valde, nisi fallor, minuitur. Nec huic sententiae probandae mihi desunt argumenta. Pronomen *τινές* sexcenties in libris veterum, ut infra vs. 8, generatim *nonnullos homines* denotare, norunt omnes. Locum vero, ubi illud sive de industria seu negligenter pro *πολλοί* scriptum sit, quemadmodum hîc explicari debet, si ad Iudaeos refertur, equidem me reperire non memini. GROTIUS quidem aliique excitarunt Cap. XI: 17 et *Hebr.* III: 16, sed neutri loco inest, quod VV. DD. volunt. Nam *Hebr.* III: 16 pro recepto *τινές*, *nonnulli*, cum editoribus recentioris memoriae substituendum esse *τίνες*, *quinam*, ABRESCHIUS et

---

[1]) *Comm. perp. ad Phil.* I: 8, ubi tamen nonnulla leguntur, quae correxi supra.

BLEEKIUS tam evidenter probarunt, ut EBRARDUS [1]) etiam aliique calculum iis adiicerent. *Rom.* XI: 17 Pronomen τινές *nonnullos* non Iudaeos denotat, sed *ramos oleastri*, qua ab arbore exemplo mutuando Apostolus id, quod proposui, multo magis confirmat quam enervat. Neque ei obstat quoque huius Pronominis usus 1 *Cor.* X: 7, 8, 9, 10, ubi quater exstat ad *varios* homines, qui *vario modo* peccarunt, significandos, uti frequens est Latinorum formula *alii alii.* Eodem tendit illud *Ioann.* XX: 23. 1 *Tim.* V: 24 [2]). PAULUM autem Iudaeis paulisper missis, exemplo usum esse, versus 4 plus uno indicio prodere videtur; item disputatio eius vs. 5 sqq. quae contra Iudaeos quidem instituta est, sed *rationibus aliunde petitis.* Neque aliud suadet Aoristus ἠπίστησαν, quo, ut OLTRAMARIUS aliique bene viderunt, tempus Praeteritum cum Praesenti comprehenditur. Utique orationi nullam vim infero ea interpretanda: *Quid enim, si Deo loquente erant et sunt fidem ei denegantes? An ita fide ei deneganda fidem Dei tollent?*

Primum vs. 4 PAULUS respondet formula Μὴ γένοιτο, quae ei trita fuit, ubi in disputando de rebus gravioris ponderis arcere volebat quod verebatur, ne quis cogitaturus, dicturus vel facturus esset, uti vs. 6, 31. Cap. VI: 2, 15. VII: 7 aliisque locis a PHILIPPO memoratis. Hanc negantem sententiam excipit aiens: γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθής, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης, ubi auctorem, quia responsionem a verbis μὴ γένοιτο exorsus esset, per Paronomasiam

---

[1]) *Der Brief an die Hebräer erklärt* ad h. l.

[2]) Ex Graecorum Scriptis exempla attuli l. c. p. 74.

scripsisse *γινέσθω δέ*, quod nonnulli contenderunt, negant KÖLLNERUS et REICHIUS. Hactenus tamen cum THOLUCKIO, FRITZSCHIO, RÜCKERTO, MEIIERO et omnibus fere interpretibus consentiunt, ut eorum improbent rationem, qui illa colo seiungunt a sequentibus. Sed VV. DD. nec quaestioni, cur Apostolus nunc formula *μὴ γένοιτο* usus sit, satisfacere, nec subiecta *γινέσθω δέ* ab omni parte intelligere videntur. Cuius rei causa, nisi fallor, in eo cernitur, quod vs. 3 Pronomen *τινές* explicant *τινὲς αὐτῶν*, i. e. Iudaeorum. Equidem orationem fluctuare puto, nisi sumamus, PAULUM hoc vs. *persequi exemplum*, quod vs. 3 proponere inceperit. Quod haud scio, an itidem arguant connexa: *ὁ Θεὸς ἀληθής, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης*. Hîc auctorem id non egisse, ut Veteris Testamenti locum excitaret, tum ex eo apparet, quod posteriora: *πᾶς ἄνθρωπος ψεύστης* quidem *Ps.* CXVI: 11 exstant, priora vero: *ὁ Θεὸς ἀληθής* non item; tum ex formula *καθὼς γέγραπται*, quae infra demum effatum vatis Divini excitari indicat. Verba illa sic comparata sunt, ut vitae communis redoleant proverbium. Quare anxie scrutandum non est, cur alteri parti: *ὁ Θεὸς ἀληθής* adiecta sit altera *πᾶς ἄνθρωπος ψεύστης*, cum sequentibus DAVIDIS verbis, ut bene monet RÜCKERTUS, nihil commune habens. Iudicibus FRITZSCHIO, MEIIERO, aliis ea per Antithesin respondet praecedentibus *εἰ ἠπίστησάν τινες*; atqui minus commoda est Antithesis, si ibi PAULUS *Iudaeorum nonnullos* significasse, quam si *exemplo* tantum usus esse censetur. Vocabulis autem *ἀληθής* et *ψεύστης* *veracem* et *mendacem* denotari, haud secus opposita *ἀλήθεια* et *ψεῦσμα* vs. 7 produnt, quam loci similes ab OLTRAMARIO aliisque

excitati, ut *Ioann.* VIII: 44. 1 *Ioann.* II: 4, 21, 22. Itaque responsionis prima pars explicanda videtur: *Procul absit, ut casu illo posito hoc fiat. Immo tum fieri debet, ut in proverbio est, Deus verax, omnis vero* (seu *quicunque*) *homo fallax.* Illud autem *fieri* sibi velle *manifestari*, ERASMUS, VATABLUS, GROTIUS, multi alii viderunt cum THEOPHYLACTO, qui Verbum γινέσθω interpretatur φανερούσθω, ἀποδεικνύσθω [1]).

Responsionem in posteriori membro continuat auctor priori adiiciens: καθὼς γέγραπται· ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου, καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. DAVIDIS verba quomodo PAULUS intellexerit, difficile dictu est, quoniam plane eadem reddidit, quae exstant apud interpretem Al. Nec satis liquet, quid sibi voluerit interpres ille scribendis, quae ab Hebraeo codice discrepant. Sed ab eius mente non longe aberraturus mihi videor Graecis explicandis: *ut proberis de verbis tuis*, scil. quae NATHANUS tuo nomine ad me pertulit, *et superiorem te praestes mecum contendens*, i. e. ut hac in lite, quam mecum agis, 'tua causa bona esse deprehendatur. Neque hoc in PAULI disputationem incurrit. Qui vocabulo λόγοις cum WETTIO *promissiones* significari putant, non magis in ipsius Psalmi argumento, quam in Apostoli oratione habent, quo se tueantur. Verbo κρίνεσθαι temere BEZA aliique *iudi-*

---

[1]) Ita Verbum γίνομαι saepissime. Cf. GLASS. l. c. p. 225 sqq. ubi excitantur *Rom.* III: 19. 1 *Cor.* III: 18. 2 *Cor.* VII: 14. Imperativum γινέσθω explicandum esse *fieri debet*, apparet ex 1 *Cor.* XIV: 26, 40. XVI: 14 aliisque locis. Falluntur autem, qui cum WILKIO, *Clavis N. T. Philol.* Ed. II. Tom. I. p. 174, 175 Verbum γίνεσθαι saepe idem atque εἶναι esse monent.

candi notionem tribuerunt, quae vs. 6 et alibi tantum inest Activo *κρίνειν*. Huic igitur interpretationi se iam CAMERARIUS iure meritoque opposuit. Hinc vero non sequitur, quod OLTRAMARIUS, KREHLIUS, STUARTUS et plerique tam recentiori quam antiquiori memoria censuerunt et nuperrime MEIIERUS defendit, hoc in loco cerni Passivum. Negari nequit, Verbum *κρίνεσθαι* apud veteres haud raro Medium esse, quod significet *in iudicio contendere* vel *litigare*. Ita non solum *Matth.* V: 40. 1 *Cor.* VI: 1, 6, sed etiam apud interpretem Al. *Iud.* XXI: 22. *Iob* IX: 3. XIII: 19. *Eccles.* VI: 10. *Ies.* XLIII: 26. *Ier.* II: 35. Eiusdem usus exempla praebent ARISTOPHANES [1]) aliique Graeci. Hoc Medium autem ut Passivo praeferamus, suadet praecedens *νικήσῃς*, quippe eum, qui *e lite superior evadit*, denotans, ut alibi [2]). Idem illud, praeeunte, nisi fallor, OECUMENIO, aut placuit, aut non omnino displicuit DRUSIO, BENGELIO, FRITZSCHIO, REITHMAYRO, PHILIPPO. In Psalmo vero orationi, ut membra eius cohaereant, ante Particulas *ὅπως ἄν* FRITZSCHIUS cogitando addi iubet *quod fateor* vel simile, atque ita recentissimus interpres OLSHAUSENIUS [3]). Sed si PAULUS dicere voluit: *ut, quando decernendum est*, quod MEIIERUS ei tribuit ad aliorum fidem provocans, illae etiam Particulae favent sententiae, Apostolum *exemplo* usum esse.

---

[1]) *Nub.* vs. 66. Cf. BUD. p. 41.

[2]) Cf. praeter WETSTEN. aliosque SEGAR. ad *Clem. Alex.* p. 246.

[3]) *Die Psalmen erklärt* ad h. l.

Vers. 5, 6.

Conclusioni praecedenti quis importune occurrere poterat asseverando, multo magis laudandos quam vituperandos esse, quorum culpa fieret, ut Dei causa illustraretur. Hoc ut ipse occupet, Apostolus movet quaestionem: *Εἰ δὲ ἡ ἀδικία ἡμῶν Θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησι, τί ἐροῦμεν;* quam ad intelligendam primum requiritur interpretatio formulae *Θεοῦ δικαιοσύνην*. Quamvis vero VV. DD. qui alibi de eius interpretatione summatim mecum consentiunt, hoc loco *ipsius Dei virtutem* significari putant, mihi cum TURNERO et paucis aliis illicitum videtur hîc notionem deserere ei Cap. I: 17 tributam, ubi disputationis, quae hac in Epistola agitur, lineamenta adumbrata sunt. Neque argumentatio, quae ex Antitheseos vi peti solet, me perturbat, quoniam auctor verbis *ἡ ἀδικία ἡμῶν* non opposuit *τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην*, sed *Θεοῦ δικαιοσύνην* sine ullo Articulo. Contra vulgari sententiae obstat quaestio sequens: *μὴ ἄδικος ὁ Θεός;* nam si *Θεοῦ δικαιοσύνη*, quam homines dicuntur *συνιστάνειν*, *ipsius Dei virtus* est, non amplius ita quaerere congruit. Ergo utrumque *ἡ ἀδικία ἡμῶν* et *Θεοῦ δικαιοσύνην* eodem modo distingui puto ac similia Cap. I: 17, 18, item Cap. VI: 13, et multo quidem magis, quoniam vehementer dubito, an loquendi usus permittat, ut *Θεοῦ δικαιοσύνην* interpretemur *ipsius Dei virtutem*, sive integritatem, sive sanctitatem, seu iustitiam [1]). Pronomen *ἡμῶν* plerique cum GROTIO,

---

[1]) Cff. disputata ad Cap. I: 1, 16, 17. II: 17.

KOPPIO, WETTIO ad *Iudaeos* referunt. Sed huius Pronominis usu se eodem in numero atque Iudaeos contumaces collocare a PAULI more abhorruit. Quare MEIIERUM in altera commentarii editione retractasse miror sententiam, *homines* generatim intelligendos esse. Equidem ita sentio, PAULUM hoc vs. *novum* attulisse *exemplum*, ut rationibus aliunde petitis Iudaeos confunderet. Quare ἡ ἀδικία ἡμῶν, nisi fallor, populariter et indiscriminatim *nostram hominum improbitatem* significat. Cui quum opponeret *Θεοῦ δικαιοσύνην*, seu, *probitatem hominis, quae a Deo proficiscitur* vel *Dei est*, auctorem eo duxit praecedens *δικαιωθῇς* vs. 4, quemadmodum, vs. 21—26 eadem in oratione, in qua *δικαιοσύνη Θεοῦ hanc hominis probitatem* denotat, Verbum *δικαιοῦν de Deo* usurpatur. De connexo *συνίστησι* WETSTENII aliorumque interpretum diligentia nihil reliquit disputandum. Graecis autem Latine explicandis: *si vero nostra improbitas probitatem* (hominis) *quae Dei est*, (aliis) *testatam facit, quid dicemus*, scil. hac de causa iram Dei ferentes, et praeparamus id, quod vs. 7 legitur, et eandem Apostolo mentem tribuimus, quam enunciavit Cap. IX: 14 sqq. XI: 11 sqq. Nimirum si vera est haec interpretatio, PAULUS ad homines generatim retulit, quod Iudaeorum erat, qui CHRISTO pertinaciter spernendo committebant, ut ad communionem Euangelii, solam fidei probitatem salutarem esse declarantis, gentibus exteris non pateret aditus.

Quaestioni propositae PAULUS aliam adiungit: *μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν*, quam quidem omnes, quotquot Particulam *μή* interpretantur *nonne*, GROTIO praeeunte, ita comparatam habent, ut ad re-

sponsionem ducat *aientem.* Scite vero MEIIERUS Particulam illam per totum N. T., etiam in locis a WINERO [1]) excitatis, ad responsionem *negantem* ducere monet. Ergo, et sublata quidem, quae retineri nequit, Paronomasia, Latine scribendum est: *An iniustus est Deus, qui* (i. e. *eo quod*) *nobis iram infert,* seu *nos ira prosequitur?* Sed Latino *an* vis negationis minus indicatur quam vernaculis *immers niet* [2]). Participio ἐπιφέρων Breviloquentiam inesse, ut positum sit pro ἐπιφέρων ἡμῖν vel φέρων ἐφ' ἡμᾶς, loci docent a WETSTENIO, RAPHELIO, KYPKIO allati, item *Iud.* 9 et, quem memoravit LUDOVICUS CAPPELLUS [3]), *Psalm* VII: 11. Vocabulum ὀργήν recte ERASMUS cum Vulgato Lat. interpretatus est *iram,* quod iniuste reprehendens BEZA scribi iussit *poenam.* PAULUS *iram Dei* proposuit in rebus humanis adspectabilem et a *poena* iudicium postremum secutura distinguendam. Articulus praecedens τήν hanc iram *supra* (Cap. I: 18) *memoratam,* vel *nemini incognitam* esse significat. Ceterum quaestio proposita vel sibi constat, vel a repetito ἐροῦμεν pendet, ut sensus sit: *Dicemusne: Iniustus est Deus,* i. e. recta ratione in obliquam mutata, *iniustum esse Deum?* Et repetitio sane huius Verbi Cap. VI: 1 necessaria est, si ibi recentiores editores et interpretes pro recepto

---

[1]) L. c. p. 598. Excitat V. D. *Matth.* XII: 23. *Luc.* III: 15. *Ioann.* IV: 33. VII: 26. VIII: 2; sed ibi quoque sine causa ipsi rogantes credidisse dicuntur quod negabant. Eiusdem numeri est *Matth.* XXVI: 22, item 25. Neque illo in loco impedimento est responsio IESU: Σὺ εἶπας, utpote explicanda: *Tu ais te proditorem non esse, ego non aio.* Cf. TROLLOP. p. 186.

[2]) Cf. *Proeve van Grondslagen* cet. p. 114.

[3]) In *Bibl. Crit.* ad h. l.

ἐπιμενοῦμεν recte substituerunt ἐπιμένωμεν. Idem sibi postulat oratio Cap. VII: 7. Neque illud ceteri huius Epistolae respuunt loci, in quibus formulam τί ἐροῦμεν legimus, nec Cap. IV: 1, ut patebit infra. Et summopere ei favet consideratio, hoc membrum cum praecedenti minus cohaerere, nisi ἐροῦμεν repetatur.

Quod in Parenthesi sequitur: κατὰ ἄνθρωπον λέγω, quum ambiguitate laboret, multum FRITZSCHIO, aliisque peperit negotii. Cum formula κατὰ ἄνθρωπον convenit quidem Latina *more humano*, sed haec quoque nunc interpretanda est *sicuti sunt homines*, nunc *sicuti sentiunt homines*, nunc *sicuti agunt homines*, nunc *sicuti loquuntur homines*, ut loci a WETSTENIO aliisque allati ostendunt. Quid hanc in orationem quadret, docet connexum λέγω. Ergo comparanda non sunt, quae exstant 1 *Cor.* III: 3. XV: 32. *Gal.* I: 11. 1 *Pet.* IV: 6, ubi in Plurali legimus: κατὰ ἀνθρώπους. Nihil aliud in censum venit, quam quod Apostolus scripsit 1 *Cor.* IX: 8 et *Gal.* III: 15. Utriusque vero loci si tanquam trutina quod hîc interiectum est examinamus, illud non orationis *materiam*, ut vulgo censent VV. DD. sed tantum *formam* spectare deprehendemus. Itaque PAULUS eo non usus est ad odiosam a se amovendam suspicionem, se Deum iniustum appellare, neque ad quaestionis audacissimae culpam in alios convertendam. Qualibus interpretandi rationibus haec verba praepostere occupant id, quod responsioni μὴ γένοιτο demum inest. Sed sine ullo iudicio, utrum praecedentia probanda an improbanda essent, auctor in Parenthesi ponens: *more humano loquor,* sibi voluisse videtur: *quod de hominibus dicunt homines, in rem Divinam converto.*

Responsum *Μὴ γένοιτο*, i. e. *Longe absit*, scil. *ut hoc de Deo dicamus*, Apostolus vs. 6 adstruit verbis: *ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον;* in quibus, ut bene post alios STUARTUS ait, *argumentum* cernitur *ad hominem*, ex eo, quod in concessis est, quaestionem absurdam esse cogens. Particula *ἐπεί*, quam CASTALIO, BEZA, GROTIUS, WETSTENIUS multique alii interpretati sunt *alioqui*, per Breviloquentiam posita est pro *nam, si hoc ita est*, uti Cap. XI: 6. 1 *Cor.* V: 10. *Hebr.* IX: 26. X: 2 [1]). Ubi sequitur Verbum *κρινεῖ*, et quidem gravitatis causa Subiecto orationis *ὁ Θεός* praemissum, nulla causa est, quominus Futuri notio *iudicabit* retineatur. Acriorem vero litem Obiectum *τὸν κόσμον* peperit. KOPPIUS, FLATTUS, OLSHAUSENIUS, MAIERUS intelligi iusserunt *gentes exteras*, quod strenue etiam tueri conatus est REICHIUS. Sed huic interpretationi nec disputationis favet argumentum, neque oratio sequens vs. 7, 8, neque usus loquendi in PAULI scriptis reperiundus. Provocant quidem ad Cap. XI: 12, sed ibi e diversa notione Subiectorum *παράπτωμα* et *ἥττημα* Praedicatorum *κόσμου* et *ἐθνῶν* notionem etiam differre apparet. Multo magis abutuntur 1 *Cor.* I: 21, ubi *Iudaeos* et *gentes exteras* coniunctim *τὸν κόσμον* vocari evidenter docet vs. 22. Recte igitur cum ORIGENE, OECUMENIO, THEOPHYLACTO et plerisque, praeter MEIIERUM et interpretes ab eo laudatos, KREHLIUS, OLTRAMARIUS, HODGIUS, STUARTUS, REITHMAYRUS, BISPINGIUS interpretantur *genus humanum*, quod vs. 19 vocatur *πᾶς ὁ κόσμος* et commemoratur ABRAHAMI

---

[1]) Vid. *Comm. perp. in* 1 *Cor.* XV. p. 131, 132 et cf. HERM. *ad* VIG. p. 402.

effato *Gen.* XVIII: 25, cujus nunc PAULUS meminisse videtur. Quid? quod praecedentia: *εἰ δὲ — συνίστησι*, si bene vidi iis quoque *exemplum* contineri, omnino postulant, ut Graeca hîc Latine explicemus: *Nam, si hoc ita est, quomodo iudicabit Deus genus humanum?* Quaestione autem, ut usus Particulae *πῶς* cum Futuro Cap. VI: 2. X: 14, 15 et alibi exigit, in sententiam negantem conversa sensus est: *Fieri non poterit, ut Deus genus humanum iudicet.* Hîc vero se etiam prodit Breviloquentia, cui vario modo VV. DD. succurrere conati sunt. Mihi auctor Gradatione usus esse videtur, quae a minori, i. e. ab iniustitia Dei, *nunc* in *hominibus* ira prosequendis conspicua, ad maius, i. e. ad ei *totius generis humani* iudicium, quod secum lectores sui habitum iri credebant, denegandum procederet, quippe cui longe maior inesset multitudo eorum, qui pravitate sua id, quod Divinum est, illustrarent. Hoc enim praesentissimum ei fuisse, clare, nisi fallor, indicat vs. 7. Neque ex eo, quod quaestio desinit in verba *τὸν κόσμον*, mei refellendi peti potest argumentum, ut, monente THOLUCKIO, docent loci similes *Luc.* XI: 11. *Act.* XXV: 3. 2 *Cor.* V: 16 aliique.

Vers. 7, 8.

Ad quaestionem, quomodo vs. 7 cum oratione praecedenti cohaereat, alii respondent aliter. OLSHAUSENIUS aliique hîc legi contendunt, quod PAULUS *aliquem e gentibus exteris* disputationi suae fecerit obiicientem. Sed uti hoc refutata nititur interpretatione verborum *τὸν κόσμον*, ita in arctissimum nexum vs. 7 et 8

omnino incurrit. Nec satis valent rationes eorum, quorum iudicio Apostolus ad argumentum versus 5 rediit, sive eius urgendi, seu illustrandi causa. Profecto prius huius versus membrum: *Εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι ἐπερίσσευσεν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ* obiter legere sufficit ad videndum, auctorem id unum egisse, ut confirmaret proxime praecedentia. Quod FRITZSCHIO, OLTRAMARIO, MAIERO et nuperrime etiam MEIIERO placuit. Contrariam autem partem non tuentur libri veteres, in quibus *εἰ δέ* pro *εἰ γάρ* legimus. Sic enim id, quod plerorumque testium bonorum et antiquorum fide nititur, nonnulli mutarunt, ut orationis seriem corrigerent. Quare nemo hodie Editionem Receptam sequi dubitat.

Cur auctor *prima persona* usus sit, quaestio non erit ardua, si bene animadverterim, *tertium* ab eo *exemplum* duobus praecedentibus subiungi. Ergo *sui* mentionem non facit, ut mendacii crimen sibi adscribat, quod FRITZSCHII commentum ab Apostoli pietate alienum OLTRAMARIUS iure suo refutavit, sed, ut cum ESTIO haud pauci censent interpretes, per *μετασχηματισμόν*, quemadmodum 1 *Cor.* VI: 12. X: 29, 30 coll. ibid. IV: 6, alienam culpam proponit. Nec tamen in se transtulit, quod cuiusdam aut Iudaei, aut hominis vitiis et flagitiis inquinati, sed quod ingentis, qualis *ἐν τῷ κόσμῳ* cernitur, multitudinis erat. Scribere potuerat: *Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῇ ἁμαρτίᾳ τοῦ κόσμου ἐδοξάσθη, τί ἔτι ὁ κόσμος περὶ ἁμαρτίας κριθήσεται;* sed mentem suam clarius explicare volens a sua ipsius persona *exemplum* mutuatus est, quo omnium tanquam in oculos incurreret, Deum, si nunc homines, qui improbitate sua probitatem Divinitus pro-

ficiscentem testatam facerent, iniuste prosequeretur ira, totius generis humani, cuius ingens multitudo plane idem ageret, aliquando non fore iudicem. Quo evidentius autem se ab aliis distingueret, non scripsit τῷ ψεύσματί μου, sed τῷ ἐμῷ ψεύσματι, i. e. *mendacio, quod meum, non aliorum est* [1]). Ipsa Substantiva ἀλήθεια et ψεῦσμα, si verum est, a PAULO nihil aliud quam *exemplum* afferri, eodem plane modo atque vs. 4 Adiectiva ἀληθής et ψεύστης, quibus ea respondent, intelligenda sunt, ut STUARTI etiam aliorumque fert sententia. Aoristo ἐπερίσσευσε id quod praeteritum est denotatur. Et quum Verbum περισσεύειν, apud Graecos *abundandi* notionem habens, hoc loco, quemadmodum. Cap. V: 15. 1 *Cor.* XV: 58. 2 *Cor.* I: 5. IV: 15. *Phil.* I: 9 et alibi in PAULI Epistolis, id significet quod *uberius se prodit*, hac in Protasi sensus orationis, nisi fallor, huc redit: *Si enim exempli gratia meo ipsius mendacio factum est, ut veracitas Dei uberius se proderet ad gloriam eius.*

Probatis iis, quae de Protasi disputavi, nihil impedit, quominus Apodosis: τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι explicetur: *Quid hoc ita posito est, quod ego aeque ac peccati servus iudicer,* seu *iudicium subeam?* Ἁμαρτωλόν in N. T. hominem non dici vitiositatis omnibus communis macula infectum, sed *peccati servum* a veris Dei cultoribus distinguendum, alibi [2]), etiam e Cap. V: 8, 19, me effecisse puto. Iam hoc

---

[1]) Cff. quae disputavi in *Maandschrift voor den beschaafden stand.* 1850. praesertim p. 161. sqq. et in *Comm. perp. in* 1 *Cor.* XV. p. 146. sqq.

[2]) In Diario *de Morgenster.* 13 Octob. 1852.

vocabulum, quum *Divinarum* legum ratione habita usurpetur, indicio nobis est, Verbum κρίνομαι non humanum, sed *Divinum* spectare *iudicium*, de quo solo hac etiam in oratione quaestio agitur. Interpretationem eius quod attinet, qui scribi iubent *condemnor*, uti longe plurimi, causam sane afferre nequeunt, cur a *iudicandi* notione Cap. II: 1 sqq. probata hîc discedendum sit. Sed quod vulgo contendunt VV. DD. ad tempus futurum referendum esse Praesens κρίνομαι, cadat necesse est, si *exemplum* hîc adhibetur. Atque hoc sumere quoque licet per Particulam ἔτι, quae ad casum respicit in Protasi memoratum et, sicuti Cap. IX: 19. *Gal.* V: 11. *Hebr.* VII: 11, explicanda est: *hoc ita posito.* Neque obstat Compositum κἀγώ, quod si, uti suadent loci similes *Act.* X: 26. 2 *Cor.* XI: 18, 21, 22, cum RÜCKERTO, WETTIO et plerisque interpretamur: *ego aeque atque alii,* PAULUS eo utitur ad se cum hominibus, quotquot ἁμαρτωλοί sunt, comparandum.

Apodosin PAULUS vs. 8 sic continuat: Καὶ μή, καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά. Quomodo vero illa cum praecedentibus cohaereant, frustra rogaveris ORIGENEM, CHRYSOSTOMUM, THEOPHYLACTUM aliosque veteres, quibus hoc loco diligentia defuit ad nexum orationis penitus indagandum necessaria. Nec rem acu tangere contigit recentioris memoriae interpretibus, quos REICHIUS aliique vs. 8 a vs. 7 avellere narrant. Plerique cum MEIIERO statuunt, Pronomen τί repetendum et interponendum esse Particulis καί et μή. Quod qui concedere recusat, nae nodos ille nectit inexplicabiles. Proinde signum interro-

gandi, quod TISCHENDORFIUS etiam versui 7 subiunxit, simpliciter tollendum aut in Comma mutandum est. Sine damno quoque carere possumus Parentheseos notis, quae apud GRIESBACHIUM aliosque verba *καθὼς — λέγειν* a circumiectis separant. Quid? quod ab interpretibus, qui verba *ὅτι ποιήσωμεν* cet. a praecedenti *λέγειν* pendere censent, prorsus ferri nequeunt. Sed sublatis illis nondum oratio intolerabili, quod e vocabulis *καὶ* [*τί*] *μὴ* oritur, Anacolutho liberata est, nisi Verbum aliquod intelligamus. Et haud pauci quidem intelligi iubent *ποιήσω* vel *ποιήσωμεν*. Huic vero sententiae neutiquam favet Infinitivus *λέγειν*, nec principium dicti sequentis: *ὅτι ποιήσωμεν* cet. Mirandum igitur non est fuisse, qui scribendo: *καὶ* [*τί*] *μὴ λέγομεν* vel simile quid Ellipsi succurrere mallent, uti, praeeuntibus CALVINO, LIMBORCHIO, WOLFIO aliisque, etiam STUARTUS, HODGIUS, WALFORDUS, PEILIUS. Atqui Pluralia *βλασφημούμεθα* et *ποιήσωμεν* interpretibus illis hanc fraudem fecerunt, ut iis etiam praeponerent Plurale. Sed omnia demum via et ratione procedere, si intelligamus Singulare *λέγω*, totius orationis interpretatio, uti spero, ostendet.

Enunciata quaestione: *τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι*, multi interpretes PAULUM in eo fuisse sumunt, ut TERTIO suo dictaret: *καὶ* [*τί*] *μὴ ποιήσω τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά;* sed subito illum a proposito abductum esse, quum meminisset adversariorum, qui pessimam hanc sibi suisque in Euangelio praedicando sociis vivendi regulam esse calumniarentur. Hactenus vero eorum in partes non eundum puto, ut ab *exemplo*, quod vs. 7 a sua persona petere incepisset, Apostolus destitisse censendus sit. Immo nunc id

egisse videtur, ut, malignitati occurrens, vel sic quidem exempli illius rationem habere pergeret. Ergo probabile mihi est, eum dicere voluisse: *καὶ* [*τί*] *μὴ λέγω, καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν· ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά;* sed indignationem animum eius adeo agitasse, ut Verbum *λέγω* enunciare negligeret, unam ad rem intentus. Qui duce WINERO [1]) orationi succurrere conantur Infinitivo *λέγειν* per Attractionem haud secus cum sequentibus quam cum praecedentibus iungendo, Anacoluthon tollere nequeunt, quod verba *καὶ* [*τί*] *μή* parere iam vidimus supra. Neque confusionem hinc expellere sciunt, qui, Attractione negata, Plurale *λέγωμεν* vel aliud intelligi iubent. Sed si intelligimus tantum Singulare *λέγω* et hoc in vs. nihil relinquitur desiderii, et vs. 7 cum eo aptissime conglutinatur. Quod utrumque nemo agnoscere recusabit, cui haec placuerit interpretatio: *et quidni* [*dicam*], *sicuti calumniantes nonnulli me meosque adiutores dicere aiunt: Faciamus quae mala sunt, ut* [*inde*] *oriantur bona.* Itaque hîc concurrunt duo, quorum altero: *et quidni* [*dicam*]*: Faciamus quae mala sunt, ut* [*inde*] *oriantur bona*, PAULUS suam in personam convertere pergit, quod aliorum est; altero: *sicuti calumniantes nonnulli me meosque adiutores dicere aiunt*, obiter refellit, quod sibi suisque adiutoribus obiiciunt homines malevoli. Quemadmodum autem hîc orationi addendum monui *λέγω*, sic Verbum illud alibi omissum est [2]). Erunt fortasse, qui FRITZSCHIO

---

[1]) L. c. p. 605. Cf. TROLLOP. p. 206.

[2]) Vide BOS *Ell.* p. 632 sqq. SCHAEF. et cff. BERNH. p. 352, 353. MATTH. Tom. II. p. 953. MADV. p. 251.

aliisque aures praebeant mihique opponant, sequentia: *καθὼς βλασφημούμεθα*, et breviter scripta esse pro *καθὼς βλασφημούμεθα ποιεῖν*, et distingui a connexis: *καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν*. Sed utrumque temere contenditur, quoniam et nusquam, quantum novi, Infinitivus aut ab Activo *βλασφημεῖν*, aut a Passivo *βλασφημεῖσθαι* pendet, et in posterioribus: *καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν*, ut REICHIUS aliique etiam viderunt, nihil aliud quam priorum: *καθὼς βλασφημούμεθα* cernitur explicatio, qua quidem auctor ambiguitatem, in quam animi motu se lapsum quoque esse sentiebat, tollere voluit. Ergo omissum *λέγω* latet sub expresso *βλασφημούμεθα*, quemadmodum *βλασφημεῖσθαι* 1 *Tim.* VI: 1. *Tit.* II: 5. 2 *Pet.* II: 2 ad *doctrinae* calumniam refertur. Et nihil facilius est, quam unum alterumque ab Apostolo propositum sic contrahere: *καθὼς βλασφημοῦντές φασί τινες ἡμᾶς λέγειν*. Iam Pronomine *ἡμᾶς* aeque ac Verbo *βλασφημούμεθα* PAULUM *se suosque adiutores* significasse, ex 1 *Cor.* II: 6 sqq. IX: 11, 12 et aliunde cogimus [1]). Utrum vero Corinthiorum, an aliorum maledicta attigerit, non liquet. Ceterum Particulam *ὅτι*, Graeca Latine interpretans, praetermisi, ut ea praetermittenda est, ubicunque orationem rectam praecedit. Quamvis autem Adiectiva Substantive posita, *τὰ κακά* et *τὰ ἀγαθά* generatim denotant *quae mala* et *quae bona sunt*, series tamen orationis indicare videtur, auctorem *legum Divinarum violationem* et *virtutum Divinarum patefactionem* ante oculos habuisse.

Quod hanc sententiam concludit: *ὧν τὸ κρίμα ἔν-*

---

[1]) Plura in *Comm.* s. excit. p. 141, 142.

δικόν ἐστι a nonnullis interpretibus, invito loquendi usu, pariter ad calumniatores, et malorum auctores refertur. At illud tamen cum GROTIO aliisque ad solos calumniatores referre vetat totius, in qua PAULUS versatur, disputationis argumentum. Summo iure cum plerisque PALMIUS, FRITZSCHIUS, REICHIUS, KREHLIUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MEIERUS spectari monent *malorum auctores, pessimam vivendi regulam sequentes.* Sed Virorum Doctissimorum pace ne hîc quidem causam video vocabuli *κρίμα* interpretandi *condemnationem* vel *poenam.* Immo postrema vs. 7 verba: *τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι,* quibus: haec *ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι* respondent, tanquam digito nobis monstrare videntur, *iudicii* notionem, vocabulo illi vs. 2 et 3 vindicatam, retinendam esse. Latina autem: *quorum iudicium iustum est,* quidni explicemus: *cuiusmodi homines iudicium Dei omnino subire merentur?*

Vers. 9.

Nunc triplici exemplo illustrata et exagitata audacia Iudaeorum, quotquot suum bonorum, quae Divinitus accepissent, abusum excusare vellent, PAULUS eo processerat, ut conclusionem facere posset. Sed quomodo auctor hac in re versatus sit, ab antiquo VV. DD. acriter inter se disputant. Editio Recepta habet: *Τί οὖν; προεχόμεθα; οὐ πάντως· προῃτιασάμεθα γὰρ Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ᾽ ἁμαρτίαν εἶναι,* quod nuperrime REICHIUS [1]), recentiorum maxime

---

[1]) *Comment. Crit.* ad h. l.

editorum et interpretum vestigiis insistens, fortiter defendit. Inde vero, quod omnia, quae hîc exstant, genuina sunt, nondum sequitur probitas distinctionis vulgaris. Multo minus constat, qualem interpretationem sibi oratio postulet. Nonnulli in unam quaestionem coëgere verba: *τί οὖν προεχόμεθα;* sed dux eorum, ORIGENES, sequentem omisit formulam *οὐ πάντως*. Responsio certe, ut haec distinctio ferri possit, esse debet: *οὐδὲν πάντως*. Quod post alios videns PEILIUS ipse impedimentum amoliri conatus est Graecis interpretandis: *Ecquid igitur antecellimus?* ut Apostolus dicere velit: *Estne igitur aliquid, quo antecellamus* [1])? Hoc vero, quamvis acute inventum est, propterea cadit, quod in PAULI Epistolis vocabula *τί οὖν* nusquam hunc sensum habent, sive iis nihil adiectum est, uti Cap. VI: 15. XI: 7, seu Verbum *ἐροῦμεν* vel aliud, uti Cap. IV: 1. VI: 1. VII: 7. 1 *Cor.* X: 19. XIV: 15. Ergo vulgari distinctione: *τί οὖν; προεχόμεθα;* probata, illud ipsum *ἐροῦμεν* intelligendum videtur, ut iam LUTHERO placuit.

An Verbum *προεχόμεθα* cum illis interpretibus et plerisque aliis Latine reddendum sit *antecellimus* vel similiter, quaestio magis ardua est. Primo quidem adspectu haec interpretandi ratio, utpote facillima, prae ceteris arridet; sed frustra loci circumspiuntur, ubi Medium *προέχεσθαι* notionem Activi *προέχειν* habeat; neque Analogiae ope coniectando, alterum pro

---

[1]) Sibi constans V. D. Graeca nuperrime etiam vertendo reddidit: *Are we Iews, then, in any degree better than other men?* Vid. *A new translation of the received text of the Apostolical Epistles*. Part. I. ad h. l.

altero usurpatum esse, exemplorum compensatur desiderium. Deinde si ad formulam πολὺ κατὰ πάντα τρόπον vs. 2, ad totam disputationem praecedentem et ad responsionem subiectam οὐ πάντως attendo animum, nodos reperio inexplicabiles iis, qui de *Iudaeorum praestantia* quaestionem agi putant, sive eorum leges, iura, sacra intelligant, seu gentis illius, ut cum CALVINO et ESTIO longe plurimi, mores et vitam. Nec circumiecta permittunt, ut Verbum προεχόμεθα, loco quodam PLUTARCHI [1]) confidentes, Passivum habeamus, et vel cum WETSTENIO aliisque exponamus: *an superamur*, scil. *nos Iudaei a gentium exterarum prole*, vel cum OLSHAUSENIO: *an a Deo praeferimur.* Itaque nihil aliud superesse videtur, quam ut assentiamur interpretibus, qui huius quoque loci esse aiunt notionem *praetexendi*, quam Graecorum scripta Medio προέχεσθαι vindicant. At quomodo tandem secundum hanc notionem sensus orationis constituendus erit? FRITZSCHIUS Verbum προεχόμεθα dupliciter interpretatur, nempe: *an praetextu uti placet* et *circumspicimusne peccatorum excusationes?* MEIIERUS scribi mavult: *an suppetit nobis, quod praetexamus.* REICHIUS vero utrumque errasse docuit, etiam hoc urgens, quod hic Indicativus exstat, non Subiunctivus προεχώμεθα. Et recte quidem, uti testatur VALCKENARIUS, qui, ne *praetexendi* notio hinc aliena esset, Subiunctivum pro Indicativo substituendum esse coniecit [2]).

---

[1]) *Moral* p. 1038 D.

[2]) *Schediasma* subiect. TH. HEMSTERHUSII *et* L. C. VALCKENARII *Orationibus*. p. 404. Cff. *Selecta e scholis* VALCKEN. ad *Luc.* XX: 47.

Ergo simul refutata est KREHLII interpretatio: *an praetextu utendum est?* Sed ipsum REICHIUM, quum interpretaretur: *num Iudaeis peccandi praetextum porrigo*, seu [*Iudaeorum*] *patronum ago*, mentem auctoris assecutum esse, mihi nondum persuasum habeo. Primum enim V. D. quamvis Indicativus ei non obstat, suo quoque ingenio in orationem importare cogitur, quae Verbo *προεχόμεθα* non insunt. Deinde contra KÖLLNERUM, RÜCKERTUM, WETTIUM, OLTRAMARIUM aliosque, qui Medio *προέχεσθαι*, ubi apud Graecos significat *praetexere*, Accusativum subiectum esse monent, disputat tantum philosophando, nullum, qui Accusativo careat, locum paratum habens [1]). Porro sumere debet, formulam sequentem *οὐ πάντως* convenire Latinae *minime gentium*. Hoc vero quum non solum ab iis, qui Verbum *προέχεσθαι* ita interpretantur, sed etiam a multis aliis sumatur, operae pretium me facturum spero errore pro viribus corrigendo. Iam THEOPHYLACTUS scripsit: *οὐ πάντως ἀντὶ οὐδαμῶς*, sed quonam iure? Hoc versu excepto, nusquam formula *οὐ πάντως* responsionem ad quaestionem continere deprehenditur. Loquendi usus erui debet e locis, ubi illa ab initio exstat vel in oratione media. Si vero PAULUS PAULI interpres sit oportet, ipse 1 *Cor.* V: 10, ubi legimus: *οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου*, evidenter docet, se nihil aliud sibi voluisse quam

---

[1]) Ego quoque nullum reperi locum, Accusativo carentem, multos vero, ubi Accusativus sequitur, sive Verbum *προέχεσθαι* proprie, seu figurate usurpatur. Cf. THOMAS *Mag.* p. 740. Exigui ponderis est Glossa: *προεχόμεθα, προβαλλόμεθα*, quam ad hunc PAULI locum explicandum manus aliena HESYCHIO adiecit.

non omnino, seu *non ab omni parte*. Idem illud se alibi clarius non prodit, quam in his *Pseudo-Clementis* [1]) verbis: *Τὸν εὐσεβεῖν προαιρούμενον οὐ πάντως φυλάσσειν δεῖ τὰ πάτρια, ἀλλὰ φυλάσσειν μὲν ἐὰν ᾖ εὐσεβῆ, ἀποσείεσθαι δὲ ἐὰν ἀσεβῆ τυγχάνῃ.* Sed ubi primo adspectu *negatio absoluta* esse videtur, meliora docebit paulo accuratior orationis lustratio. Describere lubet quod IUSTINI *Mart.* nomine editum est [2]): *Μέχρι μὲν οὖν τοῦ πρόσθεν χρόνου εἴασεν ἡμᾶς ὡς ἐβουλόμεθα ἀτάκτοις φοραῖς φέρεσθαι, — — οὐ πάντως ἐφηδόμενος τοῖς ἁμαρτήμασιν ἡμῶν, ἀλλ' ἀνεχόμενος* cet. Ibi OTTO verba *οὐ πάντως ἐφηδόμενος* Latine reddidit: *non quod ullo modo gauderet*. Quomodocunque autem redduntur, tantum abest, ut negatio absoluta sit, ut cohaereat cum affirmatione ei opposita: *ἀλλ' ἀνεχόμενος*. Ergo Particula *οὐ* cum Participio *ἐφηδόμενος* coniungenda est, cum Adverbio *πάντως* non item. Similiter iudicandum videtur de locis aliis, qui afferri possunt vel a VV. DD. allati sunt [3]). Itaque dissuadet loquendi usus, ne formula *οὐ πάντως* responsionem continere posse censeatur absolute negantem et convenientem Latinae *minime gentium*, vel *nullo modo*, quod scribendo inverso ordine *πάντως οὐ* denotatum est 1 *Cor.* XVI: 12 et

---

[1]) CLEM. *Rom. Homil.* IV. Cap. 8.

[2]) *Epist. ad Diognetum*, ab OTTON. ter edita, postremum Lips. 1852. Cap. 9.

[3]) Cff. WETSTEN. ad h. l. WINER. p. 638, 639. REICH. in *Comm. Crit.* p. 23. Add. ARISTOT. *Metaphys.* Lib. VI. Cap. 11, ubi legimus: *Οὐ γὰρ πάντως τοῦ ἀνθρώπου μέρος ἡ χεὶρ, ἀλλ' ἡ δυναμένη τὸ ἔργον ἀποτελεῖν, ὥστε ἔμψυχος οὖσα.*

alibi [1]). Haud sine causa igitur MADVIGIUS [2]) Particulas recensens, quae in responsione affirmationi inserviunt, Adverbium etiam πάντως memoravit, sed ubi responsionis negantis rationem habebat, illud praeteriit. Progredior ad conclusionem. Ne quid alienum PAULO affingatur, vocabula οὐ πάντως interpretanda videntur *non omnino* vel *non omni ex parte*, ut GROTIO, BENGELIO aliisque placuit, etiam BEZAE, qui Commate interposito edendum curavit: οὐ, πάντως, quod necessarium tamen non est. Hinc autem sequitur, Verbo προεχόμεθα, quomodocunque accipiendum sit, *praetexendi* certe notionem tribui non posse. Sed aliud insuper est, quod REICHIO obstet. Eius enim interpretatio nititur falsa opinione, PAULUM praecedentibus βλασφημούμεθα et ἡμᾶς et sequenti προῃτιασάμεθα solum, ut ait ille, suo nomine locutum esse. Apostolum enim praecedentibus *se suosque adiutores* significasse vidimus supra. Sequenti vero Plurali usus est, quoniam sibi, per προσφώνησιν, suos lectores quasi secum deliberantes et concludentes adiungebat, quemadmodum IESUS idem agens *Marc.* IV: 30 dixit ὁμοιώσωμεν et παραβάλωμεν vel θῶμεν [3]). Circumiecta igitur id, quod sumsit V. D. Plurale προεχόμεθα pro Singulari προέχομαι positum esse, nullo fulciunt praesidio. Hactenus tantum cum eo consentio, ut non dubitem, quin alterum προῃτιασάμεθα ad amussim alteri προεχόμεθα respondeat. Sed eo, quod vehementer doleo,

---

[1]) Iam apud HOMERUM, *Iliad.* Θ. vs. 350, 451. *Odyss.* T. vs. 91.

[2]) L. c. p. 234.

[3]) Cff. BENGELIUS, PAULUS aliique ad h. l. imprimis vero GLASSIUS l. c. Tom. I. p. 323, 324.

ingravescit caligo hunc locum obsidens, siquidem frustra utrumque ad easdem personas referre conatus sum. Quid plura? oratio mihi laborare videtur mendo librariorum: hoc autem quomodo tollendum sit, acutiores viri iudicent.

Quidquid vero priorem huius vs. partem affecit, satis correcta et plana est posterior: προῃτιασάμεθα γὰρ Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας, πάντας, ὑφ᾽ ἁμαρτίαν εἶναι. Quod qui Latine reddiderit: *effecimus enim supra, Iudaeos aeque ac Graecos, omnes, in peccati servitute versari*, non longe aberrabit a vero. Compositum προαιτιᾶσθαι, quod alibi frustra quaeritur, explicandum est ex Simplici αἰτιᾶσθαι, apud PLATONEM praecipue frequentato ad *accusationem* significandam. Sermo Latinus Verbo caret, quod Graeco omnino respondeat. Praepositio autem Verbo praefixa lectorem ad remotiorem reducit disputationem tam Capitis II quam I, non ad proxime praecedentem. Adiectivum πάντας, si eo careret oratio, nemo desideraturus esset, quoniam in verba Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας nulla cadit exceptio. Ab auctore tamen adscriptum est, quo magis universitas in lectorum oculos incurreret. Quod enim GROTIO in mentem venit, illud hîc eodem redire ac πολλούς, recte OLTRAMARIUS aliique improbarunt. Sed PAULUM *cunctos* tantum spectasse, qui extra communionem CHRISTI essent, ex consilio intelligimus, quo nunc disputavit. Infra vero Iudaeis et Graecis, quotquot fidem in CHRISTO posuerant, hoc nomine gratulatus est, quod non amplius dici poterant ὑφ᾽ ἁμαρτίαν εἶναι, i. e. vitiis et flagitiis servire.

Vers. 10—18.

Conclusioni proxime praecedenti Literarum Sacrarum auctoritate pondus adiicere volens, PAULUS varios Veteris Testamenti conglutinat locos, in quibus Israëlitarum peccata reprehenduntur. Initio a DAVIDIS querimonia *Psalm.* XIV: 1—3 facto deinceps excitat *Psalm.* V: 9. CXL: 4. X: 7. *Ies.* LIX: 7, 8. *Psalm.* XXXVI: 2. More autem suo interprete Alex. utitur, sed libere et memoriter, nunc pro eo, quod scripsit ille, aliud sua e mente substituens, nunc orationis magis sensum quam verba referens. Dicit igitur:

vs. 10. *Καθὼς γέγραπται· ὅτι οὐκ ἔστι δίκαιος, οὐδὲ εἷς* [1]).

vs. 11. *Οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, οὐκ ἔστιν ὁ ἐκζητῶν τὸν Θεόν.*

---

[1]) PAULUM DAVIDIS verba de industria mutasse puto, tum ne cum auctore eadem *οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα* bis scriberet, tum ut vocabulo *δίκαιος* hac quoque in recensione uteretur. Quod MICHAËLIS, KÖLLNERUS, FRITZSCHIUS contendunt, Apostolum haec sua locis deinceps excitandis praeposuisse, ut a summa eorum comprehendenda inciperet, RÜCKERTUS, WETTIUS, PHILIPPUS, MEIIERUS, alii haud sine causa improbandum esse monent. Formula enim *καθὼς γέγραπται* in N. T. ubique Veteris Testamenti effata praecedit. Et tantum abest, ut verba vs. 11: *οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν* cet. PAULUM a sua oratione ad alienam transiisse prodant, ut orationis iam inchoatae nobis ostendant progressum. Neque auctorem alicubi Veteris Testamenti effatis summam eorum praeposuisse novi, nisi eo referre velis Cap. IV: 6. Negare nolo, eum Verbo *γέγραπται* nusquam subiecisse Particulam *ὅτι*, sed inde, ut recte etiam ait OLTRAMARIUS, nihil aliud sequitur, quam eum hoc loco a more suo recessisse.

vs. 12. *Πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν· οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός.*

vs. 13. *Τάφος ἀνεῳγμένος ο λάρυγξ αὐτῶν· ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν· ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν·*

vs. 14. *Ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει.*

vs. 15. *Ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα·*

vs. 16. *Σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν·*

vs. 17. *Καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν.*

vs. 18. *Οὐκ ἔστι φόβος Θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν.*

Qui sibi ostendi vult, quatenus haec cum interpretis Al. verbis conveniant, quatenus ab iis differant, FRITZSCHII, MEIERI aliorumque adeat Commentarios. Graeca cum Hebraeis comparare, ut cuiusque auctoris in mentem penetremus, huius loci non est. Et ut brevitati consulam, subsistere mihi lubet in iis, quae PAULI Epistola exhibet, vertendo reddendis. Ergo Apostolus Latine dicat:

Sicuti scriptum est: Non est probus, ne unus quidem: Non est, qui intelligens sit; non est, qui exquirat Deum.

Omnes deflexerunt (scil. *a Dei religione*); *cuncti ad nequitiam lapsi sunt; nemo facit quod alicuius frugis est, nemo plane.*

Sepulcrum apertum (est) *guttur eorum* (seu, *tanquam e sepulcro aperto, e gutture eorum emanant foeda*); *linguis suis dolos struunt; venenum viperarum* (est) *sub labiis eorum:*

Quorum os exsecrationis et amaritudinis plenum est.

Veloces pedes eorum (sunt) *ad effundendum sanguinem:*

Vastatio et miseria (cernuntur) *in viis eorum.*

Et viam, quae pacis sit, non norunt.

Non est timor Dei prae oculis eorum (seu *quem oculis quaerant*).

Iam haec vatum Divinorum effata Apostolus suum in usum convertens, non totius generis humani, ut post veterum plurimos OLSHAUSENIUS, PAULUS, alii putarunt, proclivitatem ad peccandum, sed impietatem morumque pravitatem inter homines sui temporis regnantem proposuit. Nec tamen ante oculos habuit aequales CHRISTO addictos, quippe qui dici non poterant ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, sed extra CHRISTI communionem vitiis et flagitiis servientes, et nominatim quidem *Iudaeos*, ut, CHRYSOSTOMO praeeunte, multi recentiori maxime memoria, etiam WETTIUS, REICHIUS, GLÖCKLERUS, BAUMGARTEN-CRUSIUS, REITHMAYRUS, STUARTUS, KREHLIUS, MAIERUS, TURNERUS, BISPINGIUS viderunt. Quod enim cum aliis censuit FRITZSCHIUS, auctorem tam *gentes exteras* quam Iudaeos spectasse, gravi, nisi fallor, argumentorum pondere labefactatur. Primum verisimile non est, PAULUM ad perditam gentium exterarum vitam ostendendam excitasse, quae in V. T. solis Israëlitis obiecta essent. Deinde si attendo ad ea, quae Cap. I: 29 sqq. leguntur, vix aut ne vix quidem mihi persuadere possum, hac recensione gentes illas una cum Iudaeis notari. Porro arctissime hi versus cohaerent cum tota disputatione praecedente, inde a Capite II: 1; ibi vero auctor id agit, ut Iudaeos, qui se supra alios homines efferre soleant, confundat:

atque hoc vs. 9 persequens non scripsit: *Ἕλληνάς τε καὶ Ἰουδαίους*, sed inverso ordine *Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας*. Imprimis vero animadvertendum est, orationem vs. 19 omnino postulare, ut vatum Divinorum effata Iudaeorum tantum causa allata esse censeantur.

Vers. 19.

Memoratis variis Veteris Testamenti locis, in quibus homines peccatorum accusantur, Apostolus nunc Iudaeos esse docet, ad quos accusatio pertineat. *Οἴδαμεν δὲ*, inquit, *ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ· ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ, καὶ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ Θεῷ*. Iam prima verba *οἴδαμεν δέ*, uti Cap. II: 2, sibi volunt: *scimus nos homines*, i. e. *vulgo cognitum est*. Sequentia *λέγει* et *λαλεῖ*, quae cum Vulgata et BEZA nonnulli confuderunt, bene distingui videntur, si pro altero Latine scribimus *dicit*, pro altero *loquitur* [1]). Idem PHILIPPI, MEIJERI aliorumque iudicium est. Formula *τοῖς ἐν τῷ νόμῳ*, cuius similes exstant Cap. VIII: 1 et 1 *Pet.* V: 14, significantur *qui in legis regione* seu *communione versantur*, i. e. *lege obstricti sunt*.

---

[1]) Nusquam PAULUS utrumque composuit; sed eodem modo distinguenda sunt *Matth.* XXIII: 1 ceterisque in locis, quos attulit BRUDERUS in *Concordantiis*. Verba igitur *λαλεῖν* et *λέγειν* sic differunt, ut illud tantum denotet *vocem, quae ore editur*, hoc vero etiam *id, quod litera scripta tradit*. Cff. TITTMANN. l. c. p. 79 sqq. et LÜCKIUS, *Comment. über das Evang. des Johann.* Ed. III. ad *Joann.* VIII: 43, quos iam laudarunt RÜCKERTUS et OLTRAMARIUS.

Sed quaestio agitur, *quaenam lex* intelligi debeat. ORIGENI, qui *νόμον* esse putavit *legem naturalem, hominum cordibus inscriptam*, hodie nemo applaudet. Probabilior est OLSHAUSENII sententia, quam OLTRAMARIUS et PEILIUS etiam secuti sunt, auctori simul *legem naturalem* et *legem tabulis inscriptam* seu *Mosaicam* ante oculos fuisse. Sed ut huic sententiae obstat Articulus vocabulo *νόμος* praepositus, ita difficultatum', quibus vulgaris interpretatio premitur, unam alteramque cum ea habet communem. Propterea nempe, quod loci, quibus PAULUS vs. 10—18 utitur, non e Pentateucho, sed e Psalmis et IESAIAE oraculis petiti sunt, iam CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS aliique veterum sumserunt, verba: *ὅσα ὁ νόμος λέγει* explicanda esse: *quaecunque Vetus Testamentum dicit;* atque illud unanimi fere consensu ad haec tempora VV. DD. probarunt, etiam nuperrime VINKIUS [1]), TURNERUS, MEIJERUS, BISPINGIUS, pars quidem hanc causam data opera defendentes. AMMONIUS tantum et GLÖCKLERUS hinc discedentes vocabulo *νόμος* notionem *legis Mosaicae* tribui iusserunt. Illi vero si diligenter ostendissent, nullam aliam interpretationem hunc in locum quadrare, non dubito, quin multorum assensum nacturi fuissent. Primum enim verba *ὅσα ὁ νόμος λέγει* talia sunt, ut neminem, nisi praecedentia ei fraudem fecissent, interpretaturum fuisse confidam: *quaecunque Vetus Testamentum dicit.* Quidni PAULUS ad *Vetus Testamentum* significandum scripsit: *ἡ παλαιὰ διαθήκη*, quam formu-

---

[1]) *De brief van den Ap. Paulus aan de Romeinen* cet. ad h. l.

lam ei cognitam fuisse e 2 *Cor.* III: 14 apparet? Nusquam certe *Vetus Testamentum* τὸν νόμον appellavit, excepto fortasse 1 *Cor.* XIV: 21 [1]). Ibi vero, atque ita quoque *Ioann.* X: 34 et XV: 25, in circumiectis nihil est, quod intercedat, quominus illud generaliter usurpatum habeamus. Hîc contra *Veteris Testamenti* notionem respuere iubent proxime sequentia τοῖς ἐν τῷ νόμῳ. Illa enim si homines designant *lege Mosaica* obstrictos, ut largiuntur etiam VV. DD. adversus quos nunc disputo, vix aut ne vix quidem supra *Vetus Testamentum* intelligere licet. Vel an BENGELIO credendum est, ubi sine ulla causa contendit, in hac notionum permutatione cerni δεινότητα? Progredior ad alterum argumentum, quod eadem proxime sequentia praebent. Nimirum Dativus τοῖς non permittit, ut Graeca vertendo reddamus: *de iis, qui lege obstricti sunt, loquitur*, sed omnino postulat ut scribamus: *ad eos* [2]) cet. Inde vero sequitur, verba ὅσα ὁ νόμος λέγει spectare non posse *Psalmorum* et IESAIAE locos vss. 10—18 conglutinatos. Loci enim illi non continent *allocutionem pravorum*, sed *querimoniam de iis*

---

[1]) *Fortasse*, inquam: longius enim PAULI verba a *Ies.* XXVIII: 11, 12 differunt, quam ut certum sit, eum sua hinc mutuatum esse. Sed si Apostolus hoc revera fecerit, nonne probabilius est, eum memoriae errore MOSI tribuisse, quod IESAIAE esset, quam suum loquendi usum hoc uno loco deseruisse?

[2]) Ita Dativus *Cap.* VII: 1. 1 *Cor.* III: 1. XIV: 2 al. WETTIUS fieri posse sumit, ut λαλεῖν τινι significet *loqui de aliquo*, quemadmodum γράφεσθαί τινι, *Luc.* XVIII: 31, *scribi de aliquo.* Sed ut illud incurrit in hos aliosque locos, sic in verbis τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου cernitur Dativus commodi. Hactenus recte THEODORETUS, ut formulas περὶ τῶν ἐν τῷ νόμῳ et τοῖς ἐν τῷ νόμῳ distingueret.

editam. Tertio expressa distinctio *τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν* vs. 21, nisi fallor, evidenter docet, auctorem, quum vs. 19 una appellatione *τοῦ νόμου* uteretur, neutiquam *Vetus Testamentum*, sed solam *legem Mosaicam* significasse. Denique in censum venit vs. 20 cum vs. 10 arcte cohaerens, ubi vocabulum *νόμος* bis ad *legem* significandam exstat et valde dissuadet, ne in principio huius vs. aliter accipiatur. Quae quum ita sint, PAULI verba sic interpretor: *Iam vero constat, legem Mosaicam, quaecunque dicat, ad homines loqui sibi subiectos*, qui, nempe, quovis Sabbatho eam in Synagoga publice legi audiant. Si quis autem rogaverit, quomodo haec cum descriptis vatum Divinorum verbis cohaereant, respondeo Apostolum usum esse *Enthymemate*, quo nihil in vita communi atque etiam in populari Literarum Sacrarum sermone frequentius est [1]). Plenam ratiocinationem hanc esse puto:

Iam vero constat, legem Mosaicam, quaecunque dicat, ad Iudaeos loqui sibi subiectos.

Atqui lex illa dicit, pravos et poena dignos esse, qui haec ipsa committant:

Ergo lex eadem ita ad Iudaeos sibi subiectos loquitur.

Quapropter bene egit MURALTO [2]) inter hunc versum et praecedentem maiore distinctionis nota ponenda.

Agnito Enthymemate planior est altera huius Versus pars. Et iam Particulam *ἵνα* a plerisque recentiorum

---

[1]) Cf. *Allgem. Encyclop. der Wissenschaften und Künste.* Edit. ERSCH. et GRÜBER. Tom XXXV. p. 88.

[2]) *Nov. Test. Graec. ad fidem Cod. princ. Vaticani* cet. ad h. l.

interpretum, etiam OLTRAMARIO, KREHLIO, PHILIPPO, VINKIO, MEIJERO, quum eam τελικῶς, non ἐκβατικῶς accipiant, recte intelligi apparet inde, quod haec connexa sunt cum praecedentibus ad legis Mosaicae *consilium* proponendum. Nec praetermittendum est, verba ἵνα — φραγῇ in testimonia de Iudaeis edita incurrere, si PAULUM dicentem faciamus, *ita ut omne os obstruatur*, seu *omnium ora tacere cogantur.* Immo eventum non attingens Apostolus id tantum commemorat, quo lex ducit. Breviloquentiae, quae Adiectivo πᾶν inest, iam succurrere conatus est PELAGIUS ei adscribendo: „non solum gentium, sed etiam Iudaeorum." At vero, uti in rerum Christianarum principio solos fuisse novimus Iudaeos, qui clamoribus suis Deo reniterentur; ita praecedentia: τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ clarissime ostendunt, hos tantum vocabulis πᾶν στόμα notari. Non omnia igitur, quotquot inter homines sunt, ora significantur, sed *omnia, quotquot Deo obstrepere non verentur.* Utique haud pauci, nisi fallor, interpretes se nimis fatigarunt ad ita explicandum Adiectivum πᾶν, ut nihil haberet, aut ab hac PAULI oratione, aut a Literarum Sacrarum doctrina, aut a sensu communi alieni. Sed maior quoque, quam par erat, multorum fuit sedulitas in potestate sequentis πᾶς definienda. Nimirum in altero huius posterioris partis membro id proponi, *quod ex altero sequatur*, ipse indicavit auctor, quum Particulam ἵνα non repeteret. Hinc vero intelligere mihi videor verborum sensum esse: *et proinde haud secus Iudaei quam gentes exterae poenis Divinis obnoxii esse deprehendantur.* Verbum enim γένηται, aeque ac γινέσθω vs. 4, id significat, quod *fieri deprehenditur*, ut ante REICHIUM, MEIJERUM aliosque

iam monuit BEZA. Vocabulum autem ὑπόδικος satis illustravit SUIDAS eo explicando κατάκριτος. Ceterum mentem suam PAULUS sic enunciare potuerat: *et non amplius Iudaei se Deo opponant totum genus humanum poenis suis obnoxium esse declaranti* [1]).

Vers. 20.

Postremum sui efferendi locum Iudaeis praecludere volens Apostolus ratiocinationis praecedentis probitatem confirmat scribendo: Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ: quod recte GRIESBACHIUM cum vs. 19 connexuisse Puncto in Colon mutando ostendit Particula διότι, quam Latinis *propterea quod* respondere ad Cap. I: 19 vidimus. Vidimus itidem ad Cap. II: 13, Futurum δικαιωθήσεται non solum significare *quod aliquando fiet*, sed etiam *quod nullo tempore aliter fieri potest.* Qui iudicii ultimi tempus spectari putant, immemores sunt locorum, ubi homines hac iam in vita per fidem δικαιωθῆναι dicuntur, uti vs. 21 sqq. quos MEIJERUS attulit. Disputatione etiam ad Cap. II: 12 habita otium mihi feci probandi, a vero aberrare, quotquot vocabulo νόμου *legem Mosaicam ritualem*, aut *legem Mosaicam moralem*, aut vel *legem Mosaicam* denotari putent. Equidem nullus dubito, quin hoc etiam loco, quamvis auctor *legem Mosaicam* ante oculos habuerit, *lex* tamen denotetur generatim. Qua de re mecum consentit OLTRAMARIUS,

---

[1]) Cf. BROUWERUS. p. 103, 104.

qui haud temere urget formulam *πᾶσα σάρξ,* quippe non minus ad *gentes*, quam ad *Iudaeos* pertinentem. Cff. vs. 28. *Gal.* II: 16. III: 2. Iam coniuncta *ἔργα νόμου, opera legis*, explicanda esse: *vitae ratio, quae ad legis* (alicuius) *praecepta instituitur*, itidem ex disputatis ad Cap. II: 6, 7, 10, 15, si bene se habent, sequitur. Particula autem *οὐ* referenda quidem est ad Verbum proximum *δικαιωθήσεται*, non ad remotiora *πᾶσα σάρξ*, at dicere tamen voluit auctor *nulla caro*: quemadmodum DAVIDES: *nemo qui vivit, Psalm.* XLIII: 2, ubi legimus: *ὅτι οὐ δικαιωθήσεται ἐνώπιόν σου πᾶς ζῶν,* quod PAULUM suum in usum convertisse, haud sine causa REICHIUS, RÜCKERTUS aliique coniecerunt. Atque eo commendatur interpretatio Futuri *δικαιωθήσεται*, quam proposui supra. Ipsum vocabulum *σάρξ* recte CALVINUS et BEZA cum Vulgato reddiderunt Latino *caro*. Falluntur vero, qui eo nihil aliud significari putant quam *homines*. Immo significatur *quisquis carnis* ideoque imbecillitatis vel vitiositatis *humanae particeps est* [1]). Atque sic studiose scripsit PAULUS, ut hoc ipso causam proderet asseverationis suae: *Propterea quod ex operibus legis nulla caro probata habebitur coram eo.* Apostoli autem mens, si explicatur: *carnis enim communione Iudaei haud secus quam alii homines impares sunt ad vitae rationem secundum legis praecepta ita instituendam, ut probati habeantur iudicio Dei;* vide, quam egregie haec asse-

---

[1]) Cff. *Matth.* XXIV: 22. 1 *Cor.* I: 29. *Gal.* II: 16 et GRIETHUYSENIUS. l. c. p. 26, 27. Hactenus dissimiles loci sunt, in quibus Verba *οὐ — — πᾶς ἄνθρωπος* ad denotandum nullum *hominem* legimus, ut etiam apud FABR. *Cod. Pseud.* Vol. I. p. 568, 920.

veratio congruat cum dicto praecedenti. Formula ἐνώπιον αὐτοῦ inde repetenda videtur, quod ab antiquo Hebraei Deum sibi fingebant in throno sedentem et satellitum corona stipatum. PAULUM vero ad imaginis originem nunc attendisse non liquet.

Intellecto priori membro nulla amplius difficultas inest posteriori: διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας. KÖLLNERUS quidem, GLÖCKLERUS, RÜCKERTUS, WETTIUS alii haec sic interpretantur, ut iis Adverbium *tantum* inserant; sed praeterquam quod omnis interpretatio suspecta est, quae alicuius auctoris verbis huiusmodi vocabulum inseri iubet, persuasum mihi habeo, orationi nervum praecidere, qui PAULUM dicentem faciat: *lege tantum agnoscitur peccatum.* Immo ut vim legis ostenderet, dicere voluit: *per legem enim fit, ut haud secus Iudaei quam alii homines se, quales sint, agnoscant, peccato obnoxios et indignos, qui a Deo probentur.* Atque hoc nescio, an sua se cum maxime commendet simplicitate. Vocabulo ἐπίγνωσις *agnitionem* significari, vidimus ad Cap. I: 28. Praecedens νόμου, uti in dicto: διὰ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας vitae communis cernitur sententia [1]), ita generalem iterum *legis* notionem habet, quamvis *Mosaica* hîc etiam spectatur. Primaria vero διὰ νόμου auctor, ut eminerent, ceteris praeposuit.

Vers. 21, 22.

Quum igitur, a Cap. I: 18 usque ad Cap. III: 20,

[1]) Legatur RÜCKERTUS ad *Rom.* II: 12, item ad h. l. et Cff. VV. DD. ab eo laudati.

omnes homines, quotquot a CHRISTO alieni essent, sive ex Iudaeis seu e gentibus exteris ortos, peccato subiectos poenaque Divina dignos esse effecerit, continuo PAULUS demonstratum agit, nunc utrisque pariter apertam esse viam salutis. Et hoc quidem aggreditur verbis: *Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται* cet. Quae GRIESBACHIUS aliique recte maiori distinctione a vs. 20 separarunt. Huic enim non opposita sunt, ut nonnullis interpretibus visum est, sed novi argumenti, quod toti praecedenti oppositum est disputationi, exordium continent. Particulae igitur *Νυνὶ δέ* non interpretandae sunt: *quae quum ita sint* vel similiter, sed, uti Cap. VI: 22. VII: 6. XV: 23 et in plerisque Novi Testamenti locis, *Nunc vero*, i. e. *hoc vero tempore*, quod, praeeunte maxime GROTIO, a multis, etiam a WINZERO [1]), probatum est. Huic autem interpretationi fidem facit, et diversorum temporum, quae versibus 21, 23, 25, 26 implicite vel explicate inest, commemoratio; et notatio eorum valde similis Cap. XVI: 25, 26, ubi praesertim animadvertantur verba *φανερωθέντος δὲ νῦν*; et oratio denique tempora itidem distinguens Cap. I: 16, 17, cuius ad argumentum auctor hoc loco redit. Genitivi *νόμου* et *τοῦ νόμου* cur eadem in sententia exstent, causa satis probabilis, ut iam vidit ORIGENES, afferri nequit, nisi alteri alia notio tribuatur quam alteri. Atqui res in vado est, si posteriori quidem *legem Mosaicam*, sed priori, ut vs. 20 et alibi, *legem* tantum *generatim* significari statuimus, quod OLTRAMA-

---

[1]) *Commentat. in Rom.* III: 21—28.

RIUS strenue defendit. Connexa autem χωρὶς νόμου a formula ἄνευ νόμου discernenda et exponenda sunt: *seorsim a lege*, seu *nulla legis habita ratione* [1]). Nec vero illa cum proxime sequentibus δικαιοσύνη Θεοῦ, aut cum remotiori πεφανέρωται coniungi, sed ab iis seiungi debent, utpote gravitatis causa iis absolute praeposita. Similiter paulo explicatius χωρὶς ἔργων νόμου vs. 28 usurpatur ad sententiam concludendam. Iam δικαιοσύνη Θεοῦ *probitatem hominis, quae a Deo proficiscitur* vel *Dei est* significat, si recte se habent monita ad Cap. I: 17. Obiter quoque ibidem correxi errorem multorum, qui verba ἀποκαλύπτεται et πεφανέρωται confundunt. Non solum enim inter se notionibus differunt, sed hac in differentia etiam causa cernitur, cur alterum Praesens, alterum Perfectum sit [2]). Et hoc quidem Perfectum sibi vult: *quod antea manifestatum*, seu *omnium ob oculos collocatum est*, rebus, nempe, in facto positis et in persona CHRISTI conspicuis. BENGELIUS scripsit: *per Euangelium* IESU CHRISTI, et haud male, dummodo addatur: *hominibus quondam patefactum*. Ergo Apostolus dicit: *Nunc vero, nulla legis alicuius ratione habita, probitas hominis, quae a Deo proficiscitur, omnium ob oculos collocata est.*

Quanti hanc probitatem tam Iudaei quam alii homines habere debeant, porro Apostolus ostendit scribendo: μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν. Verbum μαρτυρεῖν apud scriptores Graecos significat, ut nemini incognitum est, *testari*; at-

---

[1]) Cf. TITTMANN. l. c. p. 93 sqq.

[2]) Cf. VAN BELL. l. c. p. 32, 112.

que sic in Literis Sacris vates Divini *testati esse* dicuntur, quoniam id, quod sibi a Deo patefactum erat, ad homines referebant. Sed an illa *testandi* notio cum HODGIO, OLTRAMARIO aliisque hîc quoque urgenda sit, equidem dubito. Haud raro Passivum ita usurpatum reperimus, ut Latinum *laudari* cum eo bene convenire videatur. Exempla consulantur, quae WETSTENIUS attulit, *Act.* X: 22. XXII: 12. Quid? quod haud frustra loci quaerentur, in quibus *testandi* notio vix aut ne vix quidem ferri possit, ut apud IUSTINUM *Mart.* [1]) ubi de ABRAHAMO legimus, τοῦ ἐν ἀκροβυστίᾳ ἐπὶ τῇ πίστει μαρτυρηθέντος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ εὐλογηθέντος. Ergo me non valde reprehensum iri puto, si Graeca vertendo reddiderim: *quae laudatur a lege* (Mosaica) *et Prophetis*. PAULUM verbis ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, quemadmodum *Matth.* V: 17. VII: 12 al. *libros Veteris Testamenti*, qui suo tempore laudare pergerent, memorasse, apparet ex usu Praesentis μαρτυρουμένη. Ad quaestionem, quasnam ille sibi laudationes repraesentaverit, duce MELANCHTHONE haud pauci cum MEIJERO respondent, hîc in censum venire *typos*, *promissiones et vaticinationes ad Messiam pertinentes*; alii alia proponunt: sed infra videbimus, praecedentia δικαιοσύνη Θεοῦ, ad quae Participium μαρτυρουμένη referendum est, *probitatem hominis significare*, *quae per fidem in Deo collocandam acquiratur*. Hinc vero sequitur, quod, quodammodo iam praeeunte CHRYSOSTOMO, FRITZSCHIO, KREHLIO, PHILIPPO, MAIERO placuit [2]), ad Vi-

---

[1]) *Dial. cum Tryph. Iud.* Cap. II. Ed. OTT.

[2]) Cf. USTERIUS. l. c. p. 91 sqq.

rorum Sacrorum effata *fidem* praedicantia provocandum esse. Qualia quum ipse PAULUS Cap. I: 17 et IV: 3 e *Gen.* XV: 6 et *Hab.* II: 4 attulerit, hunc suorum verborum habemus interpretem. Quod autem CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS aiunt, auctorem haec memorasse, ne res, quam proponeret, nova censeretur, minus recte cum aliis improbasse videtur FRITZSCHIUS, si quidem ita simul Apostolus indicavit illud, quod V. D. voluit, eam non levem et humano ingenio confictam, sed gravem et Divinam esse.

Nunc vero, qualis haec hominis probitas sit, vs. 22 ostendit PAULUS scribendo: *δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Quomodo autem haec cum praecedentibus cohaereant, prima quaestio est. FRITZSCHIUS verba *διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ* a remotiori *πεφανέρωται* pendere contendit, sed, quominus hoc ferri possit, impediunt connexa *δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ.* Tum insolens dictio est, *δικαιοσύνην Θεοῦ per fidem*, ut interpretatur ille, *in lucem vocatam esse.* Per fidem enim homines vs. 28, 30. Cap. V: 1. *Gal.* II: 16 et ubique dicuntur *δικαιωθῆναι.* Iure igitur meritoque RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS aliique se FRITZSCHIO opponunt monentes, verba *διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ* cum LUTHERO et plerisque interpretibus ad praecedentia *δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ* referri debere. Quod omnino postulat Antithesis, quae hac in PAULI sententia cernitur. Nec desideratur Articulus *ἡ*, ut bene vidit PHILIPPUS, quoniam et formulae *δικαιοσύνη Θεοῦ* implicite iam inest Verbum *δικαιοῦσθαι*, quocum nectatur Praepositio *διά*, et haec *δικαιοσύνη* neutiquam distinguitur ab alia. Huius tamen structurae causa necesse non est Particulam *δέ* interpretari

nempe, *et quidem*, *inquam*, ut iam olim scripserunt CALVINUS, BEZA, VATABLUS, CORNELIUS A LAPIDE, ESTIUS, CRELLIUS, recentiori memoria plurimi, etiam BISPINGIUS. Utique Colo, quod variis in Editionibus versui 21 subiectum est, in Comma mutato, huic Particulae cum LUTHERO, REICHIO, MEIIERO suam *adversandi* notionem tribuere praestat. Hoc autem ne quis evertere conetur monendo, orationem Particula *μέν*, cui ea respondeat, carere, animadvertendum est, verba *δικαιοσύνη δὲ — Χριστοῦ* non Apodosin aliquam continere Protasi *μαρτυρουμένη — προφητῶν* oppositam, sed progressum orationis ad illud, quod laudant libri Veteris Testamenti, plena in luce collocandum.

Novam quaestionem parit vis Genitivi *Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Nonnulli veteres, uti BEZA, CRELLIUS, SLICHTINGIUS illam habuerunt ancipitem. Recentiori memoria BENECKIUS et PAULUS *ipsius* IESU CHRISTI *fidem* intelligendam censuerunt. Ceterum vero ab antiquo communis omnium fere interpretum sententia est, nihil aliud intelligi posse, quam *fidem in* IESU CHRISTO *ponendam* vel *positam* [1]). Quod ad tuendum varios excitant locos, in quibus vocabulo *πίστις Genitivus Obiecti* subiunctus est. REICHIUS adeo in Novo Testamento, ubi hoc vocabulum legatur, nusquam alium Genitivum reperiri contendit. Contra nuper SCHOLTENIUS noster, quamquam de explicatione formulae *πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ* nondum plane certus, omnino tamen negavit eam *fidem* significare posse in IESU CHRISTO

---

[1]) Hanc sententiam ipse quoque secutus sum in *Comment. ad Phil.* III: 9.

ponendam vel *positam*, ipsumque *Deum* in ea *fidei Obiectum* esse asseveravit [1]). Magistri sententiae calculum adiecere discipuli [2]), imprimis RAUWENHOFFIUS, qui hoc argumentum docte persecutus est [3]). Equidem ut hanc viam iam diu ingressus eram, ita persuasionem meam supra ad Cap. I: 5, 17 occultare non potui. Huius vero loci esse puto, ut argumenta afferam, quibus mea interpretatio nitatur. Quod tamen ut quam brevissime agam, lectori curam relinquam discernendi, quid ex aliena supellectili, quid ex mea petierim.

Verbum πιστεύειν in N. T. saepe talia post se habet, ut primo adspectu *fidei Obiectum* non esse videatur *Deus*, sed *Dei Filius:* cuiusmodi locorum exempla sunt *Ioann.* III: 36. *Act.* XVI: 31. 1 *Tim.* I: 16, ubi legimus: *πιστεύειν εἰς τὸν υἱόν, ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν, ἐπ' αὐτῷ* (sc. *Χριστῷ Ἰησοῦ*). Similiter *Act.* XXIV: 24. *Gal.* III: 26 a vocabulo πίστις pendent formulae *εἰς Χριστόν* et *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Disquisitione, quid inter illa et *πίστιν Ἰησοῦ Χριστοῦ* intersit, et quatenus ibi Praepositiones notione differant, nunc supersedere licet. Satis nobis sit, omnem dicendi rationem inde explicari posse, quod, secundum scripta Novi Testamenti, fides in Deo poni nequeat, nisi fides ponatur in CHRISTO. Quomodo haec duo conglutinata sint, iam docent verba IESU, *Ioann.* X: 37, 38. XII: 44, 45. XIV: 10, 11. Cf. 1 *Ioann.* V:

---

[1]) *Dr. J. J. van Oosterzee's Beschouwing van het werk* cet. p. 103 seqq. ad quam disputationem provocavit in libro: *De leer der Hervormde Kerk in hare grondbeginselen.* Ed. 2. Tom. II. p. 63.

[2]) VAN HELL. l. c. et KOCH, *De Petri Theologia per diversas vitae, quam egit, Apostolicae periodos sensim explicata.* p. 154 coll. 193.

[3]) *De loco Paulino, qui est de ΔΙΚΑΙΩΣΕΙ* p. 88 sqq.

10. Haud raro igitur oratio contexta *Deum fidei Obiectum* haberi iubet, etiamsi fides ad solum CHRISTUM referatur, ut *Act.* XI: 27. XVI: 34 coll. 31. *Gal.* III: 26. Alibi discriminatim *Deus fidei Obiectum* esse dicitur, nempe *Rom.* IV: 5, 24. 1 *Cor.* II: 5. 1 *Thess.* I: 8. II: 13. *Tit.* III: 8. *Hebr.* VI: 1. Imprimis vero considerandi sunt loci, in quibus CHRISTUS memoratur, sed Articulus, aut post vocabulum *πίστις* repetitus, aut ei tantum subiectus est. Alterum cernitur in verbis *ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ* (scil. *'Ιησοῦ*) *Act.* III: 16 et haud plane dissimilibus Cap. XX: 21. Alterum se crebrius offert, et quidem *Act.* XXVI: 18, ubi IESUS dicens inducitur: *πίστει τῇ εἰς ἐμέ*, *Gal.* II: 20. 1 *Tim.* III: 13. 2 *Tim.* III: 15. Utrumque fieri ad *speciem fidei* ab *eius genere* distinguendam exempla docent locorum, in quibus Articulus similiter usurpatur, uti Cap. IV: 11. XVI: 11, item Cap. I: 18. IX: 30 [1]). Ergo, nisi fallor, res ipsa loquitur, vocabulum *πίστις* ibi *generatim* significare *fidem*, id est *fidem in Deo positam*, cuius *speciem* contineat *ἡ ἐν 'Ιησοῦ Χριστῷ*. Propterea vero, quod, ut iam vidimus, in N. T. praeter *fidem per* CHRISTUM *in Deo positam*, nulla fides agnoscitur, usus voluit, ut ibi simpliciter et misso Dei nomine *fides ad* CHRISTUM referretur. Nimirum vocabula, quae id significant, quod *κατ' ἐξοχήν a Deo proficiscitur* aut *Deo debetur*, hoc commune habent, ut saepe usurpentur *nomine Dei non expresso.* Sic non solum multis in locis exstat *ὁ νό-*

---

1) Exemplorum copiam attulit WINERUS. p. 152, 153. Sed cff. MIDDLETON. p. 112 sqq. MATTH. Tom. II. p. 723, 729. KÜHNER. Tom. II. p. 138. AST, *Lexicon Platon.* Vol. II. p. 405, 406.

μος, sed etiam Plurale *αἱ ἐντολαί Matth.* XIX: 17. *Marc.* X: 19. *Luc.* XVIII: 20 et Singulare *ἡ ἐντολή Rom.* VII: 8 sqq. Similiter cum Articulo et sine eo utrumque *χάρις* et *ὑπακοή* legitur, etiam Cap. I: 5, ubi alia attuli exempla. Quidni igitur vocabulum *πίστις* eandem Breviloquentiam admittere censenda est, quidni in formula quoque *πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ*? Sed locorum huc pertinentium lustratio omnem, nisi fallor, dubitandi causam amovebit.

Formulam *πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ* vel similem secundum Editionem Receptam legimus infra vs. 26, item *Gal.* II: 16. III: 22. *Eph.* III: 12. *Phil.* III: 9. *Iac.* II: 1. *Apoc.* II: 13. XIV: 12. His locis nullus inest, in quo circumiecta hanc formulam ita explicare vetent, ut *Deus* intelligatur *fideique Obiectum* habeatur; contra vero unus et alter, qui, quum hoc sibi postulet, ad ceteros eodem modo explicandos ducat. Clarius illud non elucet quam ex verbis: *οἱ τηροῦντες τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν πίστιν Ἰησοῦ*, *Apoc.* XIV: 12, ubi leges Grammaticae utrique Genitivo eandem interpretationem vindicant. Hanc vero interpretationem aliis quoque Genitivis vocabulo *πίστις* subiectis accommodatissimam esse deprehendemus conferendis verbis, et PETRI: *ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ*, *Act.* III: 16, quibus respondent sequentia: *ἡ πίστις ἡ δι᾽ αὐτοῦ*, et PAULI: *διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ*, *Col.* II: 12, quorum sensum esse: *per fidem, quam excitavit efficacitas Dei illius* cet. BÄHRIUS, etiam ex *Eph.* I: 19, probavit [1]). Uterque

---

[1]) *Comment. über den Brief Pauli an die Kolosser* ad h. l. Consentiunt HUTHER et WETTIUS in *Comment.*

autem locus uti vulgari obstat sententiae, Genitivum in formula πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ Obiectum fidei denotare, sic Genitivum illum non exponendum esse docet: *quam habuit* IESUS CHRISTUS [1]), sed *cuius auctor* IESUS CHRISTUS *est*. Haud scio, an eadem ingrediunda via sit ad vim suam tribuendam verbis πίστιν Θεοῦ, τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου et πίστει ἀληθείας, *Marc.* XI: 22. *Phil.* I: 27. 2 *Thess.* II: 13 [2]). Sed quod *Rom.* IV: 12 (coll. vs. 16) legimus: τῆς — — πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, aptius non interpretabimur quam hoc modo: *fidei, cuius auctor*, nepotibus nempe, *pater noster* ABRAHAMUS *est*. Cur vero longus sim? Locorum, qui supra excitati sunt, nonnulli normam exhibent et regulam in formula πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ ubique interpretandi Genitivum: *cuius auctor est* IESUS CHRISTUS. Si enim *Gal.* II: 16 verba ἐξ ἔργων νόμου sunt *opera, quorum auctor lex est*, vis Antitheseos connexa διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ita accipi iubet, ut *fides, cuius auctor* IESUS CHRISTUS *est*, intelligatur: neque sequentia: καὶ ἡμεῖς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν ἐπιστεύσαμεν, ut USTERIUS [3]) aliique putant, impedimento sunt, dummodo, convenienter locis illis, in quibus Aoristus legitur,

---

[1]) Haud temere RÜCKERTUS, MEIJERUS aliique hanc interpretationem improbarunt. Nec miror eam minus placuisse NIERMEYERO, *Magazijn voor Kritiek en Exegese*. Tom. I. p. 28.

[2]) Locorum copiam esse, in quibus *Genitivus auctoris* exstet, ostendunt WINER. p. 213. MATTH. Tom. II. p. 854 aliique. Cff. SCHOLTENIUS, Dr. *J. J. van Oosterzee's beschouwing* cet. p. 105 et RAUWENHOFF. p. 92.

[3]) *Comment. über den Brief P. an die Galater* ad h. l.

explicentur: *et nos fidem in Deo posuimus ad* IESUM CHRISTUM *nos convertentes.* Haud minus evidentia sunt verba: *ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ* vs. 20, quorum sensum esse, *in fide*, in qua erga Deum versor, *vivo, et illa quidem, cuius auctor Filius Dei est*, perspicue docent coniuncta: *τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ*, quae vehementer frigent, si praecedentia sunt: *quam* IESUS CHRISTUS *habuit.* Ita et in loco supra iam allato, *Apoc.* XIV: 12, quum *αἱ ἐντολαὶ τοῦ Θεοῦ praecepta* sint, *quorum auctor Deus est*, *ἡ πίστις Ἰησοῦ alia* esse nequit *fides*, scil. in Deo posita, *quam cuius auctor* IESUS *est.* Quaenam autem hac in re inter Deum eiusque Filium necessitudo intercedat, nemo apertius exposuit quam PETRUS, lectores suos, 1 *Pet.* I: 21, dicens *τοὺς δι' αὐτοῦ (Χριστοῦ) πιστεύοντας* (l. *πιστοὺς*) *εἰς Θεόν.* Et quatenus IESUS CHRISTUS fidei in Deo ponendae vel positae auctor sit, declarat, *Hebr.* XII: 2, laudatio *τοῦ τῆς πίστεως ἀρχηγοῦ καὶ τελειωτοῦ, Ἰησοῦ*, quo nomine ille, Cap. XIII: 8, ad praecedentem admonitionem: *ὧν — μιμεῖσθε τὴν πίστιν* corroborandam, *χθὲς* (*ἔχθες*) *καὶ σήμερον* vocatur *ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας* [1]).

Ut ad locum redeam, cuius causa hanc disputationem institui, ibi, quum formula *δικαιοσύνη Θεοῦ probitatem hominis* significet: *quae a Deo proficiscitur*, nihil convenientius est quam alteram *διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ* explicare *per fidem in Deo positam, cuius auctor* IESUS CHRISTUS *est.* Iam absolvitur sen-

---

[1]) Plura hoc de loco dixi in *Maandschrift voor den beschaafden stand* cet. 1852. p. 485 sqq.

tentia verbis: *εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας*. Media enim: *καὶ ἐπὶ πάντας*, quamquam apud veteres aliquot non exstant, FRITZSCHIUS aliique genuina esse probarunt, sed a librariis omissa, sive soni similitudine seu opinione sua deceptis. Difficile tamen dictu est, quomodo duo illa *εἰς πάντας* et *ἐπὶ πάντας* inter se differant. Proinde, CALVINO praeeunte, haud pauci VV. DD. putarunt, PAULUM nihil aliud egisse, quam ut ad *universitatem* evidentiorem faciendam orationis cumulo uteretur. Sed huic coniecturae illi ipsi obstant loci, quos suam in causam afferunt, uti Cap. III: 20. XI: 36. *Gal.* I: 1. *Eph.* IV: 6. *Col.* I: 16, quum singulae Praepositiones ibi suam habeant notionem. Praestat sane cum MEIIERO utrumque *εἰς* et *ἐπί* ita distinguere, ut alterum ostendat, quibusnam *δικαιοσύνη Θεοῦ destinata sit*, alterum quibusnam ea *obtingat*, cuiusmodi etiam sententiam tulerunt CORNELIUS A LAPIDE, ESTIUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS aliique. Hoc autem si verum est, auctor sibi vult: *destinata omnibus et obtingens omnibus, qui fidem in Deo ponunt.* His vero verbis, si non adscripta essent, nos lectores sine damno careremus; sed PAULUS ea cum praecedentibus, et laxe quidem, copulavit Iudaeorum sui temporis causa, quibus non nimis inculcari poterat doctrina, gentes exteras iis apud Deum aequales esse. Quare rationem etiam conclusit asseverando: *οὐ γάρ ἐστι διαστολή*, i. e. *nihil enim* inter Iudaeos et gentes hactenus *interest.*

Vers. 23, 24.

Facta conclusione praecedente, ecce subito apud

PAULUM reviviscit cogitatio labis Iudaeis exterisque gentibus communis. Via et ratione magis procederet oratio, si pro Verbo finito ὑστεροῦνται scriptum esset Participium ὑστερούμενοι et rursus pro Participio δικαιούμενοι Verbum finitum δικαιοῦνται. Auctor enim vs. 21 transiit ad probitatem, cuius homines per fidem in Deo positam participes fieri poterant, praedicandam. Cur vero mentem ita enunciaverit, ac si Iudaeis denuo vitiositatem et miseriam suam obiicere vellet, mihi non liquet. Nihil aliud igitur superest quam verba interpretari, prouti nobis proposita sunt.

Sententiae pars altera: *Πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ* ipsa quoque bipartita est. Protasis nulla difficultate laborat. Adiectivum enim *πάντες*, uti supra, explicandum est: *omnes*, *tam Iudaei quam gentes exterae*. Aoristo autem *ἥμαρτον* sine temporis definitione indicatur eos *peccasse*. Paulo spinosior est Apodosis. Activum *ὑστερεῖν*, quod proprie denotat *tempore* vel *loco posteriorem esse*, nusquam me ita usurpatum reperire memini, ut primariam notionem plane amisisset. Passivum *ὑστερεῖσθαι* itidem significare solet *cohiberi ne attingas*, hinc *non attingere posse*, *egere*, *carere*. Sic *Luc.* XV: 14. 1 *Cor.* I: 7 et alibi in N. T. ubi tantum absolute legitur: item apud IOSEPHUM [1]), qui Genitivum cum eo con-

---

[1]) *Antiqq.* Lib. XV. Cap. 6. § 7. Locum mihi monstravit LOBECK. ad *Phryn.* p. 237. Aliud quidem suadere videtur, quod ibidem affertur e SOCRATE, *Hist. Eccles.* Lib. I. Cap. 29, sed scriptor ille multo recentioris aetatis est. Ceterum Passivum cum Genitivo apud veteres frequenter non legitur. BUDAEUS certe p. 459 exemplo tantum usus est quod praebet BASILIUS. Atque ita STEPHANUS in *Thes.*

iunxit scribendo: *Παρέσχε — — τὴν ανυδρον διερχομένοις τὴν τῶν ἐπειγόντων χορηγίαν, ὡς μήτε οἴνου μήτε ὕδατος — — ὑστερηθῆναι*, i. e. *nec vino neque aqua carere.* Ergo hîc etiam Latine scribendum est: *non attingere possunt gloriam Dei*, vel *carent gloria Dei*, neutiquam cum FRITZSCHIO aliisque, quibus STEPHANUS iam fraudem fecit, *destituuntur gloria Dei*, quo Verbo amissio eius, quod antea in possessione fuit, proponitur. Genitivo autem *τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ* alii indicari putarunt *imaginem Dei*, alii *gloriationem coram Deo*, alii *splendorem vitae post mortem aeternae*, quos omnes MEIERUS bene refutavit. An vero Viro Docto contra KÖLLNERUM ita disputare contigerit, ut sententiam multorum probaret, Genitivum *τοῦ Θεοῦ Genitivum auctoris* esse, equidem valde dubito. Supra vidimus in formula *ἡ δόξα τοῦ Θεοῦ*, Rom. I: 23, *Genitivum* cerni *possessoris.* Ita etiam 2 *Cor.* IV: 6. 1 *Tim.* I: 11. *Tit.* II: 13. *Apoc.* XV: 8. XXI: 11, 13. Neque aliud sibi postulant ceteri loci, in quibus ea legitur: *Ioann.* XI: 4, 40. *Rom.* V: 2. VI: 4. 2 *Cor.* IV: 15; item *Ioann.* XII: 43, ubi verbis: *Ἠγάπησαν τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ*, nulla fit iniuria, si explicantur: *amabant gloriam illam, quae apud homines est, magis quam gloriam illam, quae apud Deum est.* Atque hoc commendare repetitionem Articuli apparet, nisi fallor, e 2 *Cor.* III: 7. IV: 4. *Col.* I: 27, ubi vocabulum *δόξα* alia in Genitivo sequuntur. Comparari etiam potest formula *ὑστερεῖν τῶν ὑπερλίαν Ἀποστόλων*, 2 *Cor.* XI: 5. XII: 11, i. e. *non attingere id* vel *carere eo, quod habent Apostoli per excellentiam ita dicti.* Si quis rogat, quid significet illud *non attingere gloriam* vel *carere gloria*,

quam habet Deus, in promptu est, quod respondeam. Paulus utitur imagine ab hominibus petita, quibus aditus ad reges principesque interdictus est, quo honorifica eorum communione fruantur [1]). Quod quum ad homines peccato oneratos transferret, dicere voluit, eos *Dei communione omnibusque bonis hinc oriundis carere.* Hoc autem longe remotum non est ab interpretatione MEIJERI aliorumque, *honorem, qui a Deo datur*, intelligi iubentium.

Appendicis instar vs. 24, ut iam supra monui, sequitur pars altera sententiae: *Δικαιούμενοι δωρεὰν, τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Non magis arridet iudicium WETTII, PHILIPPI, MEIJERI aliorumque, qui hac in oratione nullum lectori desiderium relinqui aiunt, quam eorum, qui Participium *δικαιούμενοι* cum ERASMO et LUTHERO scriptum habent pro *καὶ δικαιοῦνται.* Attamen Latine, ne Praesens negligatur et hiatus exsistat, interpretari debemus: *et probantur*, sc. a Deo, quod cum praecedenti *ὑστεροῦνται* iungendum esse res ipsa loquitur. Adverbium *δωρεάν* apud interpretem Alex. et in N. T. haud secus *sine fructu* significat, uti *Gal.* II: 22, quam *sine merito.* Quare ambiguitatem tollunt connexa: *τῇ αὐτοῦ χάριτι.* Sed in eo quoque conspicua Gradatio est, quod vocabulum negans excipit formula aiens, et haec quidem ad Deum referens beneficium, cuius auctorem illud praetermittit. Nomini autem *χάριτι*, ut MEIJERUS recte vidit, Pronomen *αὐτοῦ* praepositum est ad gratiam Dei ita laudandam, ut omne huma-

---

[1]) Cff. *Matth.* V: 8. XVIII: 10. *Hebr.* XII: 14 aliique loci non dissimiles.

num excludatur. Si quis rogat, cur Apostolus non scripserit: *διὰ τῆς αὐτοῦ χάριτος*, sed in Dativo: *τῇ αὐτοῦ χάριτι*, respondeo, eum *fontem*, unde hominum probatio emanaret, commonstrare voluisse. Eiusdem Dativi copiam faciunt Cap. XI: 6. 1 *Cor.* XV: 10. *Eph.* II: 5, 8. *Tit.* III; 7. *Hebr.* II: 9, quibuscum exemplis conferantur *Act.* XVIII: 27. *Rom.* XII: 3. *Gal.* I: 15. *Modum* vero agendi declarant verba: *διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Et recte vetus noster interpres haec reddidit vernaculis: *door de verlossing, die in* CHRISTUS JEZUS *is.* Vulgata vero pro Graeco *ἀπολύτρωσις* scripsit Latinum *redemtio*, quod nuperrime MEIIERUS defendit monendo, sanguinem CHRISTI fuisse *pretium*, quo ille veniam peccatorum, quae ipsa *ἀπολύτρωσις* sit, credentibus procuraret. Eandem *redimendi* notionem iam ursit NOESSELTUS [1]) aiens, vocabulum illud semper usurpari „de redemtione per *λύτρον* s. datum pretium pro aliqua re vel substitutione in alterius locum." Atque ita omnes fere interpretes, etiam KREHLIUS, PHILIPPUS, HODGIUS, STUARTUS, TURNERUS, REITHMAYRUS, MAIERUS, BISPINGIUS. Sed egregie OLTRAMARIUS probavit, nec Compositum *ἀπολύτρωσις*, nec Simplex *λύτρωσις*, nec Verbum *λυτροῦσθαι* in ullo Novi Testamenti loco adeo urgendum esse, ut aliquid amplius significet *liberatione*, quam REICHIUS quoque hîc propositam esse censuit. Huic disputationi autem gravissimum pondus adiiciunt connexa *τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, quibus liberatio illa a quavis alia distinguitur.

---

[1]) *Opusc. ad interp. S. S.* Fasc. I. p. 96.

ERASMUS quidem huic formulae sensum alienum affinxit, Praepositionem ἐν pro διά positam esse aiens. A via itidem aberrarunt, quotquot putabant, PAULUM *rem* attigisse *a* CHRISTO *iam peractam*. Quod, LUTHERO praeeunte, FRITZSCHIUM et PHILIPPUM movit, ut reticeri contenderent Aoristum γενομένης, cuius reticentiae in locis, ubi Praesens praecedit, frustra exemplum quaeritur. Melius igitur WETTIUS, MEIIERUS, etiam ipse OLTRAMARIUS, interpretantur: *quae in* CHRISTO IESU *consistit*, seu *cuius cardo in* CHRISTI IESU *persona vertitur*. Nec tamen illi sibi cavent a referendo ad tempus praeteritum, quod tantummodo ad praesens pertinet. Nimirum uti Articulo τῆς cogitando addi debet Participium praesens γινομένης vel potius οὔσης, quod secundum proprietatem sermonis Graeci expressum non est, ita apposita ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ut bene vidit KREHLIUS, explicanda sunt *in communione* CHRISTI IESU. Constans in eo cernitur huius formulae usus, cuius exempla reperiuntur supra vs. 19. Cap. VIII: 1. 1 *Pet.* V: 14 [1]). Hoc autem si verum est, sua sponte sequitur, vocabulo ἀπολύτρωσις denotari non posse *redemtionem a* CHRISTO *in cruce peractam*, sed tantum *liberationem e* CHRISTI *communione assidue proficiscentem*. Itaque *per liberationem, quae in communione* CHRISTI IESU *est*, seu quam communio CHRISTI IESU affert, secundum Apostolum fit, ut Iudaei gentesque exterae, sine merito eorum, sola ipsius Dei gratia, probentur. Atque sic viam aperit in concordiam redigendi duo illa adversis frontibus re-

---

[1]) Cff. WINER. l. l. p. 464 et *Comm. perp. in Ep. ad Phil.* p. 32, 68. *in* 1 *Cor.* XV. p. 91, 92 et disputata supra ad vs. 22.

pugnantia: *peccatorum causa Dei gloria carere* et sine ullo merito, sola gratia Divina, *a Deo probari.* Quid vero sibi voluerit hanc liberationem praedicans, vss. 25 et 26 demum patebit.

Vers. 25, 26.

Quomodo per eam, quae in communione CHRISTI IESU est, liberationem fiat, ut homines supra notati a Deo probentur, PAULUS nunc vss. 25 et 26 explicat. Sed haud ita crebro Literarum Sacrarum interpretes secum mutuo acrius contenderunt quam de hac eius explicatione. Et quamvis multum dissidii ortum est e Theologiae placitis, quae Viris Doctis fraudem faciebant, dici tamen nequit, Apostoli orationem perspicuitate eminere. Utinam mihi unum alterumve nodum solvere contigerit.

Prima verba: *Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον* interpretes veteres minus exercuerunt. Duce enim ORIGENE fere omnes vocabulo *ἱλαστήριον*, quod praecipue in quaestionem venit, CHRISTUM comparari putarunt cum *operculo arcae foederis*, ad *Exod.* XXV: 17 sqq. aliosque locos Veteris Testamenti, item ad *Hebr.* IX: 5 provocantes, ubi illud ita dicitur. Veterum vestigia quum ERASMUS, LUTHERUS, MUSCULUS, CORNELIUS A LAPIDE, GROTIUS haud secus ac SLICHTINGIUS, CRELLIUS, C. VORSTIUS secuti essent, nemo mirabitur hanc interpretationem seculo XVII et XVIII maxime viguisse. Data opera igitur DEYLINGIUS [1]) eam contra

---

[1]) *Observ. Sacr.* Pars. II. p. 482 sqq.

CLERICUM, qui dissensionem professus erat, defendere conatus est. Sed recentiori quoque memoria fuerunt, qui ab iisdem starent partibus: OLSHAUSENIUS, WILKIUS [1]), FUNKIUS [2]), PHILIPPUS, PEILIUS, inter nostrates BOSVELDIUS et MUNTINGHIUS [3]). Nec video tamen acriter reprehendendum esse RÜCKERTUM, ubi hanc interpretationem adeo iam refutatam esse aiat, ut eius silentio praetermittendae tempus fere instare videatur. Quamvis enim pondere aequalia non sunt omnia argumenta, quae VV. DD. ei opposuere, satis certum tamen est, eam et hoc in loco nihil habere, quo nitatur, et tam admittere, quod a IESU persona, quam quod ab Apostolorum doctrina alienum sit. Et quis tandem crediderit, PAULUM id, quod Deus omnibus in CHRISTO patere vellet, cum operculo comparasse, Pontifici maximo quotannis tantum semel adspectabili, ceterum vero ab omnium oculis occultato? Praeter hanc autem interpretationem nulla alia est, cui loquendi faveat usus in Literis Sacris reperiundus. Hinc magnum sententiarum discrimen. Plerisque hodie vocabulo ἱλαστήριον notionem *victimae piacularis* tribuere placet, quod, quamquam *operculum* intelligere malebat, CALVINUS non omnino improbasse videtur. Alii, ducibus MELANCHTHONE et ESTIO, hoc vocabulum non neutrius, sed masculini generis esse putantes, *reconciliatorem* significari contenderunt. Paulo pluribus cum STENGELIO, GLÖCKLERO et RÜCKERTO interpretari visum est *id*, quod ad *reconciliandum* seu *propitiandum ducit*, ser-

---

[1]) In *Clav.* h. v.

[2]) *Theol. Stud. und Krit.* 1842. p. 313 seqq.

[3]) *Geschied. der menschh. naar den Bijbel.* Tom. X. Annot. p. 35.

mone vernaculo *een verzoeningsmiddel.* Nonnulli cum veteri nostro interprete idem plane (*eene verzoening*) hîc scribendum censuerunt atque 1 *Ioann.* II: 2, ubi *ἱλασμός* legitur [1]). Nec frustra quaeruntur conatus in concordiam redigendi variarum partium placita, uti BEZA Graecum Latino *placamentum* reddidit, sed in margine notavit, quod ad omnes, quas recensuit, interpretandi rationes pertinet. Quaenam VV. DD. recte, quaenam minus recte, sive pro sua causa seu contra alios disputaverint, recensere nolo, ne huius loci interpretatio excrescat in molem. Quam brevissime potius periclitari lubet, an ad quaestionem dirimendam nonnihil conferre possim. Recte igitur post alios STUARTUS vocabulum *ἱλαστήριον* proprie Adiectivum esse monet, sicuti alibi [2]) editum legimus *ἱλαστήριος, ία, ιον.* Quod HASIUS in STEPHANI *Thes.* attulit ex NICEPHORO: *χεῖρας ἱκετηρίους, εἰ βούλει δὲ ἱλαστηρίους, ἐκτείνας Θεῷ,* nihil dubii relinquit. Antiquioris tamen aetatis exemplum KREBSIUS depromsit ex IOSEPHO [3]): *ἱλαστήριον μνῆμα — — κατεσκευάσατο.* Hic autem locus probabilem facit REICHII et OLTRAMARII coniecturam, in altero, quem KREBSIUS descripsit, IOSEPHI loco [4]) Adiectivum pro Substantivo substituendum et deleto Articulo *τοῦ* legendum esse: *Διὰ τοῦ αἵματος τῶν εὐσεβῶν ἐκείνων καὶ τοῦ ἱλαστηρίου [τοῦ] θανάτου αὐτῶν ἡ*

---

[1]) Ita etiam USTERIUS l. c. p. 144, 145.

[2]) Lex. Graec. *ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΜΙΧΑΗΛ ΚΟΥΜΑ.*

[3]) *Antiq.* Lib. XVI. Cap. 7. § 1.

[4]) Lib. *de Maccab.* §. 17.

θεία πρόνοια τὸν Ἰσραὴλ προκακωθέντα διέσωσε cui correctioni momentum adiicitur eo, quod propter vocabulorum notiones Genitivus *θανάτου* a Nomine *ἱλαστήριον* pendere non posse videtur. *Exod.* XXV: 17, ubi *operculum arcae foederis* primum memoratur, vocabulo *ἱλαστήριον* quoque Substantivum *ἐπίθεμα* adiunctum est: infra vero vs. 20 sqq. et alibi *operculum* illud dicitur *τὸ ἱλαστήριον*, quo, ut nonnulli cum MEIIERO monent, *Ezech.* XLIII: 15 sqq. *Amos.* IX: 1 aliae etiam res denotantur. E libro Mosaico appellatio *ἐπίθεμα ἱλαστήριον* ad PHILONEM [1]) transiit. Apud Graecos vero nullam rem reperi, quam sibi Adiectivum peculiariter vindicet. Quapropter ubique Nomen, quod intelligi debeat, e circumiectis eruendum est. Ita in duobus locis a STEPHANO allatis intelligendum est *aedificium*. In tertio, i. e. DIONIS *Chrys.* [2]) loco, cuius verbis: *Ἱλαστήριον Ἀχαιοὶ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ἰλιάδι* VV. DD. ad notionem *victimae piacularis* defendendam satis crebro abusi sunt, *monimentum* seu *ἀνάθημα* indicatur, ut clarissime apparet ex proxime praecedentibus: *καταλείψειν γὰρ αὐτοὺς ἀνάθημα κάλλιστον καὶ μέγιστον τῇ Ἀθηνᾷ καὶ ἐπιγράψειν*. Iam per loquendi usum fieri etiam potuisse, ut vocabulo *ἱλαστήριον victima piacularis* significaretur, nemo prudens negabit. Sed exemplum, unde luculenter appareat, Graecos illi revera hanc significationem dedisse, frustra adhuc quaesivi [3]). Ne-

---

[1]) *De Profugis.* §. 19. p. 561 et *de vita Mosis.* Lib. III. §. 8. p. 150.

[2]) DIO *Chrys. Orat.* XI. Part. I. p. 211. EMPER.

[3]) Provocant VV. DD. cum FRITZSCHIO ad NONNI *Dionys.* Lib.

que iis, qui illud sic interpretantur, praesidio est HESYCHIUS, ubi non solum *καθάρσιον*, sed etiam *θυσιαστήριον* adscripsit. In PAULI autem oratione, si GREVIUS recte monuit, pari iure intelligi posse vocabula *θυσίαν*, *λύτρον*, *πρᾶγμα*, *ἄνθρωπον*, circumiecta declarare debent, quid ceteris praeferri mereatur. Ergo hoc infra demum in luce collocari poterit. Nunc vero haud scio, un coniunctio Nominis *ἱλαστήριον* cum Pronomine *ὅν* mihi iam argumentum praebeat dicendi, Nomen illud Adiectivum esse Substantive positum ad *eum* significandum, *qui ad propitiandum ducat*. Hanc enim Activam notionem Nominibus in *ήριος* desinentibus, ut *καυτήριος*, *λυτήριος*, *σωτήριος*, *χαριστήριος*, tribuendam esse nemo negabit [1]). Atque sic quidem reapse non adeo longe discedo a sententia interpretum, qui id, quod inter nostrates dici solet *een verzoeningsmiddel*, significari putant.

XIII. vs. 517. Sed ibi MOSERUS tantum ex coniectura recepit *ἱλαστήρια*. GRAEFIUS edidit *ἱκαστήρια*, quamquam ignorans, ut ingenue fassus est, quid illud sit. CUNAEUS olim coniecerat *ἱερὰ ῥεύματα*. Etiamsi vero probum sit *ἱλαστήρια*, ut iudicarunt quoque MUSGRAVIUS ad EURIP. *Helen*. Vol. III. p. 153 et SCHAEFER. ad *Bos. Ell.* p. 191, interpretari tamen vereor *victimas piaculares*. NONNI verba vs. 516, 517 MOSERO editore haec sunt:

— — — οἵ τε Κελαινὰς
χρυσοφόρους ἐνέμοντο καὶ ἱλαστήρια Γοργοῦς.

Magis in censum venit Compositum *ἐξιλαστήρια*, quo vocabulum *λωφήϊα* nterpretatur *Scholiast*. APOLLONII *Rhod. Argonaut.* Lib. II. vs. 485 in BRUNKII Nov. Ed. Tom. II. p. 165: sed bene notandum est, eum deinceps scripsisse: *τουτέστιν ἱλαστήρια καὶ καταπαυστήρια τῆς ὀργῆς*. Cf. ibid. aliud *Scholion*. p. 488.

[1]) Cf. BUTTMANN. *Ausf. Gr. Sprachl.* Tom II. p. 341.

Verbo *προέθετο*, ad quod nunc progredior, CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, *Ambrosiaster* notionem tribuerunt *antea constituendi* vel *decernendi*. Ita post VATABLUM, MUSCULUM, GROTIUM, KOPPIUS etiam, FRITZSCHIUS, OLTRAMARIUS. Primo autem adspectu haec interpretatio valde commendatur eo, quod Verbum *προτίθεσθαι* in utroque Novi Testamenti loco, in quo legitur, nempe *Rom.* I: 13 et *Eph.* I: 9, notionem illam habet. Atqui huius commendationis pondus iam valde minuitur, si animadvertimus, PAULUM nec scripsisse *ὃν* vel *ἐν ᾧ προέθετο ὁ Θεὸς δοῦναι ἱλαστήριον*, sed Accusativum *ὃν* —— *ἱλαστήριον* cum Verbo *προέθετο*, sine Infinitivo alius Verbi ullave *capti consilii* notatione [1]), coniunxisse. Deinde tantum abest, ut commemoratio decreti Divini hunc in locum quadret, ut probata illa interpretatione sequentia *εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ* cet. cum praecedentibus connecti nequeant. Haud temere igitur, PELAGIO duce, multi interpretes, etiam TURNERUS, BISPINGIUS, MEIIERUS praeferendam censent notionem *ante oculos ponendi*. Et haec quidem, uti in Graecorum scriptis frequentata et *Exod.* XL: 4. *Ps.* LIII: 3 et alibi in V. T. testata est, sic orationi contextae egregie convenit PAULUMque dicentem facit, quod eodem fere redit ac SIMEONIS effatum *Luc.* II: 31, a BENGELIO et diu ante a STRIGELIO excitatum. Aoristo

[1]) Unum alterumve requiri, nisi fallor, docebit comparatio locorum, qui ad notionem *decernendi* vel *constituendi* Medio *προτίθεσθαι* vindicandam in STEPHANI *Thes.* allati sunt, item *Epistola* [IUSTINI] *ad Diognetum*. Cap. 9, ubi auctor sine dubio verba PAULI ante oculos habuit.

autem προέθετο vim suam tribuimus, si illud sine ulteriore temporis definitione [1]) Latinorum Perfecto reddimus: *ante oculos posuit* vel *proposuit.* Sequens vero Accusativus ἱλαστήριον explicandus est: *ut esset reconciliationis auctor.* Sic alibi Simplex ἔθετο cum duplici Accusativo usurpatur, uti *Act.* XX: 28 et 1 *Cor.* XII: 28, quorum locorum in altero legimus: ὑμᾶς ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν, in altero: οὓς ἔθετο ἀποστόλους, i. e. *Vos posuit, ut essetis Episcopi, qui pasceretis* et *quos posuit, ut essent Apostoli.* Eodem modo Accusativi cum Composito nexi sunt in verbis EURIPIDIS [2]):

— — — — — τά τ' ἀλλ', ὅσα,
προὐθέμην ἐγὼ ξένοισι καὶ Θεᾷ καθάρσια.

Ergo Apostolus sibi voluisse videtur: *qui Divinitus hominibus propositus est, ut iis Deum sibi propitium habendi auctor esset.* Quod minime confundendum est cum doctrina 2 *Cor.* V: 19 et alibi obvia, ubi orationis caput non, ut hoc loco, in disputatione de *fide* cernitur. Pronomen autem ὅν si interpretamur τοῦτον γάρ *hunc enim*, vel *quippe quem*, ex PAULI mente vs. 25 cum vs. 24 connectimus, quemadmodum alibi fieri debet [3]).

Transeamus nunc ad verba: διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Quamvis generatim Monachi in scriptoribus suo privandis quam alieno onerandis faciliores

---

[1]) Leg. KÜHNER. Tom. II. p. 73. coll. WINER. p. 318 sqq. MATTH. Tom. II. p. 1116 sqq. MADV. p. 109 sqq. alii.

[2]) *Iphigen. in Taur.* vs. 1193, 1194 HERM.

[3]) Cff. 1 *Cor.* XV: 9 aliique loci, quos in *Comm.* excitavi.

fuerunt, hîc tamen tot libri veteres Articulo *τῆς* carent, ut a LACHMANNO et TISCHENDORFIO, qui illum delerunt, dissentire verear. Sed eodem modo orationem procedere puto, sive sermone vernaculo legatur *door het geloof*, seu tantum *door geloof*. Connexa vero *διὰ πίστεως*, quae olim nonnulli, RÜCKERTO iudice, omiserunt, quoniam sibi praecedenti *ἱλαστήριον* minus consentanea videbantur [1]), omnes hodie VV. DD. unanimi consensu genuina habent. Maiorem difficultatem parit quaestio, quomodo utrumque: *διὰ [τῆς] πίστεως* et *ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι* cohaereat cum praecedentibus. Equidem huius sententiae sum, haud paucos in orationis structura facienda suo magis obtemperasse ingenio, quam simplex illud, quod veri sigillum est, observasse. Tam longe hinc remotum est Participium *δικαιούμενοι* vs. 24, ut formulam *διὰ [τῆς] πίστεως*, quod REICHIO placuit, neutiquam eo referre liceat. Neque ea, ut satis multi cum MEIIERO volunt, referri potest ad Verbum *προέθετο*, ac si PAULUS scripserit: *προέθετο διὰ [τῆς] πίστεως*: quippe quo id, quod mere humanum est, coniungitur cum actione Dei. Bene RÜCKERTUS aliique hanc naturalem structuram esse monuerunt, ut cum proxime praecedenti *ἱλαστήριον* connectatur. Eodem igitur modo agendum est ac vs. 22, ubi verba: *δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ*, uti vidimus, arcte cohaerent. Verumtamen si VV. DD. connexa sic explicant: *ἱλαστήριον* ab hominibus APPREHENDENDUM vel AMPLECTENDUM *per*

---

[1]) Hac de causa verba illa MILLIUS, LOCKIUS et MATTHAEUS, ut FRITZSCHIUS narrat, suspecta habuerunt, sed probitatem eorum defenderunt WOLFIUS et WHITBYUS ad. h. l.

fidem, hunc in locum important, quod suo iporum debent ingenio, et quod hinc alienum esse docebunt sequentia ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Immo illud *per fidem*, etiam sine Articulo, non ostendere videtur, quomodo homines ἱλαστήριον antea propositum suum faciant, sed *qualem Deus hominibus auctorem, quo iis propitius esset, proposuerit.* Graeca autem si Latine interpretamur: *Deum propitium habendi auctorem per fidem*, quisque, nisi fallor, hanc interpretationem eo commendari videbit, quod orationi nihil sit addendum.

Et hanc interpretationem adiuncta: ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι etiam commendare puto. Dubitandum non est, quin Breviloquentiae hîc comitetur Emphasis seu dicendi gravitas. Gravitas, aeque ac vs. 24, in Pronomine αὐτοῦ cernitur, quod Nomen αἵματι praecedit, quo ab animalium sanguine, ut iam notavit MUSCULUS, CHRISTI sanguis distinguatur. Breviloquentiam parit Metonymia, qua CHRISTI *sanguis* dicitur pro *sanguinis effusione*, uti *Matth.* XXIII: 30. *Rom.* V: 9. *Eph.* II: 13 et alibi [1]). Ergo sensus verborum est *in eo, quod suum ipse sanguinem effundendum dedit*, seu quod *mortem ipse oppetiit.* Sed quaestio agitur, quomodo haec cum praecedentibus cohaereant. Nonnulli, uti BENECKIUS et PAULUS ea ad Verbum προέθετο referunt. Ab aliis referuntur ad vocabulum ἱλαστήριον, ab aliis ad coniuncta προέθετο ἱλαστήριον. Omnis vero structura suspecta est, qua interpretes proxima διὰ [τῆς] πίστεως tanquam transsilire coguntur. Haud sine causa igitur LUTHERUS, CALVINUS, BEZA, GROTIUS,

---

[1]) Cf. GLASS. l. c. Tom. II. p. 868.

COCCEIUS, quos, praeter REICHIUM, RÜCKERTUM, OLSHAUSENIUM aliosque, etiam sequuntur HERINGA [1]), OLTRAMARIUS, BAURUS [2]), MAIERUS, PEILIUS, verba *διὰ* [*τῆς*] *πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι* connecti iubent. Sed ubi VV. DD. haec explicant *per fidem ipsius in sanguine positam*, vereor admodum, ne haud secus opinione fallantur, ac SLICHTINGIUS, CRELLIUS, C. VORSTIUS, qui PAULUM dicentem faciunt *interveniente ipsius sanguine.* Frustra provocant ad *Eph.* I: 15. *Col.* I: 4, etiam *Gal.* III: 26 [3]), ubi verba vocabulo *πίστις* subiecta: *ἐν τῷ Κυρίῳ Ἰησοῦ* et *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* sibi interpretationem postulant hinc alienam: *in communione Domini* IESU et *in communione* CHRISTI IESU. Deinde notandum est, formulam *ἐν τῷ αἵματι* similemve in N. T. frequenter usurpari, nusquam vero ita, ut pendeat a Substantivo praecedente, ne quidem *Luc.* XXII: 20, ut ex 1 *Cor.* XI: 25 elucet. Nec praesidium affert id, quod apud IGNATIUM [4]) legimus: *ἵνα πιστεύσαντες εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ τὸ ἀποθανεῖν ἐκφύγητε.* Diu enim iam explosum est commentum, Praepositionem *ἐν* hîc pro *εἰς* positam esse. Praeterea, si illa verborum *διὰ* [*τῆς*] *πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι* probatur explicatio, PAULUS quidem dixisse censendus est, quomodo homines Deum haberent propitium, nec tamen lectoribus ostendisse, quomodo CHRISTUS huius boni auctor esset. Quid? quod verbo-

---

[1]) *Quaestion.* p. 63.

[2]) *Paulus, der Apost. J. C.* p. 536.

[3]) Alius generis est 1 *Tim.* III: 13, ubi legimus *ἐν πίστει τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.*

[4]) *Ep. ad Trallian.* Cap. 2. l. c. p. 22. Cf. *Epist. interp.* p. 60.

rum ordinatio supra iam notata, qua Nomini *αἵματι* Pronomen *αὐτοῦ* praepositum est, perspicue indicat, Apostolum hîc non homines, sed *ipsum* CHRISTUM, quem *ἱλαστήριον* dixisset, spectasse. Nec praetermittendum est, verba *διὰ* [*τῆς*] *πίστεως*, si ad vs. 22 recte disputavi, significare *per fidem in Deo positam*. Quomodo igitur concludenda ratio est? Videlicet formulam *ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι* non tantum referendam esse ad proximam *διὰ* [*τῆς*] *πίστεως*, sed etiam ad remotiora *ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον*. Ita aliis in locis id, quod cum Praepositione *ἐν* vocabulum *πίστις* sequitur, ad totam orationem praecedentem pertinet, uti 1 *Cor.* XII: 9. *Eph.* III: 17. 2 *Thess.* I: 11 1 *Tim.* III: 9. Cff. *Hebr.* IX: 25 et *Apoc.* I: 5. Verbis autem: *ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι* PAULUS, nisi fallor, usus est ad causam memorandam, cur Deus CHRISTUM Iudaeis gentibusque exteris auctorem proposuerit, quo iis propitius esset. Nimirum hanc eius doctrinam esse puto, Deum in hominibus illis peccatorum causa longe a se remotis, ut iis peccata condonet iisque propitius sit, summa sua bonitate requirere tantum fidem in se positam. Iam vero morte sua in cruce IESUS CHRISTUS, qui *Hebr.* XII: 2 *ὁ τῆς πίστεως ἀρχηγὸς καὶ τελειωτής* dicitur, uti obedientiam erga Deum praestiterat omnibus numeris absolutem, ita perfectum huius fidei dederat spectaculum. Ergo Apostolus ad Romanos scripsit, eum a Deo hominibus propositum esse, ut morte sua illos ad fidem duceret, per quam (non *propter quam*) Deum sibi haberent propitium.

Neque aliud ferunt verba: *εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ.* Qui formulam *δικαιοσύνη Θεοῦ* et *Θεοῦ δικαιοσύνη*, Cap. I: 17 et III: 5, 21, 22, Dei

proprietatem vel virtutem significari putent, res ipsa loquitur, hîc eodem modo τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ interpretari. Sed REICHIUS, KÖLLNERUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, MEIJERUS, GURLITTUS [1]) et plerique eorum, qui mecum de eo consentiunt, Cap. I: 17 et III: 21, 22 intelligendam esse *probitatem hominis*, hoc loco *Dei proprietatem* vel *virtutem* intelligi iubent [2]). Aliis tamen hîc etiam *probitas hominis* denotari videtur, quod, quantum mihi cognitum est, nemo doctius et copiosius defendit, quam OLTRAMARIUS. Et sane, si supra probavi, hanc non solum Cap. I: 17 et III: 21, 22, sed etiam Cap. III: 5 veram interpretationem esse, nescio plane, cur me hîc ad aliam convertam. Orationis certe conclusionem εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον cet. hoc non postulare infra videbimus. Neque hoc postulat Articulus τῆς vocabulum δικαιοσύνης praecedens. Quidni enim illum inservire dicam ad eandem hominis, quae vss. 21, 22 laudata est, probitatem in Abstracto proponendam? Praecipua quaestio est, an haec interpretatio praecedentibus conveniat. Atqui si sensum eorum bene assecutus sum, nihil est, quod iis aptius subiungatur, quam *ut ostenderet probitatem hominis a se proficiscentem*. Sic quoque ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ eadem est, quae Cap. IV: 11 ἡ δικαιοσύνη τῆς πίστεως vocatur.

Sed quid sibi volunt apposita: διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων? Recentiori aetate

---

[1]) *Theol. Stud. u. Krit.* 1840. p. 945 coll. 976.

[2]) Ita etiam VINKIUS ad h. l. SCHOLTENIUS, *De leer der Herv. Kerk.* l. c. p. 68 et VISSERING, *Het N. T. vertaald.* p. 190 coll. p. 187, 188, ut in libro humanitate auctoris accepto vidi, postquam hunc locum iam interpretatus eram.

ECKERMANNUS [1]) post multos alios hunc duplicem commisit errorem, ut Praepositionem *διά* interpretaretur *per*, ac si Genitivo praeiret, et vocabulum *πάρεσις* cum affini *ἄφεσις* confunderet. Alterum vero vocabulum, ut COCCEIUS iam demonstravit, *praetermissionem*, alterum *remissionem* significat. Nihil autem impedire, quominus Praepositio *διά*, secundum notionem eius vulgarem, ubi Accusativum post se habet, Latine reddatur *propter*, FRITZSCHIUS aliique satis ostenderunt. Itaque mens PAULI est: *propter praetermissionem peccatorum, quae antea patrata sunt.* Ut autem intelligamus, quid hoc sibi velit, consideranda sunt sequentia vs. 26: *ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ.* Vulgo cognitum est, Praepositionem *ἐν* non solum ante Infinitivum Verbi, sed etiam ante Nomen et Pronomen ad temporis notationem usurpari, ut *Neh.* XIII: 6. *Sir.* XVIII: 24. *Luc.* XXIV: 35. *Act.* VII: 45. Similiter PAULUS hoc loco, quippe dicere volens: *quum indulgentia utebatur Deus.* Quod qui cum FRITZSCHIO, GURLITTO [2]), WETTIO, MEIIERO aliisque referunt ad omnia praecedentia: *διὰ τὴν — ἁμαρτημάτων,* falli omnino videntur. Utrum praetermissio memoretur, *quae antea facta esset*, an *quae* PAULI *aetate fieret*, ipsum vocabulum *πάρεσις* non indicat, sed huic sententiae magis quam illi favet Participium *προγεγονότων*, quo ab ea aetate tempora praecedentia distinguuntur. Verba igitur *διὰ τὴν πάρεσιν* non negant quidem praetermissionem antea factam esse, sed secundum id, quod *Act.* XVII: 30 legimus, explicari debent: *pro-*

---

[1]) *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.* ad h. l.

[2]) L. c. p. 980.

pterea quod fiebat praetermissio. Hoc autem si verum est, quisque sua sponte sentit, inde pendere non posse sequentia: *quum indulgentia utebatur Deus*, sed haec connecti debere cum Genitivo *τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων*, quem apposite ad structuram illam constitutum esse OLTRAMARIUS contra FRITZSCHIUM probavit. Novum argumentum praebet usus Nominis cum Articulo, *τοῦ Θεοῦ*, in quo non Hebraismus cernitur, ut GROTIUS putavit, sed indicium, Apostolum id, quod aliunde mutuatus esset, suam in orationem transtulisse. Atque hinc quoque apparet, ipsa illa *τοῦ Θεοῦ* nihil continere, quo interpretatio mea verborum *τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ* labefactetur. Quonam vero vinculo haec duo: *εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ* et *διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ* colliganda sint, quaestio est, ad quam alii respondeant aliter. Neque ad eam responderi potest nisi eundo per coniecturam. Sed cohaerentiae certe desiderium non relinquetur hac serie orationi constituenda: Quum Deus peccata praetermitteret, quae antea per eius indulgentiam patrata essent, Iudaeis gentibusque exteris, ne probitatis humanae incuria ferri censeretur, *fidei* probitatem esse ostendit, quae a se proficisceretur sibique ideo placeret.

Vix tamen PAULUS haec TERTIO suo dictaverat, quin animadverteret, se Dei, qui probitatem fidei probitatem a se proficiscentem esse ostendisset, primum et princeps non memorasse consilium. Subito igitur filum orationis velut ad se corrigendum recipiens ait: *πρὸς [τὴν] ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ*, i. e. *ad ostendendam probitatem hominis*

a se proficiscentem his nostris diebus. Haec verba praecedentibus, ut RÜCKERTO aliisque placet, substerni nequeunt, si postrema ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ bene interpretatus sum. Sed prior eorum pars tam similis est remotioribus: εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ut summopere se commendet sententia vulgaris, quam nuperrime MEIIERUS etiam probavit, Apostolum id egisse, ut nonnulla repeteret. Cadit autem quidquid ei, OLTRAMARIO etiam iudice, obstare videtur, si repetitio causae tribuitur supra iam indicatae. Exorsus igitur a iam occupatis progreditur ad alia, donec primarium Dei consilium proponat et finem orationis initio eius consentaneum faciat. Vocabulum tamen ἔνδειξιν Articulo τὴν definivit, si cum WETTIO, FRITZSCHIO aliisque assentiri debemus LACHMANNO et TISCHENDORFIO, qui ad librorum veterum fidem eum receperunt. Cur Praepositionem εἰς in πρός mutaverit, difficile dictu est. Utraque, ut STUARTUS exemplis probat, usitata fuit ad *consilium* denotandum. Fortasse alteri alteram nunc praetulit, ne impediretur, quam sententiae suae iam destinasset, conclusio εἰς τὸ εἶναι cet. Verba ἐν τῷ νῦν (sc. ὄντι) καιρῷ per Antithesin quodammodo opposita sunt praecedentibus: τῶν προγεγονότων — — τοῦ Θεοῦ. Eadem formula PAULUS usus est Cap. XI: 5 et 2 *Cor.* VIII: 14, quorum locorum comparatio docebit, alienum ei affingere, qui eum laudare voluisse putent temporis *opportunitatem.* Quod autem vulgo sumunt interpretes, verba τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ hoc loco idem significare ac vs. 25, contra MAIERUM, qui altero *probitatem hominis*, altero *iustitiam Dei* intelligi voluit, se ipsum satis tuetur.

Oratio secundum Editionem Receptam concluditur

verbis: *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ.* Vocabulum vero *Ἰησοῦ* loco suo expulit TISCHENDORFIUS, quocum FRITZSCHIUS, OLTRAMARIUS, MAIERUS aliique consentiunt. Sed causam, cur librarii vocabulum illud hunc in locum importaverint, equidem mihi fingere nequeo, quum formula *πίστις Ἰησοῦ* in N. T. nusquam exstet nisi *Apoc.* XIV: 12, ubi cum Articulo legimus *τὴν πίστιν Ἰησοῦ*, quo homines ad PAULI orationem corrumpendam abusos esse plane incredibile est. Quidni illi potius, si supplere vellent quod desiderarent, praecedentia *πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ* e vs. 22 huc transtulerunt? Contra in libris, qui carent nomine *Ἰησοῦ*, hoc propterea, quod et insolens erat, et hinc aliena censebatur formula *πίστις Ἰησοῦ*, omissum videtur, nisi omissionem quoque peperit error oculorum. Ergo sententia, vocabulum illud genuinum esse, iam multo probabilior quam altera esset, si ab utraque parte starent testimonia veterum pondere aequalia. Atqui Editionem Receptam tuentur Codices antiquissimi BCE, ad quorum auctoritatem accedunt D aliique, in quibus pro Genitivo *Ἰησοῦ* positus est Accusativus *Ἰησοῦν*, item A, interpres Syrus et quotquot prodiderunt, se Genitivum *Ἰησοῦ* corrigere velle. Sine scrupulo igitur calculum adiicio KREHLIO, PHILIPPO aliisque VV. DD. qui hunc Genitivum a PAULO profectum esse existimant. Iam formula *πίστις Ἰησοῦ*, secundum ea, quae supra plus semel de Articulo, item ad vs. 22 de similibus disputavi, *talem fidem in Deo positam* denotat, *qualis auctor* IESUS *est*. Composita *τὸν ἐκ πίστεως*, si eodem modo accipiuntur ac praecedentia *τοῖς ἐξ ἐριθείας* Cap. II: 8, interpretanda sunt *hominem, qui fide illa ducitur*. Verbum *εἶ-*

ναι ex GROTII aliorumque sententia Logice explicari debet, quod MEIIERUS etiam probavit. FRITZSCHIUS acrimoniae, quam orationi inesse censet, succurri vult Graecis Latine reddendis: *ut Deus ipse iustus sit et iustos alios declaret.* Sed acrimoniam aliter se habere ostendit OLTRAMARIUS. Quamvis enim illa duo: εἶναι δίκαιον et [εἶναι] δικαιοῦντα eodem in ordine collocata sunt; in hoc tamen cernitur, quod primarium est et cuius causa illud praecedit. Qui autem Adiectivum δίκαιον et Participium δικαιοῦντα interpretantur *iustum* et *declarantem iustum*, diligenter sibi caveant a *iustitiae forensis* commento, quod VOORSTIUM [1]) etiam refellisse novimus. Sed si *moralis* intelligenda est *iustitia*, quid obstat, quominus Adiectivum Latine reddatur *probum*, Participium *probantem?* Utique nihil est, quod cum loquendi usu Literarum Sacrarum proprio magis congruat [2]). Adiectivum certe δίκαιος variis in locis, in quibus itidem Substantivum δικαιοσύνη legitur, aliud quam *probum* significare nequit, uti *Apoc.* XXII: 11. (secundum GRIESBACHIUM aliosque) 1 *Ioann.* III: 7. II: 29, ubi non solum *homo* δίκαιος vocatur, sed etiam IESUS CHRISTUS et *Deus* [3]). Ita Cap. IV: 5 haud secus Accusativus τὸν ἀσεβῆ (non τὸν ἄδικον) quam paulo inferius sequens Substantivum δικαιοσύνην postulat, ut Participium δικαι-

---

[1]) *Annot. in loc. sel. N. T. Spec.* II. p. 77 sqq.

[2]) Ante multos annos hoc iam evidenter docuit STORRIUS, *Opusc. Acad.* cet. Vol. I. p. 202 sqq.

[3]) Aliter res se habet 2 *Tim.* IV: 8, ubi Adiectivo δίκαιος Substantivum κριτής adiunctum est; sed hîc *moralis* quoque *iustitia* significatur. Cff. HUTHER et WIESINGER in *Comm.* ad h. l.

οὖντα interpretemur *probantem.* Totam autem hanc PAULI orationem, si sensum eius assecutus sum, interpretationi illi favere, nemo negare poterit. Postremam igitur eius partem fidenter explico: *ut, quemadmodum ipse probus est, ita probet hominem, qui fide in se posita ducitur, qualis auctor* IESUS *est.* Hoc autem cum verbis: *πρὸς τὴν ἔνδειξιν — — νῦν καιρῷ* arcte connectendum puto, quippe non adiunctum ad ea explicanda, sed iis ab Apostolo subiectum ad se corrigendum proponendo primario consilio, quo Deus suo tempore probitatem hominis a se proficiscentem in CHRISTO eiusque morte ostendere vellet. Quo etiam fit, ut Praepositiones *πρός* et *εἰς* a se invicem distinguantur. Nunc vero vide, quaeso, quam egregie desinat oratio in idem illud, quod PAULUS vs. 21, 22 miserrimae Iudaeorum gentiumque exterarum conditioni opponere et praedicare incepit.

Vers. 27.

Evicta causa triumphans PAULUS ait: *Ποῦ οὖν ἡ καύχησις,* i. e. *Ubinam igitur* [est] *gloriatio?* Quae non exclamationem, sed quaestionem continere e praecedentibus sequentem, docent Particula *οὖν* et responsio *ἐξεκλείσθη*. Quaestio, quamvis, ut cum ESTIO aliisque bene monet REITHMAYRUS, nullis finibus circumscripta est, Iudaeos tamen spectat. Hactenus recte OECUMENIUS: *τῶν Ἰουδαίων ἡ καύχησις.* Gloriabantur nempe illi, ut supra vidimus, *ὡς μόνοι τῆς θείας ἀπολαύοντες προμηθείας,* quae THEODORETI verba sunt. Iam postquam frustra Apostolus huic gloria-

tioni locum circumspexit et tanquam oculis quaesivit, respondet: ἐξεκλείσθη, *exclusa est*, videlicet novo Dei instituto, ad gentes exteras haud secus quam ad Iudaeos pertinente. Nunc porro rogare potuerat: *quanam re* vel *quouam auctore?* sed reminiscens eorum, quae supra de *lege* disputavit, quaestionem movet: διὰ ποίου νόμου, i. e. *per qualem legem?* Temere nonnulli, quorum a partibus RHOERIUM [1]) etiam stare reperi, negarunt repetendum esse *exclusa est*, quod omnis interpretandi sensus repeti iubet, et REICHIUS, RÜCKERTUS, alii summo iure defenderunt. Planum autem viam nemo deseruisset, nisi VV. DD. in eo, quod ad Rhetoricorum normam exigendum est, argutius philosophati essent. Generali vero quaestioni *per qualem legem?* PAULUS confestim specialem addit: τῶν ἔργων, i. e. ut Breviloquentiae succurratur, *an exclusa est per legem operum?* Formula νόμος τῶν ἔργων legem significari *opera postulantem*, quemadmodum subiecta νόμος πίστεως *legem, quae fidem postulat*, quisque sua sponte intelligit. Nec dubitari potest, quin Iudaeorum causa ita scripserit Apostolus. At cave credas, eum Nomen cum Articulo, τὸν νόμον, reticuisse. Immo sine Articulo reticuit solum νόμον et quaestionem ita posuit, ut sermone vernaculo explicanda sit: *door eene wet der werken?* Huic autem quaestioni accommodata est responsio: οὐχί, *neutiquam*, talem legem hîc in censum venire omnino negans. Quod PAULUS eo maiori iure negavit, quoniam lex ipsa Mosaica, ut MEIJERUS aliique notarunt, Iudaeis ad glori-

---

[1]) *Otium Daventr.* p. 264, 265.

ationem fovendam ansam dederat. Sed quomodo gloriatio exclusa sit, ostendit negationi adiiciens: *ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως*, i. e. *sed per legem fidei.* Nequidquam laborarunt VV. DD. qui cum NOESSELTO [1]) vocabulo *νόμος* notionem *doctrinae* aliamve minus usitatam affingebant, ut nuperrime quoque TURNERUS. Plerique tamen, etiam HODGIUS, STUARTUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, BISPINGIUS, *legem* interpretati sunt, vel certe *vivendi normam et regulam.* Equidem vero rem acu tangi non posse puto, nisi distinctio *τοῦ νόμου* et *νόμου* ad hunc quoque locum adhibeatur. Utriusque enim confusione, quam ipse OLTRAMARIUS, quod miror, cavere nescivit, PAULUM dicentem facimus, *revera fidei legem esse*, quo nihil magis a CHRISTI instituto alienum est. Sed omnia sana sunt, si, PEILII vestigia sequentes, sermone vernaculo interpretamur: *door eene wet van geloof*, seu *door eene geloofswet.* Ex hac enim interpretatione apparet, Apostolum *legis* appellatione tantum per Catachresin usum esse, id unum agentem, ut *veteri legi fidem tanquam novam legem opponeret.*

Vers. 28.

Responsioni praecedenti PAULUS, secundum Editionem Receptam, hanc generalem subiicit conclusionem: *Λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου.* Sed cum inverso ordine TERTIO

---

[1]) L. c. p. 108 sqq.

dictasse: *δικαιοῦσθαι πίστει ἄνθρωπον*, communis propemodum Virorum Doctorum fert sententia. Particularum *οὖν* et *γάρ* utra genuina, utra spuria sit, non ita exploratum est. Verumtamen haec illi cum GRIESBACHIO, KNAPPIO, LACHMANNO, SCHOLZIO, GOESCHENIO, TURNERO et haud paucis interpretibus propterea praeferenda videtur, quod primo adspectu orationem difficiliorem facit. Atqui re penitius inspecta nihil esse deprehendetur, quod hanc impediat responsionis praecedentis confirmationem: *censemus enim probari fide hominem, absque operibus legis.* Si ad Cap. II: 3 Verbo *λογίζεσθαι* notionem *censendi* recte vindicavi, hîc etiam scribatur oportet *censemus.* Plurali auctor usus est, ut, aeque ac supra vs. 9, lectores suos secum deliberantes et ratiocinantes faceret. An Dativus *πίστει*, ut MEIJERUS putat, idem plane denotet ac formula *διὰ πίστεως*, mihi haud secus quam RÜCKERTO dubium est. Fortasse inservit ille ad *conditionem* denotandam, quemadmodum *Act.* XXVI: 18. 2 *Cor.* VIII: 7. *Hebr.* XI: 3 sqq. [1]). Quod si verum est, homo proponitur *fide instructus* vel *fidei particeps.* Nec tantum homo ex Iudaeis, sed etiam e gentibus exteris oriundus. Optime CHRYSOSTOMUS: *Τῇ οἰκουμένῃ τὰς θύρας ἀνοίξας τῆς σωτηρίας, φησὶν, ἄνθρωπον, τὸ κοινὸν τῆς φύσεως ὄνομα θείς.* Quatenus autem LUTHERUS, quem omnes norunt vocabulum *νόμου* orationi adiecisse, hoc nomine culpandus, quatenus excusandus sit, huius loci non est examinare. Postrema *χωρὶς ἔργων νόμου* nihil quoque eo con-

---

[1]) Cf. WINER. p. 246.

ferunt. E disputatis enim ad vs. 21 sequitur ea explicanda esse: *nulla vitae ad legis cuiuslibet praecepta institutae ratione habita.* Et hîc quoque Apostolus *legem* ante oculos habuit *Mosaicam*, sed quominus tamen vocabulum *νόμου* aliud quam generatim *legem quamlibet* significare possit, impedit praecedens *ἄνθρωπον*. GLÖCKLERI sententia, a Praepositione *χωρὶς* pendere Genitivum *νόμου*, ab hoc Genitivo alterum *ἔργων*, eo nititur, quod hunc locum confudit cum plane diverso Cap. II: 14, 15. Illi autem structurae tria obstant: verborum ordo; loquendi usus, ut ostendunt Cap. II: 15. IV: 6, praesertim Cap. IX: 32. *Gal.* II: 16; ipsa PAULI disputatio, quae inepte retrocedit, si auctor dicens inducitur, *absque lege operum*, sed apte procedit secundum interpretationem vulgarem: *absque operibus legis.*

Vers. 29, 30.

Ne vero ulli dubitationi restet locus pergit Apostolus: *Ἢ Ἰουδαίων ὁ Θεὸς μόνον; οὐχὶ καὶ ἐθνῶν; ναὶ καὶ ἐθνῶν*, i. e. *Vel an Deus tantummodo Iudaeorum Deus est? nonne etiam gentium exterarum? nae etiam gentium exterarum.* Nimirum Particulam *ἢ* interpretandam esse *vel an*, vidimus ad Cap. II: 4. Inde autem sequitur hunc vs. arcte connecti debere cum praecedenti, non vero cum vs. 27, ut OLTRAMARIO placuit. Sed V. D. scrupulo, quem ei iniecit vulgaris structura, ut puto, liberatus esset, si ad vocabula *πίστει* et *ἄνθρωπον*, quae vs. 28 Verbo *δικαιοῦσθαι* subiecta sunt, magis attendisset animum. Apo-

stolus, nisi fallor, primum dicere voluit: *Vel an Deus Iudaeis adeo privatus Deus est, ut cohibeatur a probando quovis homine fidei participe?* LACHMANNO, TISCHENDORFIO aliisque obtemperans oratione expuli Particulam δέ, quae in Editione Recepta inter οὐχὶ et καὶ posita, sed iam a MILLIO [1]) improbata est. Unde fit, ut Vocabula illa ουχὶ καὶ una cum sequenti ἐθνῶν ad eandem interrogationem referantur ac sequentia. Cuius distinctionis nobis praeter alios auctor est FRITZSCHIUS. Sed minus recte V. D. expressis Ἰουδαίων ο Θεός cogitando tantum adiici vult Verbum ἐστίν, quo PAULUS rogans inducitur: *Vel an Deus tantummodo ad Iudaeos pertinet?* Idem tamen OLTRAMARIO, PHILIPPO, MAIERO et MEIJERO placuit. Sed locorum, ad quos provocarunt, *Gal.* III: 20 et *Luc.* XX: 38, alter obscurior est, quam ut hanc causam dirimere possit, alter, praesertim si comparatur cum *Matth.* XXII: 32, favet GROTII sententiae, a REICHIO aliisque probatae, orationem sic complendam esse: Ἤ ὁ Θεὸς μόνον Θεὸς Ἰουδαίων ἐστίν; Eandem rationem Cap. II: 28, 29 ineundam esse vidimus. Inter alia autem exempla, quae praesto sunt [2]), eminet 1 *Cor.* XIV: 33, ubi sine dubio Breviloquentiae sic succurrendum est: Οὐ γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς Θεὸς ἀκαταστάσεως, ἀλλὰ εἰρήνης.

Quod vs. 30 sequitur: Ἐπείπερ εἷς ὁ Θεός, i. e. *Quandoquidem utrisque unus idemque Deus est*, responsionem praecedentem confirmat. Quare Colon his ver-

---

[1]) *Prolegom.* p. 159. §. 1453.

[2]) Cf. BOS. *Ell.* SCHAEFER. p. 2, 3.

bis praeponendum est. Pro Particula *ἐπείπερ* in Codicibus aliquot antiquis legitur simplicior *εἴπερ*, quam cum LACHMANNO et TISCHENDORFIO probavit WETTIUS. Sed recte viderunt PHILIPPUS et MEIERUS hanc profectam esse a librariis, qui offenderentur Coniunctione recepta, quippe, quamquam Atticis familiari, in libris Novi Testamenti incognita. Vocabulo *εἷς* *unus idemque* denotatur vel *communis* [1]), quemadmodum multis in locis veterum, etiam *Luc.* XII: 51 et 1 *Cor.* X: 17, quos STUARTUS attulit. Iam effato, quod omni dubio vacat, Apostolus subdit consequentiam: *ὃς δικαιώσει περιτομὴν ἐκ πίστεως καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως.* His verbis secundum Editionem Receptam Comma praeponi debet, non vero, ut KOPPIO placuit, Punctum, quo RÜCKERTUS, quamvis illud auctoris menti accommodatum esse concedit, in orationis formam peccari monet. Futurum *δικαιώσει* haud pauci [2]) pro Praesenti positum esse, alii *iudicium postremum* designare contenderunt; quorum alterum sumit permutationem temporum a Grammaticis temere confictam, alterum nec Verbo *δικαιώσει*, neque huic orationi congruit. Multo melius ERASMUS: „Respexit ad eos, qui adhuc essent in Iudaismo seu Paganismo," quocum summatim consentiunt WETTIUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, MEIERUS. Fortasse tamen hunc locum ad classem eorum referre praestat, in quibus *id, quod ad certam agendi normam fit, quoniam semper*

---

[1]) Ita TITTMANN. *Opusc. Theol.* p. 356, 357.

[2]) Etiam GLASS. Tom. I. p. 313. ZEUN. ad VIG. p. 212. Sed cf. HERM. p. 747.

ita fiet, Futuro denotatur [1]). Quod haud scio an RÜCKERTO et MAIERO etiam maxime placuerit. Vocabulis περιτομήν et ἀκροβυστίαν in Concreto homines significari *circumcisionis participes* et *praeputio instructos*, vidimus ad Cap. II: 25, 26. Apposita autem ἐκ πίστεως et διὰ τῆς πίστεως ut cum GROTIO et plerisque recentioris memoriae interpretibus forma tantum inter se differre credam, a me impetrare nequeo. Consulto enim PAULUS ita scripsisse videtur ad alterum ab altero distinguendum. Quomodo vero utrumque distinguendum sit, candide me nescire fateor. An fortasse auctor Iudaeos, quoniam τὰ ἔργα iactare solerent, ἐκ πίστεως, gentes vero exteras, ab hac iactatione vacuas, διὰ τῆς πίστεως probari dixit? De eo mihi certe persuasum est, priori formula ἐκ πίστεως commonstrari, *quale* illud sit, quod in Iudaeo requiratur, in posteriori διὰ τῆς πίστεως, quae fidem in Abstracto proponit, Articulum non redundare. Sed ulterius progredi nolo, ne in argutias incidam ab haud paucis allatas. At mea me tamen ignorantia non impedit, quominus, quum sermo Latinus hanc tantum admittat interpretationem: *Qui probabit homines circumcisionis participes e fide, et praeputio instructos per fidem*, sermone vernaculo scribendum censeam *uit geloof* et *door het geloof*.

Vers. 31.

Totius disputationis vs. 21 inchoatae conclusio haec

[1]) Vide Cap. III: 20. V: 19. *Matth.* VI: 24. *Luc.* I: 37. *Sap. Sal.* VIII: 9. XENOPH. *Cyr. disc.* Lib. III. Cap. 3. §. 50. ARISTOPH. *Plut.* vs. 174. Cff. BERNH. p. 377. KÜHNER. Tom. II. p. 82, alii.

est: *Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ νόμον ἱστάνομεν.* Pro recepto *ἱστῶμεν* ad fidem librorum veterum substitui *ἱστάνομεν*, LACHMANNUM sequens et TISCHENDORFIUM, quorum iudicium cum multis aliis probavit MEIIERUS. *Confirmandi* vel *stabiliendi* notionem Verbo ipsi propriam esse satis constat. Nulla alia difficultate hic locus laborat, quam quae oritur ex interpretatione vocabuli *νόμον*. *Leges* MOSIS *rituales* significari, ut multi ab antiquo putarunt, summo iure negat KOPPIUS. Recte itidem OLTRAMARIUS et MEIIERUS refellunt eos, qui aut *legem* MOSIS *moralem*, aut *Vetus Testamentum Veterisve Testamenti institutum* seu *Oeconomiam* intelligi volunt. At si supra de eo, quod inter *νόμον* et *τὸν νόμον* interest, recte disputavi, ne *lex* quidem *Mosaica universa* intelligenda est, sed, quamquam Apostolus legem praesertim Mosaicam ante oculos habuit, *id*, tantum, *quod generatim legis appellatione dicitur*. Itaque sensus orationis huc redire videtur: *Meane igitur disputatio de fide quidquid legis est vi sua privat* seu *tollit? Nullo modo, sed quidquid legis est ea confirmat.* Hac autem in oratione *lex* tantum *secundaria*, *fides* vero *primaria* est. Quod si animadvertitur, cadunt, nisi fallor, argumenta, quibus, recentiori maxime memoria, VV. DD. usi sunt ad hunc vs. a Cap. III avellendum et cum Cap. IV connectendum. Nimirum disputationi suae *de fide* PAULUS Cap. IV pondus et momentum adiicit laudando exemplo ABRAHAMI MOSE multo antiquioris. Quomodo vero haec disputatio ad id, quod legis appellatione dicitur, confirmandum inserviat, iam eodem Capite ostendere incipit. Ergo sequendi videntur interpretes, qui vulgarem Capitum

divisionem retinent, etiam STUARTUS, REITHMAYRUS, PEILIUS, TURNERUS, BISPINGIUS. Sed dissentientibus PHILIPPUS aliique [1]) recte quoque opponunt, auctorem Cap. IV: 1 usurum fuisse Particula γάρ, si cum eo vs. praecedentem arcte connexuisset.

---

[1]) Ita quoque iudicasse vidi censorem apud ZELLERUM, *Theol. Jährb.* Tom. III. p. 597.

CAPUT IV.

Vers. 1.

Nihil aliud quam fidem esse, Iudaeis gentibusque exteris aequaliter patentem, quo homines placeant Deo, PAULUS, ut supra monuimus [1]), Cap. IV ABRAHAMI docet exemplo. Hoc Caput cum Capite III cohaerere, ex principio versus 1 iam intelligimus. Editio autem Recepta orationem sic constituit: *Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα;* sed an recte constituta sit, quaestio est ad eius interpretationem pertinens.

Pro vocabulo *πατέρα* Codices eximii cum *Syro* alisque interpretibus antiquis legendum praebent *προπάτορα,* quod GRIESBACHIUS commendatione dignum iudicavit, LACHMANNUS in orationem recepit. Praeter GREVIUM vero, quantum novi, recentiori memoria nemo fuit, quin huic illud praeferret. Haud pauci cum RÜCKERTO Compositum *προπάτορα* pro Simplici *πατέρα* substitutum esse coniecerunt ad ABRAHAMUM Iudaeorum patrem ab ABRAHAMO sectatorum CHRISTI patre

---

[1]) *Introit.* p. 23.

discernendum. Sed nonne mirandum est, homines, qui utrumque discernendum censerent, sibi hoc tantum loco depravationem permisisse, ad finem versus 12 et alibi non item? Nec mirandi causa tolleretur, si constaret, Patres Graecos ABRAHAMUM saepe appellasse *τὸν προπάτορα*, quod certe cum FRITZSCHIO aliisque ex SUICERO [1]) cogi nequit, qui duo tantum attulit exempla ab EUSEBIO petita. Rursus vero, quum N. T. vocabulo *προπάτωρ* prorsus careat, non incredibile videtur, male sedulo corrigendi studio factum esse, ut illud hinc expelleretur. Itaque haud scio, an Apostolus revera scripserit *τὸν προπάτορα ἡμῶν*, i. e. *gentis nostrae conditorem*, ut Poëta vetus [2]) *Iovem προγόνων προπάτορα* nuncupat, et alibi [3]) *Romanorum maiores* ab AUGUSTO dicuntur *προπάτορες*.

Alia quaestio est, utrum Infinitivus *εὑρηκέναι* verbis: *Ἀβραὰμ τὸν προπάτορα (πατέρα) ἡμῶν* secundum Editionem Receptam postponendus, an iis praeponendus sit. Illud TISCHENDORFIO et plerisque placuit, hoc LACHMANNO et paucioribus. Ab utraque parte, ut recte monet KÖLLNERUS, argumenta haud spernenda afferri possunt. Sed testimonia vetustatis suadere videntur, ut ab Editione Recepta discedamus. Neque omnino verum est, quod contendunt VV. DD. Infinitivum *εὑρηκέναι* ceteris praeposuisse, qui verba *τὸν πατέρα ἡμῶν κατὰ σάρκα* coniungere vellent. Hoc enim ab iis etiam factum est, quorum in libris legimus vocabulum *προπάτορα*, cum sequentibus *κατὰ*

---

[1]) *Thes. Eccl.* Tom. I. p. 9.

[2]) SOPHOCL. *Aiax.* vs. 369. BOTH.

[3]) DIO CASS. *Hist. Rom.* Lib. LVI. Cap. 4. Cf. Cap. 34.

σάρκα aegre ac difficulter coniungendum. Utrum autem utri praeferatur, satis certum est, THEODORETUM, *Ambrosiastrum*, LUTHERUM et fere omnes interpretes recentioris memoriae formulam κατὰ σάρκα recte ad Infinitivum εὑρηκέναι retulisse. Haud ignoro quidem, formulam illam plus semel sine Articulo Nominibus praecedentibus adhaerere, uti Cap. IX: 5, item 1 *Cor.* X: 18. *Eph.* VI: 5, quos locos PHOTIUS [1]) iam attulit; sed hoc loco, et orationi vires et nervi inciduntur, et ABRAHAMO temere denegatur adeptio probitatis a Deo proficiscentis, nisi eam facimus structuram, ut verba κατὰ σάρκα ad Infinitivum εὑρηκέναι tanquam finibus suis circumscribendum inserviant. Recepto πατέρα in προπάτορα mutato, res ipsa loquitur, nullam aliam structuram ferri posse.

Hactenus Editionem Receptam omnes fere sequuntur editores et plerique interpretes, etiam HODGIUS, OLTRAMARIUS, STUARTUS, ut una quaestione omnia comprehendant. Et primo sane adspectu PAULUS hanc unam tantum quaestionem: *Quid igitur* ABRAHAMUM, *gentis nostrae conditorem, secundum carnem invenisse,* seu *consecutum esse* [2]) *dicemus?* ad omne meritum viro illi denegandum proposuisse videtur. Hoc autem sumto, vocabulum οὐδέν, quo respondeatur, intelligendum esse, cuilibet exploratum erit. Est tamen, quod huic orationis structurae vehementer obstet, formulam, nempe: *Τί ἐροῦμεν* vel *Τί οὖν ἐροῦμεν* hac in Epistola (et alibi non legitur) ubique ad aliam quaestionem vel responsionem praeparandam usurpari.

---

[1]) *Epist.* 166. p. 235. MONTACUT.

[2]) Cff. RAPH. KYPK. PALAIR. ad h. l.

Quod animadvertens summus GROTIUS interrogandi signum verbo *ἐροῦμεν* subiecit. GROTIUM, praeter alios a MEIJERO memoratos, secuti sunt BOSVELDIUS, HERINGA [1]), TURNERUS, quodammodo etiam MAIERUS. Neque ego probare vereor, quod loquendi usus omnino postulare videtur [2]). Orationem igitur sic constituo: *Τί οὖν ἐροῦμεν* [3]); [Ἐροῦμεν] *εὑρηκέναι Ἀβραὰμ τὸν προπάτορα ἡμῶν κατὰ σάρκα*; atque hanc interpretor: *Quid igitur dicemus?* [*Dicemusne*] *consecutum esse* ABRAHAMUM, *gentis nostrae conditorem, secundum carnem?* Quod aiunt VV. DD. hac structura committi, ut Infinitivus *εὑρηκέναι* suo Accusativo careat, me non valde perturbat. Nimirum propter inopiam, quam lingua Graeca cum Latina communem habet, sexcenties Accusativus omitti debet, ubi illum nostrates vocabulo *het*, Germani suo *es* enunciare solent. Exempla si quis his in Literis requirit, adeat *Matth.* II: 8. *Luc.* XV: 5. XIX: 32. XXII: 13. XXIV: 24. *Rom.* IV: 3. *Phil.* IV: 11. 1 *Pet.* II: 23. His aliisque in locis respicitur id, quod in oratione praecedit vel auctoris in mente fuit. Similiter nunc PAULUM *δικαιοσύνην Θεοῦ* respexisse, GROTII aliorumque sententia est. Et quidni, Infinitivum *εὑρηκέ-*

---

[1]) *Quaest.* cet. p. 63.

[2]) Quod VV. DD. ab AESCHYL. *Eum.* VS. 147 BOTH. mutuati sunt:

Τί τῶνδ᾽ ἐρεῖ τις δικαίως ἔχειν;

etiamsi plane simile esset, ne sic quidem distinctionem vulgarem fulciret. Nam nihil valent exempla extrinsecus allata, quum hac in PAULI Epistola sibi constet loquendi usus.

[3]) MATTHAEUS, *Nov. Test. Graece*, aliique, consentiente BROUWERO nostro, distinguunt: *Τί οὖν, ἐροῦμεν* cet. Quod iam placuisse videtur C. VORSTIO. Sed huic distinctioni idem obstat ac vulgari.

ναι sermone vernaculo interpretans: *het gevonden heeft*, Apostolum rogantem faciam, *an* ABRAHAMUS *id*, quod haud secus Iudaeis quam gentibus exteris negatum esse deprehendebatur, *secundum carnem consecutus esset*, *probitatem*, nempe, *a Deo proficiscentem?* Eodem plane modo ille *Phil.* III: 12 scribens: *Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον*, quod vetus noster interpres reddidit: *Niet, dat ik het alreede gekregen heb*, *summam*, ut in *Comm.* probasse mihi videor, *hominis Christiani perfectionem* significavit. Sic infra quoque vs. 16 verba: *Διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως*, quibuscum conveniunt vernacula: *Daarom* [*is het*] *uit geloof*, spectant *τὸ κληρονόμον εἶναι*, quod vs. 13 praecedit. Ceterum orationem etiam sic distinctam et expositam negans responsio sequatur necesse est. Sed hîc intelligi debet Adverbium *οὐδαμῶς* vel simile, uti 1 *Cor.* X: 19. *Matth.* XXVII: 23. *Marc.* XV: 14 et maxime in locis, quibuscum alia sententia per Particulam *γάρ* cohaeret [1]).

Formulam *κατὰ σάρκα* iam vario modo explicarunt, qui eam cum proxime praecedenti Nomine connectebant. Nec minus inter se discreparunt VV. DD. eam ad Verbum *εὑρηκέναι* referentes. Qui scire cupit, quam diversa interpretibus ab antiquo placuerint, REICHIUM adeat et RÜCKERTUM. Nihil tamen plures fautores nactum est, quam sententia, cuius defensionem nuper OLTRAMARIUS etiam suscepit, *circumcisionem* denotari. Hanc vero sententiam falsam esse, non solum e Plurali *ἔργων* vs. 2, quod formulae *κατὰ σάρκα* respondet, sed etiam e tota disputatione vs. 10—12 sequitur. Iure igitur meritoque interpretationem illam

[1]) Cff. KREBS. l. c. p. 71 sqq. BOS. l. c. p. 809 sqq.

FRITZSCHIUS, WETTIUS, MEIIERUS aliique, utpote hinc alienam, improbarunt. Quid Apostolus sibi voluerit, quaestio est paulo difficilior. Si ad Cap. I: 3 recte disputavi, formula κατὰ σάρκα ab opposita κατὰ πνεῦμα, etiam in locis, in quibus haec expressa non est, uti Cap. IX: 5, distinguitur et significat *id, quod in homine animale ideoque debile et imbecillum est.* Sed quomodo tandem illud ad hunc locum applicari debet? Fortasse ita, ut PAULUM dicentem faciamus, ABRAHAMUM probitatem a Deo proficiscentem non consecutum esse, *quidquid ageret sua imbecillitate duce.* Quod a MEIIERI sententia non longe distare video.

Superest, ut respondeatur ad quaestionem, quomodo hic vs. cum Capite III cohaereat. Imprimis animadvertendum est, quod RÜCKERTUM etiam non fugit, formulam *Τί οὖν ἐροῦμεν;* Cap. VI: 1. VII: 7. VIII: 31. IX: 14, 30, i. e. ubique disputationis sive longioris seu brevioris spectare argumentum, nusquam verba quaedam proxime praecedentia. PAULUS igitur, ad suum loquendi usum provocans, ipse redarguit interpretes, quotquot formulam ad Cap. III: 31, vel tantum, uti FRITZSCHIUS, ad postrema ἀλλὰ νόμον ἱστάνομεν referunt. Contra eam referri iubet ad totam Capitis illius ratiocinationem, quae vs. 27 incipiat a verbis: *Ποῦ οὖν ἡ καύχησις; ἐξεκλείσθη.* Itaque Particula οὖν explicanda videtur: *Si nec hominibus exteris, nec vero Iudaeis ullus patet locus gloriandi, se per legis observationem ad probitatem a Deo proficiscentem pervenisse.* Hac autem explicatione probata, vide, quam egregie cum disputatione praecedenti congruant quaestiones: *Quid,* si res ita comparata est, *dicemus? Dicemusne* ABRAHAMUM, *gentis nostrae conditorem, il-*

lam consecutum esse eo, quod ageret sua imbecillitate duce? Sed inde quoque, nisi fallor, multum momenti et ponderis accedit ad propositam huius loci distinctionem defendendam.

Vers. 2.

Ad quaestionem vs. 1. responsionem reticeri *negantem*, PAULUS vs. 2. perspicue indicat. At ipsius tamen orationis obscuritatem CHRYSOSTOMUS iam questus est. Hinc tanta interpretum discrepantia, ut sententiae vix in classes distribui possint. Plerique tamen distinctionem sequuntur Editionis Receptae: *Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν.* Ergo omnia ita comprehendunt, ut in postremis: *ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν* altera pars Apodoseos cernatur. Sic iam veteres, quantum memini, omnes, ORIGENE praeeunte. Atqui hac distinctione PAULUS, quum Breviloquentia tantum suppleri possit repetendis verbis *ἔχει καύχημα*, inducitur falsissime aiens, ABRAHAMUM, si operibus hoc sibi comparaverit, ut probaretur, non habuisse, quod gloriaretur apud Deum. Haud sine causa igitur CALVINUS, quem, praeter FRITZSCHIUM et REICHIUM, etiam secuti sunt HODGIUS, STUARTUS, PEILIUS, hinc discessit Apostolo ratiocinationem tribuens hac carentem conclusione: *ergo non ex operibus iustificatus est.* Sed oratio huius vs. multo significantius desinit in verba *πρὸς τὸν Θεόν*, quam ut haec praecedentibus *ἔχει καύχημα* etiam cogitando addere liceat. Plura argumenta RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS, MEIJERUS sententiae illi opposuerunt, nec tamen

ipsi attulerunt in medium, quod omnino probandum videatur. Recte KREHLIUS postrema ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν a praecedentibus separari iussit, WOLFII aliorumque vestigiis insistens, HOMBERGKII [1]) etiam, qui Graeca Latine reddidit: *Atqui adversus Deum non habet gloriationem.* Non desunt vero, de quibus ab his aeque dissentiam atque ab aliis. Sed brevitatis causa, quid mihi placeat expromere, quam illa recensere malo.

Ergo verbis ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν Punctum praeponendum puto, quo non amplius a praecedentibus pendeant, sed sententiam contineant sibi constantem et absolutam, quamquam cum sq. vs. 3, cuius ad praeparationem inserviant, arcte cohaerentem. Ad orationem consummandam nihil repetitu aptius est, quam quod proxime adiacet: ἔχει καύχημα [2]). Quum autem illud, ut omnia rite procedant, explicandum sit: ἔχει καύχημα τοῦ εὑρηκέναι δικαιοσύνην Θεοῦ κατὰ σάρκα, hîc plane idem intelligi debet. Apposito vero: πρὸς τὸν Θεόν quidni cum REICHIO interpreter *iudicio Dei*, quemadmodum similia πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους *Act.* XXIV: 16 sibi volunt *iudicio Dei et hominum?* Nec Praesens ἔχει, quod hîc intelligendum, supra expressum est, difficultatem parit, si verba *iudicio Dei* interpretamur: *secundum Literas Sacras, quae Dei nomine loquuntur* [3]). PAULUS enim iudicium

---

[1]) *Parerg. Sacr.* ad h. l. Hactenus non dissentiunt OLTRAMARIUS et KRAUSSOLDUS, *Theol. Stud. u. Krit.* 1842. p. 783 sqq.

[2]) Exempla similia praeter alios afferunt ALT. p. 246, 247. WINER. p. 652 sqq. item STUART, *Gramm.* p. 289 et TROLLOP. p. 212.

[3]) Similiter VINKIUS: „maar (dien roem heeft hij, *volgens de Schrift*) niet bij God."

a Deo de ABRAHAMO latum ad sua tempora revocavit, utpote in Literis Sacris adspectabile. Aliis igitur verbis dixit: *Atqui gloriandi materiam Deum* ABRAHAMO *denegare videmus in Literis Sacris.*

Hoc scopulo superato se ipsa monstrat via praecedentia explicandi. Vocabulum *καύχημα* hîc aeque ac *Gal.* VI: 4 interpretandum est *gloriandi materia.* Praesenti *ἔχει* auctor dicere voluit: *habet in Literis Sacris.* Hinc iam sequitur coniunctis *ἔχει καύχημα* nec addi debere *apud Deum*, neque, ut plerique volunt, *apud homines*, neque etiam, KREHLIO duce, *apud Deum et homines.* Ita nihil quoque addendum esse Verbo *ἐδικαιώθη*, SPOHNIO [1]), PHILIPPO aliisque largior. At in constantem tamen loquendi usum peccant haud secus, qui *Divinae probationis* rationem haberi vetant, quam qui aut cum GROTIO interpretantur *iustus apparuit*, aut cum KOPPIO *virum bonum se gessit.* Haec vero et similia REICHIUS, FRITZSCHIUS, MEIIERUS satis refutarunt. Praecedentibus autem *ἐξ ἔργων* non significantur *opera bona*, *κατορθώματα*, ut, OECUMENIO praeeunte, censuerunt multi, immemores etiam distinctionis ab ipso PAULO *Eph.* II: 9, 10 inter *ἔργα* et *ἔργα ἀγαθά* factae. Nec Latine reddenda sunt *ex operibus suis.* PAULUM enim sine Articulo scripsisse *ἐξ ἔργων*, non vero *ἐκ τῶν ἔργων*, OLTRAMARIUS bene vidit. Sed quomodo V. D. cum aliis Plurale illud ad *circumcisionem* referre potuerit, minus assequor. Generatim, nisi fallor, auctor dicere voluit: *Si enim* ABRAHAMUS *operibus, quaecunque imbecillitate sua duce peragebat, probi-*

---

[1]) *Theol. Stud. u. Krit.* 1843. p. 433, 434.

tatem a Deo proficiscentem consecutus est, seu *hoc sibi comparavit, ut* (scil. a Deo) *probaretur, habet* (scil. in Literis Sacris), *quod gloriandi materiam praebeat.* Sed quidquid huius rei est, verba *ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη opera* proponunt ab ABRAHAMO, *priusquam probaretur, peracta.*

Vers. 3.

Ad confirmandum dictum proxime praecedens eodem in Praesenti PAULUS quaestionem movet: *Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει;* et ad hanc respondet verbis *Gen.* XV: 6: *Ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.* Interpretationem Alex. quam sequebatur, memoriter excitans, pro *καὶ ἐπίστευσεν* substituit *ἐπίστευσε δέ.* Particulam vero *δέ* veteres nonnulli et interpretes hinc expulerunt, ut scriptoris antiqui verba connecterent cum ipsa Apostoli oratione. Formula *λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην*, hoc in Capite ex similibus Cap. II: 26 et IX: 8 explicanda, significat *probitatis loco censeri.* Eodem modo accipiendum est quod legimus apud THEOPHILUM [1]): *Ἡ πίστις σου εἰς ἀπιστίαν λογισθήσεται, ἐὰν μὴ νῦν πιστεύσῃς.* Ergo orationis sensus huc redit: *Quid enim dicunt Literae Sacrae? Fidem autem habuit* ABRAHAMUS *Deo, eiusque in rationes hoc ita relatum est, ut probitatis loco censeretur.* Quae in Codice Hebraeo exstant, reapse eundem sensum habent, ut KNOBELIUS [2]) aliique monent interpretes. Atque hoc PAULUS suum in usum

---

[1]) Ad *Autolyc.* Lib. I. Cap. 8. MAR.

[2]) *Die Genesis erklärt* ad h. l.

convertit, quamvis fides ABRAHAMI ubertatem sobolis spectavit Divinitus sibi promissam. Nec vero, ut bene viderunt FRITZSCHIUS, WETTIUS, OLTRAMARIUS, MEIJERUS, verbis Veteris Testamenti abusus est. Sed hanc causam VV. DD. facilius tuerentur, si probe animadverterent, quod hic etiam locus in luce ponit, Apostolum supra Cap. III: 22 sqq. de nulla alia disputasse fide, quam de *fide*, *auctore* CHRISTO, *Deo habenda* [1]).

Vers. 4, 5.

Ex effato MOSIS PAULUS cogi voluit, ABRAHAMUM probitatem a Deo proficiscentem non consecutum esse operibus, imbecillitate sua duce antea peractis, sed fidem, quam Deo habuisset, in rationes eius ita relatam esse, ut probitatis loco censeretur. Hoc nunc ille sententia illustrat communi, duo afferens sibi invicem opposita, quorum prius est: *Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ ὀφείλημα.* Articulum enim *τό*, in Editione Recepta vocabulo *ὀφείλημα* praepositum, hinc expellendum esse constat. Quomodo Participium *ἐργαζομένῳ* intelligendum sit, inter se disputant VV. DD. nec tamen eius interpretatio difficilis est. Verbum *ἐργάζεσθαι* proprie denotat *manibus operari*, quemadmodum multis in locis Novi Testamenti, ubi Accusativo caret, uti *Act.* XVIII: 3. 1 *Cor.* IX: 6. 1 *Thess.* II: 9, usurpatur. Hinc translatum est ad quaelibet hominum opera,

---

[1]) Mentem meam copiose explicui in Orat. Sacr. de *Gen.* XV: 6 in *Laatste Leerredenen.* p. 139 sqq.

quin etiam, *Ioann.* V: 17, ad Divinam Providentiam [1]). Cum KÖLLNERO tamen causam non video, quominus hîc explicetur *operari mercenariorum more* vel, ut habet VATABLUS, *spe mercedis.* Recte quidem RÜCKERTUS et FRITZSCHIUS ei addere vetant δικαιοσύνην, nec tamen iis assentior, ubi alter interpretatur: *praestare, quae lex Divina praescripsit*, alter: *bene factis edendis intentum esse, quibus Dei favor expugnetur.* Multo minus cum aliis, quos STUARTUS sequitur, *perfectam* intellexerim *obedientiam*, quod summo iure CAMERON [2]) iam reprehendit. Hoc enim in versu Apostolus tantum loco, ut MEIIERUS ait, communi utitur, quocum nihil aliud convenit quam solum *operari*, vel, quod LUTHERO placuit et a multis probatum est, *in operando versari.* Iam quod sequitur ὁ μισθός PHILIPPUS bene explicat: *merces ad eum pertinens:* similiter ὁ ἔπαινος 1 *Cor.* IV: 5. Ex formula autem, Verbo λογίζεται subiecta: κατὰ χάριν, quae aeque ac vs. 16 denotat *in gratiam* vel *gratis*, apparet, quid sibi velit oppositum κατὰ ὀφείλημα. Vocabulum ὀφείλημα, quod in N. T. frustra quaeritur excepto Plurali *Matth.* VI: 12, an Grammatici veteres [3]) recte distinxerint ab affini ὄφλημα, huius loci non est explorare. De eo consentiunt cum Lexicographis recentioris memoriae, illi respondere Latinum *debitum.* Hanc autem notionem non solum habet *Deut.* XXIV: 10 et 1 *Macc.* XV: 8, sed etiam in Graecorum scriptis, uti apud THUCYDI-

---

[1]) Cf. BUDAEUS. p. 369 sqq.

[2]) In *Bibl. Crit.* ad h. l.

[3]) POLLUX. Lib. III. Cap. 9. HERODIAN. PIERS. p. 471. THOMAS *Mag.* ad v. ὄφλημα.

DEM [1]), cuius verba, etiam a STEPHANO allata, haec sunt: Ὁ δ' ἀντοφείλων, ἀμβλύτερος, εἰδὼς οὐκ ἐς χάριν, ἀλλ' ἐς ὀφείλημα, τὴν ἀρετὴν ἀποδώσων, ubi itidem vocabula χάρις et ὀφείλημα conveniunt. Verborum igitur PAULI sensus, nisi fallor, est: *In eius autem, qui mercenariorum more in operando versatur, rationes merces non ita refertur, ut ei gratia fiat, sed ut accipiat, quod ei debeatur.* Non longe aliter CALVINUS BUCERUM sequens: *Si quis sit, qui promereatur aliquid opere suo, res promerita non imputatur illi gratis, sed ut debita redditur.*

Altera pars sententiae communis cernitur in opposito vs. 5: *Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην.* Memorare non lubet multa aliena, quae hoc de loco variarum familiarum Theologi disputarunt. Participio ἐργαζομένῳ nulla fit iniuria, si eodem modo ac vs. 4 explicatur. Ut autem in Antithesi nihil deficeret, sequi debuisset: ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ ὀφείλημα, ἀλλὰ κατὰ χάριν. Sed disputatione sua PAULUS ostendere voluit, hinc amovendum esse quidquid *mercedis* nomine diceretur. Ergo ab iudicio humano ad Divinum transiens, tanquam *generalem agendi normam* id proposuit, quod Literae Sacrae testabantur Deum erga ABRAHAMUM praestitisse. Hactenus cum MEIERO corrigenda videtur sententia REICHII. Ceterum media: πιστεύοντι ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ tantum continent unum alterumque, quod explicatione indigeat. Vocabulo ἀσε-

---

[1]) Lib. II. Cap. 40.

βῆ GROTIUS multique alii *Deorum falsorum cultorem* denotari putarunt. Sed ut eos decepit opinio, ABRAHAMUM intelligendum esse, ita vocabulo illi notionem tribuerunt alienam a loquendi usu in libris Novi Testamenti reperiundo. Haud sine causa igitur hinc discesserunt plerique, etiam OLTRAMARIUS, STUARTUS, PHILIPPUS, MAIIERUS, TURNERUS. Nec tamen rem acu tetigerunt, quotquot acerbitatem vocabuli ἀσεβῆ lenire conabantur. PAULUS neutiquam hominem communi peccandi vitio inquinatum et, ut CASTALIO scripsit, *sontem* proposuit, sed *impium*, quemadmodum cum Vulgata interpretatur CALVINUS, i. e. uti Cap. V: 6, ἁμαρτωλόν, seu *peccati servum*, a veris Dei cultoribus distinguendum. Et studiose quidem Deum τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ dixit, quo clarius eum prae omni, quod humanum est, efferret. Acrimoniae autem orationis augendae causa, formam πιστεύειν ἐπί τινα aliis praetulit, quippe quae cum FRITZSCHIO explicanda videtur *fidem alicui adiungere* vel *adhibere*, quamquam a locis similibus, *Act.* XXII: 19 et *Rom.* IV: 24, distinguendi sunt *Act.* IX: 42. XI: 17. XVI: 31. *Sap. Sal.* XII: 2, in quibus Aoristum legimus. Ergo PAULUM sibi voluisse puto: *Si vero quis mercenariorum more in operando non versatur, sed fidem adhibet ei, qui impium probat, eius in rationes fides ita refertur, ut probitatis loco censeatur.* Quod autem hac in sententia incredibile et plane absurdum videtur, evanescit, si supra Cap. I: 5 et alibi recte monui, πίστιν apud Apostolum esse *fidem, qua se quis totum Deo tradat utpote Patri.* Hoc enim sumto, tantum abest, ut homo, qui ad Deum se convertit fide in eo collocanda, maneat impius, ut peccatorum poenitentia re-

etique et honesti studio ducatur. Sed aliter iudicandum foret, si legeretur *πιστεύοντι μόνον*, uti apud Syrum, qui hunc in locum importavit vocabulum ܒܠܚܘܕ, quo *Rom.* I: 32 et alibi usus est.

Vers. 6—8.

Nunc DAVIDEM PAULUS inducit, non ut doctrinam suam, hominem nihil promeritum per fidem a Deo probari, novo illustret exemplo, sed ut disputatis de ABRAHAMO momentum et pondus adiiciat. Verba eius sunt: *Καθάπερ καὶ Δαβὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων*, i. e. *Quemadmodum etiam* DAVIDES *beatum praedicat hominem, cuius in rationes Deus refert probitatem sine operibus*, vel *qui apud Deum talis est, ut probet eum, nulla vitae antea actae ratione habita.* Vocabulum *μακαρισμός* ter tantum in PAULI Epistolis, ceterum nec in N. T. neque in V. T. interpretatione Alex. legitur. PLATO [1]) tamen aliique veteres illud usurparunt ad *beatitatis praedicationem* denotandam. Insolentior autem dictio: *ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην* inde profecta videtur, quod infra sequitur *ᾧ οὐ μὴ λογίσηται Κύριος ἁμαρτίαν.* De sensu vero nulla controversia est. Sed Apostolum ad DAVIDEM tantum provocasse, ut *disputationem suam de* ABRAHAMO *confirmaret*, intelligimus tum ex usu Particularum *καθάπερ καί*; tum ex convenientia horum verborum cum prae-

---

[1]) *Republ.* Lib. IX. p. 591.

cedentibus; tum ex laudatione loci, qui nihil e DAVIDIS vita petitum continet, et in quo nulla mentio fit favoris Divini, qui *gratis* et *sine merito* in hominem conferatur; tum ex regressu orationis ad ABRAHAMUM vs. 9; tum denique inde, quod auctor hoc in Capite de rebus disputat, quae factae sunt, priusquam lex Mosaica ferretur. Postremo argumento THOLÜCKIUS, RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS, MEIIERUS uti non potuerunt, sed quae dissentientibus opposuerunt, valent etiam adversus HODGIUM, STUARTUM, KREHLIUM, PHILIPPUM, MAIERUM, alios.

Summatim memorato argumento verborum DAVIDIS, *Psalm.* XXXII: 1, 2, PAULUS vs. 7 et 8 secundum interpretationem Alex. haec ipsa eius verba exhibet: *Μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι· Μακάριος ἀνὴρ, ᾧ οὐ μὴ λογίσηται Κύριος ἁμαρτίαν,* quibus nihil ambigui aut obscuri inest. *Beati* [sunt], *quorum remissae sint iniquitates et quorum obtecta sint peccata. Beatus* [est] *vir, cuius in rationes Deus nullo modo peccatum referat.* Coniunctione Particularum *οὐ μή* negationem ingravescere, omnes norunt [1]). De ceteris verbis consulantur, praeter MEIIERUM aliosque, interpretes Veteris Testamenti. Peccatorum autem venia, quam solam DAVIDES praedicat, implicite confirmatur, quod supra de ABRAHAMO dictum est, eum, nulla vitae antea actae habita ratione, per fidem a Deo probatum esse.

[1]) Cff. WINER. p. 592, 593 et, praeter VV. DD. ab eo laudatos, MADVIG. p. 127.

Vers. 9, 10.

A DAVIDE ad ABRAHAMUM rediens PAULUS quaestionem movet: *Ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος ἐπὶ τὴν περιτομὴν ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν;* atque sic disputatio eo progreditur, ut per fidem tam gentes exteras quam Iudaeos a Deo probari efficiat. Abstracta *τὴν περιτομὴν* et *τὴν ἀκροβυστίαν* comprehendunt omnes, quotquot circumcisionem subierunt et praeputio instructi manserunt. Vocabulo *περιτομήν* nonnulli Codices addunt Adverbium *μόνον*, quod intelligi volunt fere omnes interpretes antiquioris et recentioris memoriae. Nec sine causa tamen MEIIERUS dissentit [1]. Apostolus primum se opponit opinioni, rationem hîc haberi circumcisorum. Deinde *haud secus homines praeputio instructos quam circumcisos* in censum venire ait. Similiter alibi, uti *Luc.* XII : 41. *Rom.* XIV : 10, Particulae *ἢ καί* accipiendae sunt. Cuiusnam verbi desiderium relictum sit, KÖLLNERUS, BISPINGIUS aliique minus definire audent. Multis aliena, uti *πίπτει, ἔρχεται, κεῖται,* in mentem venerunt. Alienum quoque est, quod habet Vulgata, etiamsi pro edito *manet*, ex ERASMI coniectura, quam BEZA acutam vocat, legi debeat *manat* [2]. Sed verum non magis assecutos esse puto, qui intelligendum esse contenderent *λέγεται*, uti post alios FRITZSCHIUS, WETTIUS, HODGIUS, MAIERUS, MEIIERUS. Certe Activum *λέγει* vs. 6 facultatem non praebet vs. 9 Passivum *λέγεται* intelligendi. Nec poste-

---

[1]) Cf. WINER. p. 673.

[2]) Similiter verba MINUCII FEL. *Octav.* cap. 32: *cum homo latius maneam* sic corrigenda videntur: *cum homo latius manem.*

rius huius versus membrum, a verbis *λέγομεν γάρ* incipiens, cohaeret cum priori, si DAVIDEM ibi *loquentem* facimus. Quid? quod, ut rectissime monet PHILIPPUS, quaestio PAULI non est, quosnam homines DAVIDES sua beatitatis praedicatione spectaverit, sed in quosnam ipsa DAVIDIS verba, sensu eorum considerato, quadrent. Hoc autem animadvertere negligentes multi interpretes, praeeunte CHRYSOSTOMO, Apostolo Paralogismum a REICHIO notatum obtrudunt, quasi inde, quod ABRAHAMUS ante circumcisionem suam fidei causa a Deo probatus est, sequatur, DAVIDEM de gentibus praeputio instructis, quae itidem fidei causa a Deo probarentur, locutum esse. Praestat igitur cum GROTIO orationi cogitando addere Verbum *γίνεται*, cuius sententiae an CLEMENS *Rom.* [1]) uti REITHMAYRUS statuit, dux fuerit, ubi verbis *Psalm.* XXXII: 1, 2 adiiceret: *Οὗτος ὁ μακαρισμὸς ἐγένετο ἐπὶ τοὺς ἐκλελεγμένους ὑπὸ τοῦ Θεοῦ*, iudicent VV. DD. Quidni vero cum THOLUCKIO, RÜCKERTO, REICHIO, OLTRAMARIO, PHILIPPO, item vetere nostro interprete, reticeri censeamus illud *ἐστίν*, quo nullum esse novimus, quod reticeatur frequentius? Quemadmodum enim cum hoc Verbo saepissime coniuncta est Praepositio *ἐπί* Accusativum post se habens, uti *Matth.* XXV: 21, 23. *Luc.* II: 25, 40. VI: 35. *Act.* IV: 33. XI: 28. *Rom.* II: 2 al. ita locorum, in quibus illud ante hanc Praepositionem cum Accusativo intelligendum est, ad *Cap.* II: 9 attuli exempla. Atque illorum exemplorum nonnulla eo maioris ponderis sunt, quo evidentius confirmant, ita se hoc loco habere orationem PAULI, ut quaestionem non

---

[1]) *Epist. ad Corinth.* cap. 50. l. c. p. 176.

moveat, quid olim sibi voluerit DAVIDES, sed quid nunc sibi velint verba eius. Quum autem Particula οὖν, aeque ac Latina *igitur*, progressui ratiocinationis inserviat et hactenus conveniat usitatis *iam vero*, quaestioni fidenter hunc tribuo sensum: *Iam vero illane verba rationem habent circumcisorum? vel an, nullo discrimine facto, tam homines spectant praeputio instructos quam circumcisos?*

Responsionem auctor tam certam habet, ut eam sine scrupulo relinquat lectoribus suis, quos secum de quaestione deliberantes facit. Posteriori in membro hoc ipse significat scribendo: λέγομεν γὰρ, ὅτι ἐλογίσθη τῷ Ἀβραὰμ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην, i. e. *dicimus enim, in* ABRAHAMI *rationes ita relatam esse fidem, ut probitatis loco censeretur.* Particulae γάρ plerique interpretes, a ROSENMULLERO, KOPPIO, BOEHMIO paucisque aliis discedentes, notionem vulgarem recte vindicarunt. Nec minus recte multi eorum illa *aientem* indicari monent *responsionem, quae reticeatur.* Hoc autem orationis membrum et sequentibus vs. 10 similius, et praecedentibus vs. 9 dissimilius est, quam ut se tueri possit OLTRAMARII aliorumque sententia, responsionem demum vs. 10 dari. Plurale λέγομεν BOSVELDIUS explicat, *nos omnes, qui Iudaei sumus, agnoscimus*, quod tantum ferri posset, si legeremus: ἡμεῖς πάντες λέγομεν. Vulgo illud pro Singulari λέγω positum esse censetur. Et hoc quidem plerique tam exploratum et testatum habent, ut apud eos non amplius in disputationem veniat. Equidem vero talem numerorum permutationem, i. e. *Pluralis usum, ubi plures in censum venire nequeant*, in N. certe T. frustra quaesivi. Nam Plurali λέγομεν seu λέγωμεν *Ioann.* VIII: 48. 2 *Cor.* IX: 4.

1 *Thess.* V: 15 plures denotantur. Hoc autem loco Apostolus ita scripsit, ut lectores suos, quemadmodum Cap. III: 9, 28, 31, secum faceret ratiocinantes. Ergo Graeca Latine explicanda sunt: *dicimus enim vos et ego*, quod referri debet ad communem PAULI eiusque lectorum conclusionem, vs. 3 et 5 e *Gen.* XV: 6 petitam. Hinc apparet quoque, iure meritoque RÜCKERTUM, KREHLIUM, MEIERUM reprehendisse quod FRITZSCHIUS aliique sumsissent, verba τῷ Ἀβραάμ hoc in membro primaria esse. Utique si quid in eo emineret, hoc dicendum esset de coniunctis ἐλογίσθη ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην. Quaestionem enim de *re* esse, non de *persona*, cui illa obtigerit, vs. 10 clarissime docet.

Videlicet hoc vs. 10 auctor, ABRAHAMUM non propterea quod circumcisioni se subiecisset a Deo probatum esse ostendit, et quidem verbis: *Πῶς οὖν ἐλογίσθη, ἐν περιτομῇ ὄντι ἢ ἐν ἀκροβυστίᾳ; Οὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστίᾳ.* Quid sibi velit Particula πῶς, VV. DD. disputarunt. Sed omnis disputatio supervacanea est, quum satis constare videatur, eam, ut etiam MAIERUS monet, non pertinere ad Verbum *ἐλογίσθη*, sed ad connexa *ἐν περιτομῇ ὄντι ἢ ἐν ἀκροβυστίᾳ*, quibus explicetur. Hinc vero, nisi fallor, sequitur, distinctionem vulgarem ita corrigendam esse, ut his non signum interrogandi praeponatur, sed Comma. Illa autem correctio necessaria quoque est, ne cum FRITZSCHIO aliisque sumere cogamur, PAULUM Pronomen *αὐτῷ* omisisse. Per Breviloquentiam scriptum esse *ἐλογίσθη* pro *ἐλογίσθη ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην*, quisque sua sponte intelligit. Ergo sensus verborum huc redit: *Quomodo igitur fides ita, ut probitatis loco censeretur, in rationes relata est, eiusne, qui*

circumcisionis particeps, an qui praeputio instructus erat? Non eius, qui circumcisionis particeps erat, sed praeputio instructus. Nimirum ABRAHAMUM diu, antequam circumcisionem subiret, fidei suae causa a Deo probatum esse, et multi monuerunt interpretes, et iam variis in locis IUSTINUS *Martyr* [1]).

Vers. 11, 12.

Quaestio nunc moveri poterat, cur tandem ABRAHAMO, si praeputio instructus a Deo probaretur, circumcisio imposita sit. Ad eam igitur PAULUS vs. 11 et 12 respondet ostendendo, circumcisionem et ABRAHAMO profuisse et aliis Deo fidem habentibus, aeque atque habuerit ille ipse. Secundum Editionem Receptam primum scripsit: *Καί σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς.* Plerique interpretes, etiam HODGIUS, OLTRAMARIUS, TURNERUS, MEIIERUS, BISPINGIUS, vocabulo *περιτομῆς* Genitivum *Appositionis* contineri putant. Quod Grammatici [2]) exemplorum copia probare conantur. Explicant igitur Graeca: *Et signum accepit, quod est circumcisio.* Sed locis, quos laudant, nullus inest, in quo *res constituta* proponatur et Nomen tamen regens Articulo careat, cuius expers illud profecto esse nequit, si notio eius *vaga* et *infinita* est. Alius enim generis sunt 2 *Cor.* V: 1. *Hebr.* VI: 1. XII: 11. *Iac.* III: 18, item 1 *Pet.* III: 7, ubi auctori fortasse suum restituetur scribendo: *ποικίλης χάριτος ζωῆς.* Ergo, ut admitteretur

---

[1]) *Dial. cum Tryph. Iud.* cap. 11, 23, 119 al.

[2]) WINER. p. 423. STUART. p. 190. TROLLOPE. p. 48.

Appositio, legi deberet: *τὸ σημεῖον ἔλαβε τῆς περιτομῆς*, quod STUARTUM [1]) non omnino fugit. Deinde quominus vocabulum *περιτομῆς* ita interpretemur, impedit sequens *σφραγῖδα*. Huic enim Appositionem inesse, ut FRITZSCHIUS, WETTIUS, PHILIPPUS, alii expresse aiunt, sic etiam sumere debent omnes, quotquot consentiunt cum veteri nostro interprete, qui scripsit: [*tot*] *eenen zegel*. Atqui incredibile plane est, auctorem eadem in sententia et Genitivo et Accusativo Appositionis usum esse, et ita quidem, ut hic illum continuo sequeretur. Quid igitur? An spurius fortasse est Genitivus *περιτομῆς*, Accusativus *περιτομήν*, qui in nonnullis veterum libris legitur, genuinus? Unanimi fere consensu negant et pernegant VV. DD. Neque in eo est, quod mirandi causam praebeat. At me tamen iudice difficultatem tantum parit Accusativus *περιτομήν*, si eandem, quam vulgo Genitivo *περιτομῆς* tribuunt, Appositionem ille continere censetur. Hanc enim adsciscentes vocabulo *σημεῖον*, ne ineptum videatur, cogitando addere cogimur, quod si PAULI in mente fuisset, orationi quoque deësse non posset, veluti *quo ab aliis distingueretur*, vel *favoris Divini*, vel simile quid. Tum interpretatione: *Et signum accepit*, *nempe circumcisionem* hunc in vs. quum vs. 10 desinat in verba: *οὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστίᾳ*, languor infertur intolerabilis. Quod ipsum vehementer etiam obstat vulgari sententiae. Atqui hinc amota omni Appositione, aut mirifice fallor, aut Accusativus *περιτομήν* summopere se commendat. Dicam quod sentio. Orationis Subjectum in Accusativo illo *περιτομήν* cernitur,

---

[1]) *Comm.* ad h. l. Cf. etiam RÜCKERTUS.

Praedicatum in vocabulo σημεῖον. Ab hoc vero utpote primario auctor exorsus est significanter docere volens, *circumcisionem*, quam ABRAHAMUS accepisset, nihil, ut ait *Ambrosiaster*, dignitatis habuisse, sed *signum tantum fuisse.* Quum autem ostensurus erat, *cuiusnam rei* signum fuisset circumcisio, ecce, subito ei succurrit vocabulum σφραγῖδα. Itaque hoc, quippe gravioris notionis quam σημεῖον, illi apposuit, ut Genitivum τῆς δικαιοσύνης ab utroque pendentem faceret. Quemadmodum autem in eo nihil insolens est, ita loquendi usum observamus Graecis Latine explicandis: *Et in eo, quod circumcisionis particeps fiebat, accepit signum,* (quin etiam) *sigillum probitatis;* aliter: *Et circumcisionem accepit, ut ei probitatis signo, quin etiam sigillo esset.* Sic enim in locis, in quibus duo Accusativi Verbum sequuntur, alter eorum, quo Praedicatum proponitur, saepe explicari debet [1]). Praesertim illi in censum veniunt loci, ubi Verbum λαμβάνειν legitur, ut apud XENOPHONTEM [2]): πολλά γέ μοί ἐστι τοιαῦτα συγγεγραμμένα, ὧν ἐγώ σοι οὐ φθονήσω, ἢν τὴν θυγατέρα μου γυναῖκα λαμβάνῃς, i. e. *si filiam meam sumus, ut tibi uxori sit.* Sed nihil similius quam quod exstat *Iac.* V: 10: ὑπόδειγμα λάβετε --- τοὺς προφήτας, ubi et omnes vident Subiectum Praedicato postpositum esse, et nemo interpretari recusabit: *Prophetas accipite, ut vobis exemplo sint.* Una superest quaestio, an probabilis sit mutatio Genitivi in Accusativum. Praeter duos Co-

---

[1]) WINER. p. 260. STUART. *Gramm.* p. 176. TROLLOPE. p. 93. Cff. MATTH. Tom. II. p. 935 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 226. MADVIG. p. 27.

[2]) *Cyr. Disc.* Lib. VIII. cap. 4. § 16.

dices egregios aliosque libros ei favent testimonia omnium antiquissima, interpretis nempe *Syri* et ORIGENIS. CHRYSOSTOMUS, quem KREHLIUS aliique Genitivum omisisse aiunt, Accusativum ante oculos habere debuit bis scribens: *σημεῖον ἔλαβε καὶ σφραγῖδα [τῆς δικαιοσύνης]*. Ita autem scribens sua etiam auctoritate supra propositam huius loci explicationem fulcivit. Quod haud scio an fecerit quoque IUSTINUS *Martyr*, cuius verba sunt [1]): *τὴν περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβεν.* Mirandum igitur non est, Accusativum GROTIO et RÜCKERTO placuisse, nec prorsus displicuisse BEZAE, GRIESBACHIO, aliis. Mihi certe, quidquid contrariam in partem disputatur, persuasissimum habeo, librarios hunc Accusativum, quum eo haud secus ac plerique interpretes propter praecedentem *σημεῖον* offenderentur, in Genitivum mutasse. Si hactenus autem recte disputavi, sequitur verba: *σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ* sibi velle: *sigillo, quo certior fiebat, fidem, quam quis praeputii conditione adstrictus in Deo poneret, probitatem ab eo haberi*, seu *ab eo probari*. ESTIUS, REICHIUS, STUARTUS, KLÖSERUS [2]) etiam, alii, Articulum *τῆς* ad remotiora *τῆς δικαιοσύνης*, non ad proxima *τῆς πίστεως* referentes, naturalem orationis structuram pervertunt et negligunt sequentia *τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας* et *τῆς ἐν [τῇ] ἀκροβυστίᾳ πίστεως*, quae evidenter docent connectenda esse verba *τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ*, ut post LUTHE-

---

[1]) *Dial. cum Tryph. Iud.* cap. 23.

[2]) *Religion = Moralität nach* PAULUS *an die Römer* cet. Ed. II. p. 30.

RUM, CALVINUM aliosque antiquiores, fere omnes recentioris memoriae interpretes viderunt, etiam OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, TURNERUS, MEIIERUS, BISPINGIUS. Quod tota quoque PAULI postulat disputatio, quippe id agens, ut favor, quo Deus ABRAHAMI *fidem* prosecutus est, in luce collocetur. Male nonnulli veteres, ut etiam monet FRITZSCHIUS, pro *ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ*, quoniam idem Substantivum sine Articulo, et praecedere, et sequi videbant, scripserunt *ἐν ἀκροβυστίᾳ.* Male itidem VATABLUM aliosque, ad interpretanda verba *τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ*, pro Imperfecto *erat* Plusquamperfecto *fuerat* usos esse, apparet ex connexo Participio *πιστευόντων* [1]). Hinc autem intelligimus, non solius ABRAHAMI, sed generatim *omnium*, quotquot praeputii conditione adstricti fidem in Deo posuerint, *probitatem* significari. Quapropter Pronomen *αὐτοῦ* orationi non adiectum est.

Cur ABRAHAMUS in circumcisione hoc signum et sigillum acceperit, ostendunt subiuncta: *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας.* Praepositione *εἰς* haud pauci veterum, quos BAUMGARTEN-CRUSIUS, OLTRAMARIUS, STENGELIUS, PEILIUS secuti sunt, *eventum* denotari putantes formulam *εἰς τὸ εἶναι* explicarunt: *καὶ οὕτως ἐγένετο.* Sed recentiori maxime memoria plerique cum MEIIERO committere noluerunt, ut orationis perpetuitatem cohiberent, atque ideo Praepositioni *consilii* tribuerunt notionem, quae in PAULI Epistolis vulgaris est. Ergo illud, quod praecedit, Apostolus *factum esse* scripsit,

---

[1]) Cff. quae supra disputavi p. 324.

ut ABRAHAMUS *pater esset omnium Deo credentium, quamvis homines essent praeputii participes.* Atque sic quidem more suo verborum, quae *Gen.* XVII: 4 sqq. exstant, Allegoricam attulit interpretationem eandemque haud longe quaesitam, quoniam ad *patrem constitutum* vel, quem dicunt, *spiritualem* facillimus transitus est a *patre naturali.* Ita Diabolus *Joann.* VIII: 44 *Iudaeorum pater* dicitur. Praepositio *διά* eodem modo accipienda est ac Cap. II: 27. Participium vero *πιστευόντων* nullum temporum discrimen admittit, quippe, ut multis aliis in locis [1]), pro Nomine substantivo positum.

Iam secundum Editionem Receptam connexa sunt: *εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην.* Particulam *καί* nonnulli veteres omisisse videntur, ne ABRAHAMI soboles compararetur cum *Iudaeis.* At vero explicanda non est: *iis una cum Iudaeis*, sed: *iis una cum ipso* ABRAHAMO, quod huic orationis parti inesse debet, ut cum proxime praecedenti congruat. Verba autem *εἰς τὸ — δικαιοσύνην*, ne impediant, quominus vs. 12 cum 11 connectatur, editores nonnulli, uti GRIESBACHIUS, KOPPIUS, TURNERUS, in Parenthesi posuerunt. Quod WETTIO etiam, PHILIPPO, MAIERO, MEIJERO aliisque interpretibus placuit. Atque hoc sane praestat quam cum FRITZSCHIO et BISPINGIO Praepositionem *εἰς* interpretari *ita ut*, quo sumi debet, eam eadem in sententia et *eventum* et *consilium* denotare, quod plane incredibile est. Sed alia tollendae difficultatis

---

[1]) Cf. WINER. p. 403, 404. [Editionis VI, cuius priorem partem nuperrime ab auctore accepi, p. 316, 317.] Similiter vs. 12 Participium *στοιχοῦσι*, ut ibi probavit FRILIUS.

patet via. Quidni enim verba εἰς τὸ – δικαιοσύνην cum GLÖCKLERO et KREHLIO proxime praecedentibus subiiciamus, ut pendeant a Participio *πιστευόντων* [1])? RÜCKERTUS quidem, OLTRAMARIUS aliique hoc fieri posse negarunt, sed immemores loci similis Cap. X: 10, ubi Praepositio εἰς itidem a Verbo πιστεύειν pendet ad *consilium* denotandum. Et infra vs. 18 videbimus, auctorem eodem modo coniunxisse ἐπίστευσεν εἰς τὸ γενέσθαι. Itaque praeputio instructi inducuntur *credentes, ut suas etiam in rationes referatur probitas*, i. e. *ut ipsi etiam a Deo probentur*. Quum nempe in postremis τὴν δικαιοσύνην, ut post alios MAIERUS bene vidit, orationis Subiectum cernatur, PAULUS probitatem memorat, cuius expertes sunt homines praeputio instructi, sed quae *eorum in rationes* gratis *refertur*. Quod verbum λογίζεσθαι significat de industria ceteris praepositum.

Orationem vs. 12 persequens PAULUS eam a lectoribus sic suppleri voluit: *Καὶ* [εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν] πατέρα περιτομῆς. Quod quum dubio vacet, omnes fere interpretantur: *et ut ille pater esset circumcisorum*. Ne quis autem cum REITHMAYRO miretur, Apostolum non edidissé τῆς περιτομῆς, animadvertendum est, eum, ut Iudaeos describeret, vocabulum περιτομῆς praecedenti ἀκροβυστίας opposuisse, *inverso ordine* incipientem a distinguendi nota, quam in *corpore* haberent. Hinc quoque non solum apparet, vocabulo περιτομῆς proprie, non figurate homines denotari circumcisionis participes, sed etiam sequentia: τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς cet. ita accipienda esse, ut respondeant praecedentibus, πάντων τῶν πιστευόντων. Atque sic novo

---

[1]) Haud scio, an huc quoque voluerit WINERUS p. 613.

potimur argumento refellendi interpretes, quotquot cum PELAGIO hîc *Iudaeos* et *gentes exteras* inter se distingui contenderunt, Tautologiam PAULO affingentes, Parallelismum orationis tollentes, et verba *τοῖς οὐκ* per inversionem duram et a loquendi usu alienam pro *οὐ τοῖς* posita esse sumentes. Non opus tamen est data opera probare, quod hodie nemo paulo prudentior inficiabitur, *solos Iudaeos* intelligendos esse. At gravior quaestio est, utrum *duplex* Iudaeorum *genus*, qui ABRAHAMO tantum circumcisione, et qui ei vita sua similes sunt, *distinguatur*; an vero *unum laudetur genus*, eorum nempe, qui non solum circumcisi sunt, sed fide etiam et probitate ABRAHAMUM imitantur. Apostoli verba sunt: *τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν [τῇ] ἀκροβυστίᾳ πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ.* Et quamvis dirimere non ausim quaestionem, utrum Articulus *τῇ* genuinus an spurius sit, cetera recte ab auctore profecta censent FRITZSCHIUS, WETTIUS, MEIIERUS, alii. Nec molestiam creare potest imago, quam PAULUS a *vestigiis* petiit. Rei quidem accommodatior esset scriptio: *τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραὰμ τοῦ πιστεύσαντος ἐν [τῇ] ἀκροβυστίᾳ*, sed consulto scripsisse videtur: *τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν [τῇ] ἀκροβυστίᾳ πίστεως*, quoniam ABRAHAMI *fides* erat, quam imitaretur vera eius proles. Deinde infringi huius loci vim et gravitatem, si ABRAHAMUS pater etiam dicatur Iudaeorum, nihil aliud cum eo quam circumcisionem commune habentium, res ipsa loquitur. Neque haec verba opposita esse possunt praecedentibus *πάντων τῶν πιστευόντων*, nisi excluduntur Iudaei contumaces. Hinc vero non sequitur, priora: *τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον* ad eosdem Iu-

daeos referenda esse ac posteriora: ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι cet. Quod ne facerent lectores, Apostolus fortasse a Genitivo περιτομῆς transiit ad Dativum τοῖς, quem Dativum *commodi* esse, haud temere cum MEIERO longe plurimi sumunt interpretes. Aliunde quoque quam e consilio duplicis hominum circumcisorum generis distinguendi explicare nequeo repetitionem huius Articuli, quae ab haud paucis reprehensa est et ERASMO iam multum laboris peperit. Utique in PAULI oratione haereo, nisi hunc habeat sensum: *circumcisis dico, non qui circumcisionis tantum participes sunt, sed iis, qui praeter circumcisionem hoc cum* ABRAHAMO *patre nostro commune habent, ut vestigiis insistant fidei, cuius in Deo ponendae ille posteris auctor fuit praeputio nondum exutus.* Particula καί Articulum τοῖς praecedens ius mihi dare videtur orationi inserendi verba *praeter circumcisionem.* Sed me parem non esse fateor ad hanc interpretationem ita probandam, ut nihil desiderii relinquatur. Nec FRITZSCHII, KREHLII, aliorumque, a quibus minus quam a plerisque dissentio, mihi praebuit disputatio, quo illud explerem.

Vers. 13.

Ex aliorum interpretum sententia PAULUS vs. 13 confirmare studet, ABRAHAMUM haud secus gentium exterarum quam Iudaeorum, fidem eius imitantium, patrem esse; secundum alios, Iudaeos fide ABRAHAMI vestigiis insistere debere, ut eum revera patrem habeant. Ita, et, uti e vs. 14 apparet, recte quidem REICHIUS; nec minus recte hunc locum valde vocat ob-

scurum. Prima tamen verba: *Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραάμ* intellectu satis sunt facilia, dummodo nihil alieni iis admiscentes hanc eorum faciamus structuram: *Οὐ γὰρ ἡ ἐπαγγελία* [*ἐγένετο*] *τῷ Ἀβραὰμ διὰ νόμου*. Aoristum *ἐγένετο* iam LUTHERUS, BEZA, GROTIUS, et plerique recentiori memoria, etiam OLTRAMARIUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, BISPINGIUS orationi addiderunt. MEIJERUS nihil aliud quam *ἐστι* requiri censuit; sed quum vs. 14 arguat, vocabulo *ἐπαγγελία* ipsam *promissionem*, non *bona promissa* denotari, Praesens illud, ut iam vidit ESTIUS, ferri nequit. In memoriam igitur Apostolus eadem revocat ABRAHAMI tempora, quae vss. 11 et 12 proposita sunt. Quid autem ille sibi voluerit scribens *διὰ νόμου*, ORIGENEM iam dubitasse video. Plerique fidenter intelligi iubent *legem Mosaicam*. Equidem fretus iis, quae supra disputavi, interpretari neutiquam vereor *legem generatim dictam*, seu *qualemqunque*. Ita vel similiter OLTRAMARIUS, PEILIUS, quodammodo etiam HODGIUS, alii. Atque hac interpretatione probata non amplius obiici potest, quod KÖLLNERUS etiam memorat, PAULI disputationem supervacaneam esse, quum omnes scirent lectores, ABRAHAMUM diu ante MOSEM vixisse. Haud sine causa tamen cum REICHIO, FRITZSCHIO, RÜCKERTO, WETTIO, aliis MEIJERUS se opponit iis, qui formulam *διὰ νόμου* aliter explicant quam *per legem*, i. e. *intercedente lege*, quod sermone vernaculo est: *door middel van eene wet*. Recte etiam PHILIPPUS reprehendit sententiam, Praepositionem *διά* eodem modo ac vs. 11 et Cap. II: 27 accipiendam esse. *Deus* enim, non ABRAHAMUS agens inducitur. Scribens autem: *Non enim per legem promissio facta est*, auctor revertitur ad

Cap. III: 31, i. e. ad *legem* paulisper missam. Sed ad *promissionem* nondum memoratam provocans, novo argumento utitur ad confirmandum, Iudaeos, qui ABRAHAMUM patrem habere velint, fidem eius imitari debere. A minori igitur ad maius transit et, uti iam animadvertit OECUMENIUS, crescit oratio, ipsi *legi* vim denegans efficiendi, quod *circumcisionem* efficere posse negavit.

Plus vero molestiae crearunt connexa: *ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ*, quorum ab interpretatione magna etiam ex parte pendet interpretatio proxime sequentium. Recte FRITZSCHIUS aliique Particulam ἢ in negatione Latinae *nec* respondere aiunt eosque reprehendunt, qui scribi iubent *vel etiam* seu *aut potius*. Sed quidni, misso loco minus apposito *Matth.* V: 17, se tuiti sunt similioribus *Luc.* XVIII: 11. *Rom.* I: 21. 1 *Cor.* XII: 21. *Phil.* III: 12, *Iac.* I: 17, item, cum MAIERO, 1 *Cor.* II: 1 et V: 10? Concedendum tamen est, tali orationi Logicam haud raro Gradationem inesse. Et hîc quidem auctor studiose ABRAHAMUM eiusque sobolem disiunxit, quoniam ille quidem *promissionem* accepit, haec vero *re promissa* gavisa est. Ad quaestionem autem, quid vocabulum *σπέρμα* significet, alii respondent aliter. PELAGIUM et *Ambrosiastrum*, recentiori memoria, praeter ESTIUM, CORNELIUM A LAPIDE et OLSHAUSENIUM, sequentes WALFORDUS et PEILIUS CHRISTUM spectari voluerunt, quippe qui *Gal.* III: 16 perspicue *semen* ABRAHAMI dicatur. Sed, ut ostendit KREHLIUS, loco abusi sunt, qui disputationem alius argumenti continet. Deinde, uti CHRISTUS vs. 24 demum memoratur, ita comparatio vs. 16 cum 18 sufficit ad hanc opinionem redarguendam. Hinc cadere

quoque apparet, quod etiam STUARTUS et TURNERUS contenderunt, una cum CHRISTO *veros* CHRISTI *sectatores* coniungi. Quid? quod sententia, vocabulum σπέρμα *figurate* interpretandum et ad *omnes credentes tam e gentibus exteris quam ex Iudaeis* referendum esse, ne quidem stare potest, quamvis multi VV. DD. etiam REICHIUS, MEIIERUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, BISPINGIUS eam amplexati sunt. Primum enim si vocabulum illud iam vs. 13 notionem *figuratam* habet, causam non assequor, cur Apostolus ei vs. 16 hanc notionem demum vindicaverit. Deinde quum admonitione, quae vs. 16 et *Gal.* III: 16 legitur, notionem *figuratam* esse, haec oratio careat, haud dubie retineri debet eadem *propria*, quae alibi reperitur, uti Cap. IX: 7. XI: 1. Huic argumentationi ponderis gravitatem adiiciunt *Gen.* XII: 7. XIII: 15, 16 ceterique loci Veteris Testamenti promissa Dei ABRAHAMO facta continentes, et ita quidem, ut *soboles* eius *naturalis* intelligenda sit. Hoc autem loco vide, an intelligendo *sobolem* eius, quam dicunt, *spiritualem*, i. e. gentes exteras et Iudaeos fidem eius imitantes, PAULUM non faciamus sic ratiocinantem, ut sumat id, quod probare debuerit. Nihil aliud igitur superest, quam ut cum plerisque interpretibus, quos Graeci praecesserunt, vocabulum σπέρμα *proprie* accipiamus. Quod qui ceteris praeferendum ducunt, mihi fortasse assentiri non recusabunt verborum sensum sic explicanti: *Non enim per legem aliquam factum est, ut, quum* ABRAHAMO *promissio explicate daretur, eadem posteris eius simul daretur implicite.*

Magna vero quaestio est, quomodo his cum verbis in concordiam redigi possint sequentia: τὸ κληρονόμον

αὐτὸν εἶναι κόσμου. Articulum *τοῦ*, in Editione Recepta vocabulo *κόσμου* praefixum, ad fidem librorum veterum, cum GRIESBACHIO, LACHMANNO, SCHOLZIO, TISCHENDORFIO, TURNERO delevi. Ita quoque FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, alii. Frustra vero, orationem Articulo non indigere aientes, excitant *Gal.* VI: 14, ubi vocabulum *κόσμος* sine Articulo praecedit, quoniam non *ipsum mundum*, sed *quidquid homines in mundo optabile ducunt* significat, in sequentibus autem *τῷ κόσμῳ* Articulus, si retineri debet, tanquam digito monstrat *optabile illud, quod propositum est.* Maiori iure compararentur formula *καταβολὴ κόσμου* et similes, si hoc loco Genitivus *κόσμου ipsum mundum* denotare censendus esset. Nunc dicere praestat, Genitivum illum a Nomine pendentem, qui Articulo careat, Articulum etiam respuere, nisi Genitivum *Subiecti* exhibeat, uti *Ioann.* IX: 5. 1 *Cor.* IV: 13. *Iac.* IV: 4. 1 *Ioann.* IV: 14. Hoc loco *Obiectum* proponi inde cogimus, quod vocabulo *κόσμου* Articulus praefixus non est. Deinde ex eo argumentum capio dissentiendi ab interpretibus, qui auctori aut *mundum universum* seu *universitatem*, aut *totum terrarum orbem*, aut *omnes huius terrae incolas* ante oculos fuisse putarunt. Haud secus tamen a via aberrant TERROTIUS [1]) aliique, qui cum SCHLEUSNERO *Palaestinam* intelligi iubent. Etiamsi enim FISCHERUS [2]) effecisset, formulam *πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου Matth.* IV: 8 significare *ὅλην τὴν Ἰου-*

---

[1]) *The Epistle of Paul the Apostle to the Romans; with an Introduction, Paraphrase and Notes*, ad. h. l.

[2]) *De Vitiis Lexicorum N. T.* Prol. IV p. 110 sqq.

δαίαν, ne sic quidem soli vocabulo κόσμου notio illa tribui posset. Imo *alia*, nisi fallor, *pars* in censum venit, et *ingens* quidem *pars incolarum huius terrae*, quae in *gentibus exteris* cernitur. PAULUS sui ipse interpres esse videtur Cap. XI: 15 et 12, ubi vocabula κόσμου et ἐθνῶν sibi invicem respondent. Huic interpretationi praecedens σπέρματι, si *naturalis* ABRAHAMI *progenies* ibi sic vocatur, insigniter favet, quemadmodum ea vicissim corroborat, quae ad notionem illam defendendam disputavi. Et PAULO nihil familiarius est quam Iudaeorum gentiumque exterarum distinctio. Neque aliud suadere connexa, nunc ostendere conabor. De Pronomine αὐτόν mihi breviori esse licebit. Masculinum primo adspectu incommodum videtur, siquidem ABRAHAMUS ipse, uti testatur *Hebr.* XI: 9, 10, 13, rerum promissarum potitus non est, sed de industria auctor illud Neutri αὐτό praetulit, ut lectores bonorum possessionem, initium ab eo ducentem, ad eum etiam referrent, quemadmodum ab ipso iam Deo factum erat *Gen.* XV: 7 al. Proinde quoque in Praesenti scripsit εἶναι, quod ERASMUS aliique minus cogitate Futuro ἔσεσθαι explicandum iudicarunt. Sed aliam insuper habuit causam, cur Praesenti illo uteretur. Recte quidem communis fert interpretum sententia, a MEIERO etiam probata, Articulum τό his verbis praepositum esse ad indicandam Epexegesin; quid vero ad Epexegesin τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι κόσμου vocabulo ἐπαγγελία subiiciendam PAULUM moverit, dubito, an VV. DD. satis in luce collocent. Quidni Apostolus Nominativo τό, uti more receptum erat, Genitivum τοῦ praetulit scripsitque: τοῦ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι κόσμου, i. e. *fore, ut ille heres esset mundi*, sicuti OLTRAMARIUS

multique alii interpretati sunt? Nimirum ita, me iudice, scriptum esset, si id egisset ille, ut Veteris Testamenti verba, quibus ipsa promissio accurate commemoraretur, excitaret. Atqui *rerum promissarum explicationem* dare maluit, ab eo, quod ibi traditum erat, discedentem. Ergo Nominativum τό ceteris praeposuit, ut orationis absolutae sensus huc rediret: *intellige, heredem eum esse mundi.* Atque sic suam ipse Allegoricam promissionis Divinae significavit interpretationem. Exempla, quibus Articulum τό alibi Epexegesin indicare probarent, FRITZSCHIUS aliique VV. DD. e N. T. attulerunt, uti *Rom.* XIV: 13. *Phil.* IV: 10. 1 *Thess.* IV: 1, sed frustra locum ibi quaesivi plane similem. Neque apud Scriptores Graecos reperi, quod magis congruat quam PLATONIS verba: *Πάλιν ὁ λόγος ἥκεν ὁ αὐτός, τὸ μὴ δεῖν προδοῦναι Δίωνα μηδὲ τοὺς ἐν Τάραντι ξένους* [1]).

Quid vero sibi voluit auctor hac Allegorica promissionis Divinae interpretatione: *intellige, heredem eum esse mundi?* Si constat, ut mihi persuasum est, vocabulis σπέρματι et κόσμου *Israëlitas* et *gentes exteras* denotari, se tueri nequit sententia, de qua FRITZSCHIUS, REICHIUS, WETTIUS, MEIIERUS, WALFORDUS, PHILIPPUS, PEILIUS aliique recentiorum maxime interpretum fere inter se conveniunt, *universitatis* proponi *imperium Christo eiusque sectatoribus subiiciendae.* Haud secus vero cadant necesse est pleraque placita hinc discrepantia, quorum distributionem in classes tentare vereor, ne spe fallar suum cuique tribuendi. Verum

[1]) *Epist.* VII. p. 339. Locum mihi monstravit MATTH. Tom. II. p. 730. Cf. KÜHNER. Tom. II. p. 350.

propius assecuti videntur, qui, auctore THEODORETO, *propagationem salutis Christianae inter gentes huius terrae* significari putarunt, ut inter nostrates etiam BOSVELDIUS. Sed ne sic quidem illi rem acu tetigerunt vocabulo *κόσμου* ad *omnes huius terrae gentes* referendo. Et diligenter animadvertendum est, hac in oratione *beneficium* commemorari, non in gentes exteras, sed *in Iudaeos collatum*, a quibus IESUS ipse *Ioann.* IV: 22 gentium salutem proficisci dixit. Proprie igitur, si haec mens auctori fuisset, ABRAHAMUS hoc nomine *mundi heres* vocaretur, quod *posteros habiturus esset, innumerabilem gentium exterarum multitudinem sibi subiicientes.* Vocabulum, nempe, *κληρονόμος* et affinia ab hereditaria Palaestinae possessione ad *possessionem qualemcunque* translata esse, nemo est, qui ignoret. Primariam notionem PAULUS nusquam urget, nisi Cap. VIII: 17 et fortasse *Gal.* III: 29, i. e. in locis a RÜCKERTO laudatis, ubi argumentatio inde ducitur. Sed me nihil temere sumsisse luculenter apparet e verbis *Ies.* LIV: 3: *τὸ σπέρμα σου ἔθνη κληρονομήσει* similibusque *Deut.* IX: 1. *Iudic.* I: 19 (in Cod. Alex. Edit. Ald. et Compl.). *Ezech.* XXXVI: 12, ubi verbum *κληρονομεῖν* itidem vim habet *homines sibi subiiciendi.* Quamnam autem Apostolus, quum ita scriberet, Dei spectaverit promissionem, nova quaestio est. Duplex locorum genus VV. DD. memorant: alterum *Gen.* XII: 2, 3. XVIII: 18. XXII: 18; alterum *Gen.* XII: 7. XIII: 15 sqq. XV: 18 sqq. XVII: 8. XXII: 17. Iam ad PAULI verba interpretanda non illorum, sed horum rationem habendam esse, hodie REICHIUS, KREHLIUS, et fere omnes statuunt. Et sane quislibet ab opinione praeoccupata vacuus videbit, *formam* orationis ibi talem esse, ut censere

debeamus, auctorem eam in usum suum convertisse. Praesertim animum attendere oportet ad verba *Gen.* XXII : 17 : *κληρονομήσει τὸ σπέρμα σου τὰς πόλεις τῶν ὑπεναντίων.* Alterum tamen locorum genus, quum promissionem contineat: *Ἐνευλογηθήσονται ἐν τῷ σπέρματί σου πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς*, Apostolo ansam dedisse videtur ABRAHAMUM in sobole eius *κληρονόμον κόσμου* faciendi suisque verbis hunc sensum tribuendi Allegoricum: *intellige, illum patrem esse posterorum, qui innumerabilem gentium exterarum multitudinem ad salutis suae communionem perducturi sint.* Similiter iam olim Hebraeorum vâtes promissa maioribus facta amplificasse RÜCKERTUS aliique monent VV. DD. Sed ita, nisi fallor, PAULUS mentem suam ipse vs. 17 interpretatur excitandis Dei verbis *Gen.* XVII: 5, quae hîc imprimis in censum venire bene STUARTUS vidit. Quid? quod me infra Cap. XI: 12, 15 ostensurum spero, formulas *πλοῦτος κόσμου* et *καταλλαγὴ κόσμου* eodem tendere.

Negantibus: *οὐ διὰ νόμου* aientia: *ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίστεως* opponens, PAULUS intelligi voluit: *ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ ἐγένετο.* Sensus verborum sine dubio est: *sed per fidem a Deo probitatis loco habitam factum est, ut promissio* ABRAHAMO (explicate) *eiusque soboli* (implicite) *daretur.* FRITZSCHIO vero aliisque iudicibus non animadvertit auctor, promissionem ABRAHAMO, secundum Literas Sacras, iam datam esse, priusquam Deo *fidem* praebuisset; hoc tamen non sequitur e *Gen.* XV : 6, ubi non generatim *fides* eius laudatur, sed sigillatim *fides*, quam in oraculo Divino posuit nunc accepto. Utique *fidem* eius iam manifestat migratio e patria in regionem

incognitam, quam Cap. XII Dei iussu suscepisse traditur. Ad hanc autem migrationem ABRAHAMUM evocans, Deus ei sub conditione obedientiae adeoque *fidei* praestitae vs. 2, 3 promisit fore, ut *per progeniem suam populos quoscunque alienigenas bearet.* Postquam vero itinere peracto *fidei* suae documentum dederat, absolutam demum vs. 7 accepit promissionem: *Τῷ σπέρματί σου δώσω τὴν γῆν ταύτην.* Et hanc similemve promissionem non solum ante expressam *fidei* eius commemorationem (Cap. XIII: 15—17. Cf. XV: 4, 5), sed etiam post eam (ibid. vs. 7) Literae Sacrae repetunt vel potius confirmant, ut iam notavit PHILO [1]) scribens: *Τοῦτ' οὐχ ὑπόσχεσιν μόνον, ἀλλὰ καὶ παλαιᾶς ὑποσχέσεως βεβαίωσιν ἐμφαίνει.* Itaque *Neh.* IX: 8. *Sirach.* XLIV: 19 sqq. antiquioris memoriae Israelitas rem sibi sic proposuisse legimus, ut ABRAHAMI *fidem* praecessisse, Dei promissionem secutam esse censerent. PAULUM autem illos imitatum esse quis tandem est, qui miretur? Ipse quoque IESUS *Ioann.* VIII: 56 duo tempora distinxit aiens: *Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν· καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη*, cuius effati sensum enarrari puto hac Paraphrasi: ABRAHAMUS, *quo de patre gloriamini, longe alius fuit vir, quam vos estis: quum enim, ad migrandum e patria in regionem incognitam vocatus, promissionem acceperat se praevisurum hunc meum diem salutarem, cuius adspectus vobis contingit, exsultans Deo fidem habuit iterque suscepit et peregit; quo factum est, ut mente Divinitus collustratus eum revera praevideret ac laetaretur.*

---

[1]) *Quis rerum Divin. heres.* Tom. I. p. 486. MANG.

Vers. 14, 15.

PAULUS vs. 13 ratiocinatione usus est, quae duas habebat partes, negantem et aientem. Iam vs. 14, 15 stare non posse ostendit quod negatum est. Hinc alterum verum esse vs. 16 concludit. Quod vs. 14 exstat: *Εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου κληρονόμοι, κεκένωται ἡ πίστις καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία,* hanc duplicem admittit interpretationem, ut ei inesse censeatur vel sententia communis, ad negationem praecedentem confirmandam orationi inserta, vel disputationis de ABRAHAMO eiusque sobole institutae continuatio. Et ut huic quidem illud ab interpretibus multis praefertur, ita primo adspectu hunc in locum optime quadrat. Atqui infra vs. 16, ut omnia via et ratione procedant, post verba *διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως* repetendum esse videbimus, *κληρονόμοι κόσμου εἰσι.* Ergo nihil aliud superest, quam ut hîc etiam, Nominativo *κληρονόμοι* Genitivum *κόσμου* cogitando addentes, auctorem inceptum sine intermissione persequentem faciamus. Formulam *οἱ ἐκ νόμου* alii, ut iam monuit ESTIUS, interpretantur *lege obstricti*, alii *legis studiosi*, quod nuper OLTRAMARIUS fortiter defendit, sed FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, KÖLLNERUS, REICHIUS, WETTIUS, MAIERUS, alii recte improbarunt. Iam comparatio loci similis *Gal.* III: 18: *Εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία, οὐκ ἔτι ἐξ ἐπαγγελίας* omnino suadet, ut hoc loco intelligamus *lege obstrictos.* Sed orationis etiam perpetuitas eosdem, qui supra verbis *τῷ σπέρματι αὐτοῦ* denotati sint, i. e. *Iudaeos*, intelligi iubet. Unde tamen non sequitur, vocabulum *νόμου legem* significare *Mosaicam.* Imo hîc

quoque, quamquam *Iudaeos* spectans, *legem generatim dictum* significat, ut OLTRAMARIO etiam visum est. Protasis igitur, me iudice, hunc sensum habet: *si enim illi, qui lege* (aliqua) *sunt obstricti, hoc nomine heredes mundi sunt*, i. e. *hereditatem legi debent*. Cui accommodata est Apodosis: *fides* ABRAHAMI *inanis reddita et promissio ei Divinitus data vi sua destituta est.* Postrema, nempe, ἡ ἐπαγγελία, ne hiatus in orationem importetur, cum CHRYSOSTOMO interpretari debemus: ἡ ἐπαγγελία αὕτη, i. e. *promissio memorata*, seu *quam Deus* ABRAHAMO *dedit*. Hoc autem probato praecedentia ἡ πίστις itidem interpretanda sunt *fides memorata*, i. e. ABRAHAMI, uti THEODORETO, PHOTIO, GROTIO aliisque placuit et omnino necesse est, si hoc in vs. disputationis continuatio cernitur. Neque hanc interpretationem prohiberi eo, quod Nomini ἐπαγγελία Pronomen αὐτοῦ adiectum non est, quisque sua sponte intelliget. Sed ei quoque non obstat, uti cum FRITZSCHIO et OLTRAMARIO VV. DD. aiunt, Plurale κληρονόμοι. Verba enim PAULI, secundum explicationem eorum a me propositam, non sibi volunt, fidem ABRAHAMI et promissionem Dei *huic ipsi Iudaeorum proavo* nihil boni attulisse, sed *posteris eius* non profuisse, neque (quae vis Perfecti est) etiamnum prodesse.

Cur ita scripserit, vs. 15 indicant verba eius: Ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται· οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις. Secundum Editionem Receptam Apodosis Protasin confirmat, uti Protasis versum praecedentem. Varii tamen libri veteres in Apodosi pro recepto γάρ exhibent δέ, quod LACHMANNUS edidit et probarunt GROTIUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS. Et sane illud huic loco accommodatius esse videtur quam

alterum, quod retinere nesciverunt nonnulli, uti KOPPIUS et ROSENMULLERUS, nisi aliena notione, qua nodum expedirent, ei tribuenda; sed nonne credibile est ab antiquo homines id, quod facilius est, iam pro difficiliori substituisse? Haud temere igitur TISCHENDORFIUS Particulae γάρ, cui in priori Editione praetulerat δέ, in posteriori Editione sedem suam restituit, GRIESBACHIUM, SCHOLZIUM, GOESCHENIUM sequens et secum consentientes habens plerosque, quorum a partibus etiam stant STUARTUS, REITHMAYRUS, MAIERUS, TURNERUS, BISPINGIUS. Nec multum valere suspicionem FRITZSCHII, frequentationem recepti γάρ (vs. 13—15) librariis hanc fraudem fecisse, ut illud etiam hoc in loco pro genuino δέ scriberent, luculenter docebit comparatio aliorum locorum, uti Cap. I: 16—20. II: 12—14. V: 6—8. VII: 18, 19, ubi huius Particulae repetitio aut neminem, aut admodum paucos in errorem perduxit. Graeca sine scrupulo Latine interpretor: *Lex enim iram efficit: nam ubi lex non est, ne quidem delictum.* Et arduus quoque labor non est, quem plerorumque verborum parit explicatio. Particula οὐδέ hîc aeque ad Cap. III: 10 et alibi respondet Latinis *ne quidem.* Vocabulum παράβασις, *legis* commemorationi consentaneum, cuius causa etiam Cap. II: 23 exstat, iam olim interpretes a magis trito ἁμαρτία distinxerunt: CALVINUM, GROTIUM, BENGELIUM laudat HODGIUS, REITHMAYRUS THOMAM *Aquinatem.* Proprie hoc vocabulo significatur *transgressio limitum*, παράβασις ὅρων, ut apud PLUTARCHUM [1]) legimus. Praecedens ὀργήν eandem notionem habet ac supra Cap. II: 5, 8, neque igitur, ut

[1]) *Moral.* p. 122. D. E.

PHILIPPUS bene monet, aut irae *conscientiam*, aut iram *hominis* denotat. In verbis autem: *iram efficit* effectum pro causa positum esse, ut intelligendum sit *delictum*, *quod iram parit*, nemo negabit. Prioris vero membri sensum esse: *lex enim, teste experientia, propter vitiositatem hominum, delinquendi et hac de causa in iram incurrendi ansam praebet*, prae aliis mihi REICHIUS probasse videtur. De interpretatione tantum vocabuli *νόμος* ab hoc V. D. valde dissentio. Sed etiam a FRITZSCHIO, RÜCKERTO, KÖLLNERO, WETTIO, KREHLIO, PHILIPPO, MEIJERO et interpretibus fere omnibus. Fidenter asseverant illi, hoc vocabulum, tam in posteriori membro, ubi Articulo careat, quam in priori, *legem Mosaicam* significare. Equidem vero, quamvis non dubito, quin PAULUS *hic* legem illam ante oculos habuerit, praecedentia tamen *ἡ πίστις* et *ἡ ἐπαγγελία* considerans, eum Articuli usu nihil aliud egisse puto, quam ut lectorem ad *legis supra memoratae* cogitationem duceret; quemadmodum HIPPIAS apud PLATONEM [1]) dicit: *Ἡγοῦμαι ἐγὼ ἡμᾶς συγγενεῖς – – – εἶναι φύσει, οὐ νόμῳ· τὸ γὰρ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φύσει συγγενές ἐστιν, ὁ δὲ νόμος, τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων, πολλὰ παρὰ τὴν φύσιν βιάζεται.* Sed prorsus ignoro, quid VV. DD. adeo occoecaverit, ut non viderent, illic, aeque ac Cap. III: 20. V: 13. VII: 8, principium aliquod generale seu Proverbium [2]) exstare, nullo modo

---

[1]) *Protag.* p. 337 D.

[2]) Ita BOSVELD. et TURNERUS, ad h. l. Neque ipsum RÜCKERTUM hoc omnino fugit ad Cap. II: 12. Sed cff. etiam ROSENMULLERUS et MAIJERUS ad h. l. et USTERIUS l. c. p. 64.

ferens, ut simplex *νόμος legem* significet *Mosaicam*. Hoc eo magis urgendum est, quod et e re ipsa, et e Cap. V: 14 apparet, falsam esse sententiam, *ubi lex Mosaica non sit, ibi ne quidem delictum esse.* Et quisquis PAULO hanc mentem tribuit, ab homine, qui, Articulo nunc adscribendo, nunc sine causa omittendo, suam ipse orationem lectori ambiguam fecerit, mirabilis levitatis culpam frustra amovere periclitabitur. Sed omne negotium sublatum est, si vocabulo *νόμος lex* intelligitur *generatim dicta*, quod FLATTO, AMMONIO paucisque aliis placuit, sed pro quo nemo gravius disputavit quam OLTRAMARIUS [1]). Itaque uti pars altera huius membri, ubi vocabulum *παράβασις* etiam Articulo caret, explicanda est: *ibi nullum plane delictum est*, sic mihi persuasum habeo alteram explicari debere: *ubi enim nulla lex est.* Hac autem interpretatione mihi simul otium fecisse videor explorandi, quaenam necessitudo inter haec duo membra intercedat. Nam de eo, quod pro negatione aiente non usus est orationis forma: *οὖ γὰρ ἔστι νόμος, ἔστι καὶ παράβασις*, Apostolum illi tantum reprehendere possunt, qui ab eo accipere cupiunt, quod magnae exceptioni obnoxium est. Ad quaestionem vero, quomodo verba: *Ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται* cum praecedentibus cohaereant, nihil habeo quod respondeam, praeterquam

---

[1]) PHILIPPI annotatio, PAULUM vocabulum *παράβασις* ubique ad iussum Divinum referre gentibusque exteris quidem *παραπτώματα*, sed nusquam *παραβάσεις νόμου* tribuere, me refellere nequit, quum ipse sumam, Apostolum, ubi de lege *generatim* loqueretur, *legis Mosaicae* non fuisse immemorem.

quod iam responderunt THEOPHYLACTUS, CALVINUS, BEZA, ESTIUS, alii cum plerisque interpretibus recentioris memoriae, auctorem id tantum egisse, ut postrema vs. 14: *κατήργηται ἡ ἐπαγγελία* confirmaret. Hoc enim, quamvis praetermissio connexorum *κεκένωται ἡ πίστις* mirandi causam praebet, probabilius tamen est, quam quod GLÖCKLERUS, MAIERUS, alii suo quisque modo commenti sunt.

Vers. 16.

Disputatione vs. 14 et 15 sic instituta, ut stare non posse ostenderet, quod vs. 13 negasset, nunc aientem ratiocinationis ibi propositae partem veram esse concludit verbis: *Διὰ τοῦτο* (scil. *ἐστί*) *ἐκ πίστεως, ἵνα* (scil. *ᾖ*) *κατὰ χάριν*. Haec autem supra iam vidimus ita supplenda esse, ut vocabulo *πίστεως* addamus: *κληρονόμοι κόσμου εἰσίν*, vocabulo *χάριν* itidem: *κληρονόμοι κόσμου ὦσιν*. Eandem interpretandi viam post alios ingressus est MEIERUS, qui recte etiam monet, comparationem formulae *ἐκ πίστεως* cum praecedente *ἐκ νόμου* (vs. 14) intercedere, quominus, ducibus FRITZSCHIO multisque interpretibus, orationi inseramus *ἡ ἐπαγγελία γίνεται* vel *ἐγένετο*. Hoc ideo quoque ferri nequit, quod subiecta: *εἰς τὸ εἶναι* cet. *promissionis* demum rationem habent. Itaque sensus verborum esse videtur: *Propter a fidei debent hereditatem mundi, ut hoc debeant Dei gratiae* seu *favori*. Formula *διὰ τοῦτο* lectores ad praecedentia reducuntur, quemadmodum aliis locis a KREHLIO allatis. RÜCKERTUS eam cum Particula *ἵνα* coniungens et coniuncta explicans:

eo consilio, ut, nexum tollit, quo haec oratio cum verbis *διὰ δικαιοσύνης πίστεως* (vs. 13) cohaeret.

Quod sequitur: *εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν παντὶ τῷ σπέρματι*, pendet a praecedentibus: *ἵνα κατὰ χάριν* ad hoc eius *consilium* proponendum: *ut rata sit promissio omni soboli*, scil. ABRAHAMI. Hactenus hodie, praeeunte CHRYSOSTOMO, plerique inter se consentiunt interpretes, etiam HODGIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, BISPINGIUS, qui haud male duplex consilium comprehendi monuit: alterum, ut promissio effectum sortiatur; alterum, ut omnis ABRAHAMI soboles hoc obtineat. Qui tantum *eventus* rationem haberi putant, orationis vim imminuunt perpetuo eius progressu reprimendo. Quod nemo magis prodidit quam OLTRAMARIUS, verbis *ἵνα κατὰ χάριν* admonitionem contineri aiens interiectam, cuius nullum, si abesset, relinqueretur desiderium. Uti autem *Act.* III: 19. *Eph.* IV: 12—14 *consilium* consilio subiectum est, sic supra vs. 11 Praepositio *εἰς* bis ad illud enunciandum inservit. Verba *εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν* praecedentibus *κατήργηται ἡ ἐπαγγελία* opposita esse, nemo inficiabitur. In sequentibus *παντὶ τῷ σπέρματι* Adiectivo praeparatur Allegorica Substantivi interpretatio, quae haec est: *οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ*. Magni enim ERASMI coniectura, hanc fieri debere structuram: *οὐ τῷ Ἀβραὰμ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ (Ἀβραὰμ) ἐκ πίστεως*, uti in totam PAULI incurrit disputationem, ita vs. 12 obiter inspecto prorsus cadere deprehenditur. Pluris pendenda quaestio est, utrum priora *οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον gentem Iudaeam*, an *Iudaeos credentes* significent. Illud sibi placere monuerunt GROTIUS aliique pauciores, hoc hodie

cum fere omnibus tenendum censet MEIERUS. Equidem, si oratio eodem modo ac vs. 12 decurreret, pauciores quam plures sequi mallem. Quin etiam periculum facerem Graeca explicandi: *non illi naturali dico* ABRAHAMI *soboli, quae legi tantum Mosaicae subiecta est.* Ipsis enim verbis nihil amplius inest quam talis sobolis descriptio. Atqui quum praecedentia homines proponant hereditatis mundi ABRAHAMO Divinitus promissae ideoque gratiae Divinae participes, alii *Iudaei* intelligi nequeunt, quam *proavi sui fidem imitantes.* Hinc autem apparet, sequentia: *ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ*, missis Iudaeis, *eos solos* spectare, *quotquot inter gentes exteras* ABRAHAMO *fide similes sint.* Sed ipsa illa sequentia mihi huius interpretationis tuendae argumentum praebere videntur, quod alios non attigisse reperi. Nimirum studiose PAULUS coniunxit verba *τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ*, ut lectores *talem* sibi proponerent *fidem*, *qualis auctor fuisset* ABRAHAMUS [1]). Atque hanc nullam aliam *fidem* esse, quam a proavo illo habitam, *priusquam praeputio exutus esset*, ex comparatione vss. 9—12 perspicue intelligimus. Ergo, qui hîc fidei ABRAHAMI participes esse dicuntur, *homines* tantum esse possunt *praeputio instructi*, i. e. *e gentibus exteris orti.* Propterea autem, quod Iudaeis ABRAHAMO fide similibus imitatores eius e gentibus ortos seorsim addiderat, auctor postremum utramque partem comprehendit verbis, quae praecedentibus: *παντὶ τῷ σπέρματι* respondent: *ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν*, sed ad haec infra revertemur. Formula *ἐκ τοῦ νόμου legem Mo-*

---

[1]) Cff. disputata de formulis *διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ* et *ἐκ πίστεως Ἰησοῦ*, Cap. III: 22, 26.

saicam significari elucet inde, quod ei non *fides*, sed *fides gentium exterarum* opposita est.

Vers. 17.

Cum vs. 16 connexum esse vs. 17, quisque sua sponte videt; sed quomodo connexi sint, lis agitur inter VV. DD. Editio Recepta nobis verba sic proponit: (*Καθὼς γέγραπται· Ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε*) *κατέναντι οὗ ἐπίστευσε, Θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς, καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα.* Iisdem Parentheseos notis cum TURNERO plerique editores usi sunt easque probarunt interpretes longe plurimi, etiam GREVIUS, STUARTUS, HODGIUS, OLTRAMARIUS, MAIERUS, PEILIUS, VINKIUS, BISPINGIUS, et sane PALMIUM, FRITZSCHIUM, BAUMGARTEN-CRUSIUM, REITHMAYRUM, KREHLIUM, PHILIPPUM et quotquot, ORIGENIS aliorumque veterum vestigia sequentes, Parenthesin tollerent, dicere non possum orationem ita interpretatos esse, ut plausum ferre mererentur. Pars enim prodiderunt, se cohaerentiam orationis claram et perspicuam facere non posse; pars auctori suo ex ingenio aliena obtruserunt; pars hiatum, quam multorum interpretatio peperit, ipsi vero amovere cupiebant, reliquisse deprehenduntur: omnes vero suo quisque modo docuerunt, verba *κατέναντι οὗ ἐπίστευσε* sqq. cum praecedentibus: *καθὼς – τέθεικά σε* ita coniungi non posse, ut ab iis pendeant. Multo minus ad seriem orationi constituendam profecerunt, qui cum LUTHERO tertiam personam *ἐπίστευσε* mutabant in secundam *ἐπίστευσας*, uti iam olim *Syro* placuit paucisque aliis. Nam haec mutatio, etiamsi

plurimis et gravisissimis testimoniis niteretur, ne sic quidem tolerari posset, quippe oraculo Divino insolenter cogitata PAULI admiscens. At a me tamen impetrare non possum, ut probem Parenthesin, quae ipsa ratiocinationem Apostoli non solum ex improviso interrumpit, sed ei etiam, quod per uncos a circumiectis separat, multum sui ponderis adimit. Fortasse VV. DD. nodi expediendi rationem magis assecuti essent, si contigisset iis in Apostoli mentem eiusque consilium paulo penitius introspicere. Quamvis nempe huc usque ad communis hominum, quotquot eius fidem imitarentur, patris titulum ABRAHAMO vindicandum humano more disputaverat; se tamen lectoribus nondum commonstrasse videbat, quaenam ad efficiendum, eum iure suo hunc honoris titulum gerere, ratiocinationibus suis maiora et superiora essent. Ergo vs. 18, ut fidei eius magnitudo plane singularis in oculos incurrens ostendat, qualis quantusque fidei tam gentibus exteris quam Iudaeis auctor adeoque pater sit, ad memoriam redit temporis, quo ille iam senex et prolis expers, ad quam Divina pertinebat promissio, inter spem et desperationem diu haesitaverat. Priusquam vero eo progrediatur, vs. 17 ad auctoritatem omni testimonio graviorem provocat, ad auctoritatem ipsius Dei. Et hoc, nisi fallor, ita facit, ut duo probatum eat: alterum (*καθὼς – τέθεικά σε*), Deum olim promissione sua, antequam ISAÄCUS nasceretur, edita ABRAHAMUM omnium, quotquot fidem eius imitaturi essent, constituisse patrem; alterum (*κατέναντι – ὡς ὄντα*), Deum nunc vi sua omnipotenti id agere, ut haud secus gentes exterae atque Iudaei, ABRAHAMO fide similes, hunc ipsius in oculis suum patrem habeant. Utrumque autem per

Asyndeton, in commotioris animi oratione frequentissimum [1]), a verbis ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν pendere puto. Sed inde sequitur, haec verba, ut in eandem sententiam atque illa cogantur, Commate in Colon mutato, a vs. 16 ad vs. 17 traiicienda esse, ut BOSVELDIO etiam placuit. Atque sic exordio vs. 17: Ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν, καθὼς γέγραπται cet. omnino respondet exordium vs. 18: Ὃς παρ' ἐλπίδα cet. quod quoque huius distinctionis probandae argumentum praebere, nemo facile inficiabitur.

Itaque PAULUS pro eo, quod adhuc ratiocinatus est, Deum testaturus ait: Ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν. Ad confirmandam autem sententiam praecedentem, quacum haec etiam verba cohaerent, dicere voluit: *Est enim ille pater omnium nostrum*, i. e. quotquot, tam e gentium exterarum quam ex Iudaeorum stirpe, CHRISTI sectatores sumus. Similiter Pronomen ὅς 1 *Cor.* XV: 9 et alibi ad praecedentia confirmanda usurpatur [2]). Haec vero demum intelligi possunt, si cum iis comprehenduntur sequentia: καθὼς γέγραπται· ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε, i. e. *quemadmodum scriptum est: Patrem multarum gentium constitui te.* Fideliter haec desumta sunt ex interpretatione Alex. *Gen.* XVII: 5, non omissa etiam Particula ὅτι, quae ibi necessaria est, hoc loco redundat. Verbum τέθεικα si quis cum MEIERO multisque aliis explicare cupiat *feci*, equidem non intercedam. Quidni vero tantum scribamus *con-*

---

[1]) ALT. p. 256, 257. WINER. p. 682, 683. TROLLOPE. p. 217. STUART, *Gramm.* p. 288, 289.

[2]) Quae ad 1 *Cor.* XV: 9 disputavi cff. cum monitis WETTII, MEIERI, OSIANDRI, aliorum.

stitui, quod, uti defenditur a PALAIRETO, ita scribendum etiam est *Act.* XIII: 47 et esse videtur *Hebr.* I: 2? Spectatur nempe *decretum* Dei: quare ERASMUS aliique Perfectum temere in Futurum *constituam* mutarunt. PAULUM autem oraculo Divino pro sui temporis more hunc sensum tribuisse Allegoricum: *Te patrem non tantum Israëlitarum constitui, sed gentium exterarum*, quum omnes boni viderint interpretes, monere nihil attinet. Sed animadvertant lectores, Apostolum trita citandi formula *καθὼς γέγραπται*, ut e Cap. III: 10. IX: 33. XI: 8, 26. XV: 9 apparet, haud secus ad sua verba confirmanda, quam ad ea cum V. T. comparanda usum esse. Atque ita hoc loco dicere voluit: *quod oraculum Dei testatur ei patefactum.*

Alteri, quo ABRAHAMUM honorificum patris communis titulum iure suo gerere probaret, argumento, eidemque ex antiqua Dei promissione petito, alterum PAULUS adiungit ad id provocans, quod Deus nunc vi sua omnipotente agit. Plus laboris, quam opus erat, interpretibus, me iudice, iam peperit principium: *κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ.* Vocabulum *κατέναντι*, quod CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS aliique iam male interpretati sunt *ὁμοίως*, proprie nihil aliud significat quam *ex adverso* vel *e regione.* Haec propria notio in plurimis Veteris Testamenti locis retinetur et ubicunque vocabulum *κατέναντι* in Novo Testamento exstat, nempe *Marc.* XI: 2. XII: 41. XIII: 3. *Luc.* XIX: 30. Eam quoque, STEPHANO teste, communem habent Graecorum scripta, quotquot vocabulo illo vel affinibus *κατεναντία* et *κατεναντίον* utuntur. Iam ubi aliquid *κατέναντι Θεοῦ* esse dicitur, omnes norunt scribi non posse *e regione Dei.* At a propria tamen notione longius

decedendum non est, quam translatio vocabuli ad naturam Divinam ferat. Ergo Latine reddatur *coram*, quod plerisque placuit, etiam SCHMIDIO [1]), OLTRAMARIO et MEIIERO, qui aliorum sententias satis refutarunt. Sed quomodo iudicandum est de Genitivo subiecto, qui Verbo *ἐπίστευσε* neutiquam congruit? Unanimi prope consensu VV. DD. vim Attractionis agnoverunt. Nec dubitarunt plerique, quin orationis structura sic facienda sit: *κατέναντι Θεοῦ, ᾧ ἐπίστευσε*. Ita, praeter interpretes a MEIIERO memoratos, nostris diebus HODGIUS, STUARTUS, OLTRAMARIUS, REITHMAYRUS, KREHLIUS, MAIERUS, PEILIUS, TURNERUS, BISPINGIUS. Et ut VV. DD. [2]) e Graecorum scriptis afferunt satis multa exempla verborum, quibuscum, quamvis Dativum sibi postulant, Pronomen relativum similiter in Genitivo iunctum est, ita nemo saepius hoc Genitivo usus est quam PLATO [3]). Sed his exemplis nullum, quod probe notari meretur, inest adeo simile, ut, quemadmodum hoc in loco, Genitivus, a Verbo alienus, illud tam sequatur, quam praecedat [4]). Haud sine causa igitur SCHMIDIUS, WETTIUS, PHILIPPUS, MEIIERUS, aliam orationis explicandae viam ingressi, At-

---

[1]) *Ueber die Gramm. richtige Erklärung von Rom.* IV: 17. *Tübing. Zeitschrift für Theol.* 1831. p. 137 sqq.

[2]) BERNHARD. p. 301. KÜHNER. Tom. II. p. 508.

[3]) Quater hunc Genitivum Verbo *ἐντυγχάνειν* subiectum reperi: *Protag.* p. 361 E. *Gorg.* p. 509 A. *Theaet.* p. 144 A. *Republ.* Lib. VII. p. 531 E. Ita *προσεντυγχάνειν* exstat *Epist.* VII. p. 437 A.

[4]) Accusativi quidem in Attractione tam sequentis quam praecedentis exemplum reperi in *Philopatr.* LUCIANO adscripta Cap. 13. Opp. Tom. III. p. 599, ubi legimus: *δρόμον διετάξατο, οὓς (ἐκείνοις, οὓς) οὐ σέβῃ θεούς*, i. e. *cursum constituit illis, quos tu Deorum nomine veneraris.*

tractionem sic resolvunt: *κατέναντι τοῦ Θεοῦ, κατέναντι οὗ ἐπίστευσε*, quod WINERO etiam arridere pergit [1]). Nec tamen hoc REICHIO, RÜCKERTO, OLTRAMARIO, KREHLIO displicuisse miror; siquidem ab usu loquendi prorsus aliena est formula *πιστεύειν κατέναντί τινος*. Frustra igitur provocant ad verba *Luc.* I: 4: *περὶ ὧν κατηχήθης λόγων*, quippe posita pro *περὶ τῶν λόγων, περὶ ὧν κατηχήθης*, quod sine culpa fieri potuit, quoniam dici solet *κατηχεῖσθαι περί τινος*, ut *Act.* XXI: 21, 24 legimus. Deinde magni ponderis est animadvertere, Genitivum hîc non desinere in vocabulum *Θεοῦ*, sed continuari subiunctis *τοῦ ζωοποιοῦντος* cet. Haec enim animadversio, nisi fallor, tanquam manu ducit ad veram orationis explicationem reperiundam. Ad hanc vero rem confert quoque Editio Recepta, quae verba *ἐπίστευσε Θεοῦ*, interposito Commate, a se invicem seiungit, et cuius vestigiis insistens vetus noster interpres scripsit: *aan welken hij geloofd heeft*, [*namelijk*] *God.* Nimirum in vocabulo *Θεοῦ* Genitivum Appositionis, quemadmodum 2 *Cor.* V: 5. 1 *Tim.* II: 3. *Tit.* III: 4 et alibi [2]), cerni apparet e connexis *τοῦ ζωοποιοῦντος* cet. [3]) quibuscum comparentur verba *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος* (*ζωογονοῦντος*) *τὰ πάντα* 1 *Tim.* VI: 13. Et studiose PAULUS hoc vocabulum ceteris postposuit, quo luculentius se proderet Dei hominumque discrimen, ab ESTIO etiam

---

[1]) In VI *Gramm.* Ed. p. 148, 149 fere eadem leguntur atque in Ed. V. p. 189 sqq.

[2]) Eodem modo BEZA, non solum in Edit. ann. 1642, sed etiam in quarta ann. 1589, quam noster interpres secutus est.

[3]) Cf. WINER. p. 424.

notatum. Dicere enim voluit, gentes exteras, *quidquid hominum in oculis sint*, *coram Deo* ABRAHAMUM haud secus patrem habere atque Iudaeos. Quod CAMERARIUM quoque fugit planum et simplex esse aientem: *κατέναντι Θεοῦ ἐκείνου, ᾧ ἐπίστευσε.* Itaque mihi Attractio sic resolvenda videtur: *κατέναντι ἐκείνου, ᾧ ἐπίστευσε, Θεοῦ*, i. e. *coram illo, cui fidem habuit, Deo* Pronomini relativo, ubi Attractioni inservit, alia saepissime inclusa esse, Grammaticorum libri testantur [1]). Sed meam interpretationem quoque fulciunt loci supra iam memorati, quibus Verbum inest Dativum sibi postulans, uti XENOPHONTIS [2]) verba, a multis usurpata: *Ἥγετο τῶν ἑαυτοῦ τῶν τε πιστῶν, οἷς ἥδετο, καὶ ὧν* (*ἐκείνων, οἷς*) *ἠπίστει* (non *ἐπίστει*, ut nonnulli male scripserunt), *πολλούς.* Ultro largior, huiusmodi locos in N. T. frustra quaeri. Hoc vero vide, an meae quoque faveat sententiae, cum Attractione Appositionem coniunctam esse. In illa enim coniunctione se prodit causa ceteroquin inexplicabilis, cur se auctor a consueto scribendi more abduci passus sit.

Hoc labore exantlato viam mihi quoque paravisse videor ad enodanda connexa: *τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα.* Inserviunt nempe haec Verba ad persequendam Appositionem,

---

1) Praeter BERNHARD. et KÜHN. vide HERMANN. ad VIG. p. 892. BOS. *Ell.* p. 140, 141. MATTH. Tom. II. p. 1052. ROST. p. 461. MADV. p. 101 sqq. Cff. WINER. p. 191. [Ed. VI. p. 149, 150], aliique.

2) *Cyr. Disc.* Lib. V. cap. 1. § 39. Minus recte HEINICHENIUS ad EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. V. cap. 20 verba *κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ ᾗς ἔρχεται κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς* cum PAULI verbis comparat: nam, nisi oratio corrupta est, Verbum *ἔρχεσθαι* differt ab iis, quae sibi Dativum postulant.

quam vocabulo *Θεοῦ*, quod inter duo Commata ponendum est, inchoari monuimus. Neque id, quod ABRAHAMUS credidit, in memoriam revocant, sed continent *laudationem Dei omnipotentis* ab ipso Apostolo profectam. Quod ex usu Participiorum praesentium *ζωοποιοῦντος* et *καλοῦντος* iam satis intelligitur. Ceterum tam vehementer his de verbis inter se dissentiunt VV. DD. ut modum servare negligerem, si singula placita ex ordine recensere iudicioque submittere vellem. Ergo, ut subsistam in mea qualicunque expromenda sententia, incipio a monendo, errores caveri non posse, nisi *duo* accurata distinguamus: quid PAULUS dixerit, et quid ante oculos habuerit. *Quid dixerit* scribendo altero: *τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς*, enarrari puto Graecis Latine interpretandis: *qui mortuos in vitam reducit.* Quemadmodum enim Verbum *ζωοποιεῖν* proprie denotat *in vitam reducere*, uti legitur 1 *Sam.* II: 6, 2. *Reg.* V: 7. *Neh.* IX: 6. 1 *Cor.* XV: 36 [1]); sic propriam illam notionem hoc loco retinendam esse, apparet inde, quod formula *τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς* absolute posita est ad laudandum illud, quo Deus vim suam omnipotentem cum maxime manifestat. Hinc autem discedendo argumenti, quo res probanda niti debet, gravitatem tollimus vel certe imminuimus et transitum ad aliud genus facimus. Temere igitur nonnulli ab antiquo sensu figurato *animi illustrationem*, *emendationem* vel *consolationem* significari contenderunt, quod Articulus *τοὺς* non patitur. Multo minus vero, me iudice,

---

[1]) Cff. *Tob.* XIII: 2. *Sap. Sal.* XVI: 13 et quae disputavi in *Comm.* ad 1 *Cor.* XV: 22.

interpretes Apostoli mentem assequi videntur, *vim sobolis procreandae* ABRAHAMO *seni decrepito Divinitus datam* spectari putantes. Sed infra huc redibimus. Quaestioni, *quid* PAULUS altera formula: *καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα dixerit*, si e faciliori loco, ut cum ERNESTIO [1]) omnes monent Grammatici, difficilior explicandus est, lucem praebet 1 *Cor.* I: 28, ubi legimus: *τὰ μὴ ὄντα* [*ἐξελέξατο ὁ Θεὸς*], *ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ*. Deus ibi *quaecunque hominum iudicio nullius numeri sunt* elegisse dicitur, *ut quae apud eos in pretio sunt deiiceret*. Plane eadem autem in verbis *τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα* Antithesis cernitur, nec de similitudine detrahitur eo, quod hîc intercedit Particula *ὡς* et semel tantum Articulus exstat. Sine scrupulo igitur sumi potest, hactenus utrobique inter se convenire *τὰ μὴ ὄντα*, ut significent *quaecunque nihil* seu *nullius numeri sunt*. Et quamquam Grammaticis, quantum novi, nondum in classes redigere contigit, quae ad potestatem Particularum *οὐ* et *μή* singulis in locis distinguendam requiruntur, monuisse tamen videntur, quae hanc interpretationem fulciant [2]). Satis enim constat, Particulam *μή* Participio praepositam non inservire *negationi* absolutae, sed *quae rationibus* vel *conditionibus adstringatur* [3]). Iam in N. T. copia exstat exemplorum hoc evidenter proban-

---

[1]) *Instit. interpr.* Part. I. sect. 2. cap. 1. § 8, ubi legatur AMMONIUS. Conferri possunt quae dixi in libro: *de betrekking van het gevoel* cet. p. 176, 177.

[2]) HERMANN. ad VIG. p. 802 sqq. MATTH. Tom. II. p. 1436 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 403 sqq. MADVIG. p. 243 sqq.

[3]) Quod non infringitur iis, quae, THIERSCHIUM sequentes, disputarunt HARTUNG. Tom. II. p. 130 sqq. et ROST. p. 717, 718.

tium [1]). Multo magis vero iuvant Graecorum scripta, in quibus similem vel eandem, qua PAULUS usus est, dicendi formam reperiri LOESNERUS, WETSTENIUS, PALAIRETUS ostenderunt. In censum igitur venit, quod PHILO [2]) de visionibus in somnio obortis ait, verbis *τῆς διανοίας εἰδωλοποιούσης* adiungens *τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα.* Ibi autem ea, *quae revera sint*, ab iis, *quae tantum in cerebro*, i. e. *nihil* seu *nullius numeri sint*, distingui, non solum ipsum docet orationis argumentum, sed locus etiam similis [3]), ubi mentio fit *ψυχῆς ἀναγραφούσης τὰ μὴ ὑπάρχοντα ὡς ὄντα;* item usus formulae *τὰ μὴ ὄντα* ad indicandum, hunc mundum adspectabilem *ἐξ ἀταξίας, ἀποίων* cet. provenisse [4]). Non minus ad rem est quod tradit XENOPHON [5]) de DEMOCRATE: *Οὗτος ἐδόκει καὶ πρότερον πολλὰ ἤδη ἀληθεῦσαι τοιαῦτα, τὰ ὄντα τε ὡς ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα ὡς οὐκ ὄντα*, i. e. nisi fallor: *ea, quae nihil* seu *nullius numeri erant non esse dicebat.* Similia, quae alibi [6]) exstant, brevitatis causa praetereo.

---

[1]) *Matth.* XVIII: 25. *Ioann.* VII: 15. *Act.* XXI: 34. *Rom.* V: 13. IX: 30. XIV: 6. 1 *Cor.* IV: 18. IX: 21. X: 33. 2 *Cor.* IV: 18, quorum locorum haud paucos commemoravit WINERUS p. 561 sqq. ubi verborum 1 *Cor.* I: 28 eadem explicatio legitur, quam proposui supra. Cff. ALT. p. 209, 210. TROLLOP. p. 188, item STUART. p. 278.

[2]) *De Iosepho.* Tom. II. p. 59 MANG.

[3]) *In Flacc.* Ibid. p. 541.

[4]) *De Const. Princip.* p. 367. Cf. *de Mose.* Lib. III. p. 176. Eodem modo intelligendum videtur quod SALLUSTIUS, *de diis et mund.* cap. 17, dicit, *τὰ ὄντα* provenire non potuisse *ἐκ τῶν μὴ ὄντων.*

[5]) *Exp. Cyr.* Lib. IV. cap. 4. § 15.

[6]) Uti quod MEIIERUS excitat ex ARTEMIDORI *Oneirocr.* Lib. I. cap. 53, ubi REIFFIUS etiam verba sic edidit: *πλάσσειν, καὶ πυξογραφεῖν*,

Sed memorare lubet quod legimus apud EURIPIDEM [1]):

Ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν, ὡς τὰ μὲν πυργοῦσ' ἄνω
Τὰ μηδὲν ὄντα, τὰ δὲ δοκοῦντ' ἀπώλεσαν.

Iam si Verbo *καλεῖν* cum SCHMIDIO, FRITZSCHIO, REICHIO, RÜCKERTO et plerisque, quibus MEIERUS assentitur, *vocandi* notionem tribuimus, coniuncta *καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα* vertendo reddenda sunt: *qui vocat ea, quae nihil sunt, quasi sint.* Alterum vero si explicamus: *quae ex hominum opinione nullius numeri sunt*, sequitur alterum explicandum esse: *ac si sint in pretio;* quemadmodum, monente WILKIO [2]), IESUS *Matth.* VI: 30 *τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ* dicit *σήμερον ὄντα*, i. e. *gramen agri, quod hodie in pretio est* seu *viret.* Qui enim illa *ὡς ὄντα* eodem redire aiunt atque *εἰς ὄντα* vel *εἰς τὸ εἶναι*, cogitando fingunt, quod exemplis probari nequeat. Et quae efficacitate Providentiae Divinae fiunt, caute distinguere debemus a rerum adspectabilium formatione. Quod autem supra sumsi, Verbum *καλεῖν vocandi* notionem habere, procul dubio verum est. Haud ignoro quidem, nonnullos ei *nominandi* vel *nuncupandi* notionem praetulisse; sed, ut haec admitti posset, PAULUS scribere debuisset: *κα-*

καὶ τορεύειν, καὶ ποιεῖν ἀγάλματα ἀγαθὸν μοιχοῖς (?), *καὶ ῥήτορσι, καὶ πλαστογράφοις, καὶ πᾶσι τοῖς ἀπατεῶσι, διὰ τὸ τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα δεικνύειν τὰς τέχνας ταύτας*, ubi *τὰ μὴ οντα*, i. e. *quae tantum in cerebro* seu *nihil sunt*, proponuntur *ὡς ὄντα*: item formulae *τὸ μὴ ὄν* et *τὰ μὴ ὄντα* apud PLATONEM in *Sophista*. p. 37 sqq., quas DINDORFIUS in STEPH. *Thes.* explicat *nihilum.*

[1]) *Troad.* vs. 612, 613. MUSGR.

[2]) In *Clavi* v. *εἰμί.*

λοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὄντα, siquidem Verbo καλεῖν, ubi ita intelligendum est, *ipsum nomen* additur. Deinde, si excipimus 1 *Cor.* XV: 9, ubi Passivum καλεῖσθαι legitur, et unum alterumque locum Veteris Testamenti, in quibus Apostolus interpretem Alex. secutus est, nusquam illud in Epistolis eius significat *nuncupare*. Contra *vocandi* notio ibi constans atque idcirco hîc quoque tenenda est. Quid vero rei propositae magis convenit quam illud explicare *arcescere*, quod variis itidem Veteris Testamenti locis, uti *Psalm.* L: 1. *Ies.* XL: 26. XLI: 4. XLVIII: 13. *Sap. Sal.* XI: 25, convenit, nec a PAULI mente *Rom.* VIII: 30 et alibi abhorret, quoties vocatio hominum ad CHRISTI communionem attingitur? Ita quoque, ut mihi monstravit PEILIUS, in Epistola, quae CLEMENTIS nomen gerit [1]), legimus de Deo: Ἐκάλεσεν ἡμᾶς οὐκ ὄντας καὶ ἠθέλησεν ἐκ μὴ ὄντος εἶναι ἡμᾶς. Haec autem si explicanda sunt: *Arcessivit nos, qui extra communionem eius eramus, et voluit, ut ex eo, quod nullius numeri erat, existeremus homines secum coniuncti*, non solum videmus, quid inter formulas οὐκ εἶναι et μὴ εἶναι intersit, sed, quo totius dictionis: καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα corroboretur interpretatio, etiam accipimus.

Itaque PAULUS Deum laudavit, ut *qui mortuos in vitam reducit et ea, quae nullius numeri sunt, arcessit, quasi sint in pretio.* Quid vero ille, quum haec dicebat, *ante oculos habuit?* Nimirum generatim vim Dei omnipotentem praedicavit, ut ex duobus tertium cogeretur. Hoc autem an sic comparatum est, ut partim *ipsum*

---

[1]) *Epist. II ad Corinth.* cap. I. l. c. p. 185.

spectet ABRAHAMUM, partim *gentes, quarum ille pater sit?* Plerique interpretes, ita iudicando, hunc vs. e sequentibus explicare student, quamvis rei ratio postulat, ut sequentes hinc explicentur, et immemores se produnt eius, quod requirit *coniunctio Praesentium* *ζωοποιοῦντος* et *καλοῦντος*. Praesentia bene cum aliis animadvertit BEZA, sed inepte altero dicto Iudaeos, altero gentes exteras, quotquot ad CHRISTI communionem transiissent, significari monuit. Imo utroque auctor eosdem spectavit homines, si minus per Gradationem a mirabili ad magis mirabile procedens, certe obscuriori clarius adiungens. Ad posteriora: *καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα* iam recte notavit CHRYSOSTOMUS: *Δυνατὸν αὐτῷ καὶ τοὺς μὴ τεχθέντας ἐξ αὐτοῦ ποιῆσαι παῖδας αὐτοῦ.* De praecedentibus vero *τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς* nunc tantum lis agitur. Atqui progressu suo caret oratio, nisi haec aeque atque illa referuntur ad homines, quos Iudaei ab ABRAHAMO alienos esse censebant, sed quorum ille *coram Deo* pater erat, i. e. *gentes exteras.* Mihi saltem ad verba: *κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ* cum sequentibus connectenda nulla alia via patere videtur, quam ex duobus enunciatis hoc tertio cogendo: *atque igitur efficit, ut* ABRAHAMUS *pater sit tam gentium exterarum, quam Iudaeorum, quotquot fidem eius imitantur.* Quomodo autem cohaereant omnia, in luce ponat haec Paraphrasis: *Is enim tam gentium exterarum quam Iudaeorum pater est, secundum oraculum in Literis Sacris traditum: Patrem multarum gentium constitui te, et coram illo, cui credidit, Deo, qui hoc ipse agit vi sua omnipotente, qua mortuos in vitam reducit et quaecunque nullius numeri sunt arcessit, quasi sint in pretio.*

Vers. 18.

A Deo ad ipsum ABRAHAMUM progrediens PAULUS magnitudine fidei eius praedicanda ostendit, quantopere ille patris communis titulum meritus sit. Ὅς, inquit, παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, i. e. *qui spe in rebus desperatis concepta credidit.* Formulas παρ' ἐλπίδα, ἐπ' ἐλπίδι, quibus Oxymoron inest, iam bene explicuit CHRYSOSTOMUS, alteri adiungens τὴν ἀνθρωπίνην, alteri τῇ τοῦ Θεοῦ. Utriusque usum in Graecorum scriptis testatum esse docet STEPHANI *Thes.* Quemadmodum autem hîc absolute positum est ἐπ' ἐλπίδι, ita semel 1 *Cor.* IX: 10, tum *Iud.* XVIII: 7. *Psalm.* IV: 8 aliisque in locis, maxime ubi connexum est cum verbis κατοικεῖν ex κατασκηνοῦν. Pronomen ὅς interpretes eidem ὅς, quod vs. 16 praecedit, respondere monent. Eius vero repetitio saepe inservit ad alia aliis cumulanda, uti *Luc.* III: 16, 17. *Rom.* VIII: 34. IX: 4, 5. 1 *Cor.* II: 7, 8. *Eph.* I: 11—14. 2 *Thess.* II: 8, 9. 1 *Petr.* I: 12 [1]), quibus locis confirmatur etiam, quod supra notavi, in verbis: ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν non appendicem cerni praecedentium, sed ea in vs. 17 traiicienda et cum sequentibus καθὼς γέγραπται cet. arcte copulanda esse. Iam recte in Editione Recepta sine Parenthesi legimus subiecta: εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν, κατὰ τὸ εἰρη-

---

[1]) Adde 1 *Pet.* I: 6—8, ubi vocabula ἐν ᾧ, ὃν et εἰς ὃν ad nihil aliud quam ad *Deum* pertinere, mihi persuasissimum est: neque hoc expromere vereor, quamquam fore praevideo, qui, sine accurata singulorum pervestigatione iudicantes, me acriter reprehendant.

μένον· Οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου. Triplex horum verborum interpretatio est. Sed uti iure meritoque FRITZSCHIUS sententiam eorum refellit, qui, ducibus ERASMO, BEZA, ESTIO, fidei ab ABRAHAMO in Deo collocatae Obiectum (*se patrem futurum*) proponi putarunt, ita FRITZSCHIUM rursus aliosque, Praepositione *εἰς eventum* denotari contendentes, bene refellerunt RÜCKERTUS, PHILIPPUS, MEIJERUS, quibuscum non dubito, quin *consilium* intelligendum sit, nisi et orationis perpetuitatem tollere, et praemature occupare velimus, quod vs. 22 demum memoratur. Ita etiam LUTHERUS, CALVINUS, THOLUCKIUS, OLSHAUSENIUS. Hactenus tamen a plerisque eorum dissentio, ut non *Dei*, cuius hîc nulla fit mentio, sed *ipsius* ABRAHAMI *consilium* auctoris in mente fuisse rear, aeque atque illud vs. 11 enunciaverit. Quo quidem ABRAHAMO, ut etiam censuisse videtur OLTRAMARIUS, nihil, quod eo indignum est, affingitur. Si enim Apostolum dicentem facimus: *ut fieret ille pater multarum gentium, secundum id, quod dictum est: Sic erit soboles tua*, hoc non explicandum est: *ut gloriosum patris earum nomen adipisceretur*, sed GROTIO duce: *ut sic omnibus gentibus exemplo praeiret*, vel *ut gentium multitudini salutis auctor esset.* Haud temere autem PAULUS provocavit ad oraculum *Gen.* XV: 5: *οὕτως* (i. e. *ἀναρίθμητον, ὡς οἱ ἀστέρες*) *ἔσται τὸ σπέρμα σου*, utpote praecedentibus *πολλῶν ἐθνῶν* consentaneum ad promittendam sobolis *multitudinem*, cuius remotiora: *πατὴρ πάντων ἡμῶν* nondum fecerant commemorationem.

Vers. 19, 20, 21.

Laudationem fidei ABRAHAMI persequitur PAULUS laudanda huius fidei constantia et perseverantia. Et vs. quidem 19 negatione secundum id, quod habet Editio Recepta: *Καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, ἑκατονταέτης που ὑπάρχων, καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας.* Verbis *μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει* per Litoten *firmissimam* ABRAHAMI *fidem* significari, post THEOPHYLACTUM, DRUSIUM, BEZAM monuerunt FRITZSCHIUS, STUARTUS, OLTRAMARIUS, WETTIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, MEIJERUS. Sed, ne rogem, cur auctor, si hoc sibi vellet, non scripserit *οὐκ ἀσθένησας* [1]), fateri debeo, me in circumiectis nullam reperisse causam, qua ille ad huius figurae usum permotus sit. Contra negationes proxime sequentes nobis suadere videntur, ut hîc etiam formulam negantem retineamus. Tum valde dubito, an verba *ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει* vs. 20 permittant, ut hoc iam loco ABRAHAMUS *fide firmissimus* dicatur. Et haud scio, an VV. DD. ad Litoten sumendam impulsi sint aliena huius et praecedentis orationis conglutinatione. Sed eo nos infra reducet singulorum verborum interpretatio.

Ad explicanda Verba *καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει* comparare non opus est similia *Rom.* XIV: 1: *τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει.* Quisque enim videt, Participio *ἀσθενήσας*, quod, POLLUCE teste, proprie de *aegrotantibus* usurpatur,

---

[1]) Cf. WINER. l. c. p. 564.

adiecta esse τῇ πίστει, ad figuratam notionem ei vindicandam. Articulus τῇ respicit sine controversia ad praecedens ἐπίστευσε. Si autem Participium Aoristi, ut Latine reddatur, in Coniunctionem cum Verbo finito convertendum est, scribatur oportet: *Et quia non infirmatus erat quod attinet fidem.* Eodem modo Aoristus propter connexa Plusquamperfecto Latinorum respondet *Act.* IX: 37. *Phil.* II: 26. Quod quam congruum huic loco sit, docent sequentia οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα cet. Particula quidem οὐ libri haud spernendi carent, sed ideo eam delere non licet cum LACHMANNO, PAULO, REICHIO, OLSHAUSENIO. Probabilem enim nobis fingere non possumus causam, cur a librariis, si in exemplo eorum non exstaret, Verbo praefixa sit. Contra ad eam omittendam permoveri potuerunt, vel perversa orationis structura, qua Graeca explicarent: *Et non infirmae fidei homo consideravit* cet. vel studio demendae repugnantiae, quam hunc inter vs. et *Gen.* XVII: 17 intercedere putarent; vel opinione versibus 19 et 20 inesse Antithesin, cuius Apodosis negantem non ferret Protasin. Quidquid huius rei est, si librorum dissentientium ponderantur testimonia, haud minus gravia huic Particulae patrocinari, quam ei adversari deprehenduntur. Neque ea, sine culpa in Grammaticam irruendi vel orationem Tautologia onerandi, hinc expelli potest. Prudenter igitur TISCHENDORFIUS, qui in priore Editione LACHMANNUM secutus erat, in posteriori errorem suum correxit. Atque ita fere omnes interpretes Particulam οὐ genuinam habent. De verbo κατενόησε multum disputare nihil attinet. Nam sive quis cum Vulgata scribere vult: *non consideravit corpus suum;* sive cum RÜCKERTO, KÖLL-

NERO, WETTIO, MEIIERO: *animum non advertit* vel *non attendit ad corpus suum;* seu, quod FRITZSCHIO, KREHLIO, PHILIPPO placuit: *oculos mentemque non defixit in corpore suo;* ABRAHAMO tantum denegatur illud, quod argumentum disputationis ei denegari iubet: eum, nempe, quum corporis sui infirmitatem contemplaretur, hoc ita non fecisse, ut ratiocinatio humana fidem vinceret in Deo positam. Quapropter nihil quoque impedit, quominus cum THEOPHYLACTO PAULUM dicentem faciamus: οὐκ ἀπέβλεψεν εἰς τὸ οἰκεῖον σῶμα, aut Verbum κατενόησε Latine reddamus *rationem habuit,* uti aptissime redditur *Matth.* VII: 3. *Luc.* XX: 23. *Hebr.* III: 1. X: 24. Participium νενεκρωμένον figurate corpus denotat *effetum*, seu *prolis generandae impotens*, quemadmodum ipse ABRAHAMUS *Hebr.* XI: 12 ita vocatur, comparatione a *mortuis* petita, quam Rabbinis usitatam fuisse docet BUXTORFIUS [1]). Hyperbole talis est, ut augeri nequeat: quare sine damno carebimus Adverbio praefixo ἤδη, quod, uti a LACHMANNO et TISCHENDORFIO sede sua motum est, ita cum MEIIERO suspectum habuerunt multi, OLTRAMARIUS vero et KREHLIUS defenderunt. Et sane insolenter egisse non censendi sunt veteres, si illud omiserunt vel interpretando praeterierunt, opinione se orationem lenituros decepti. In sequentibus Enclitico που, quippe orationi, qua tempus denotatur, inserto, respondet Latinum *circiter*, ut apud HERODIANUM [2]) ubi legimus:

---

[1]) *Lex. Chald. Talm. Rabbin.* p. 1180. Eadem habent SCHOETTGENIUS aliique.

[2]) Lib. VII. cap. 5. §. 3.

Ἔτος ἤδη περί που ὀγδοηκοστὸν ἐληλακώς. Alia exempla praebet KYPKIUS. Ad illustranda postrema: *καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας*, quibus SARA foetus concipiendi, gerendi et pariendi impotens quoque fuisse dicitur, sufficiunt disputata FRITZSCHII. Rationem concludo hoc vs. sic interpretando: *Et quia non infirmatus erat quod attinet fidem, sui ipsius corporis, quum fere centenarius erat*, [*iam*] *emortui rationem non habuit et* (nec) *emortui uteri* SARAE. Priusquam vero lectorem mittam, ad quaestionem, quomodo hoc intelligi debeat, data opera respondendum est.

Duo sunt loci Veteris Testamenti, *Gen.* XVII: 17 et XXV: 1, 2, contra quos PAULI disputatio repugnare videatur. Propterea RÜCKERTUS ABRAHAMUM minus *historicum*, quam *idealem* hîc propositum esse opinatus est. Huic vero opinioni ut obviam eat, MEIIERUS auctori id tantum, quod *Gen.* XV: 5, 6 legitur, ante oculos obversatum esse monet, et ita quidem, ut illud primum negando, deinde affirmando commentaretur. Eodem tendunt WETTIUS et KREHLIUS. Sed tantum abest, ut difficultatem amoveant, ut concedere cogantur, Apostolum non curasse dubitationem ABRAHAMO (*Gen.* XVII: 17) postea obortam. Praeterea sumendo, hunc vs. 19 ad idem tempus ac vs. 18 pertinere, ingratam eorum, quae verbis *παρ' ἐλπίδα ἐπίστευσεν* iam insunt, repetitionem orationi obtrudunt et sequentia *ἑκατονταέτης που ὑπάρχων*, quibus posterioris temporis memoria renovatur, prorsus negligunt. Haud sine causa igitur CALVINUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, alii hîc memorari putarunt, quod ad totam ABRAHAMI, postquam semel Deo crediderit, vitam referri debeat. Similiter GROTIUS a FLATTO laudatus, quum

verba οὐ κατενόησε explicari iuberet: *non mansit id respiciens.* Sed praeterquam quod verba illa hanc explicationem non admittunt, nodus expediri nequit, nisi statuamus, dubitationi *Gen.* XVII: 17 narratae postponenda esse, quae hîc tradantur. Et sane eodem in Cap. vs. 23 sqq. ABRAHAMUS ostendisse dicitur, dubitationem illam levem tantum animi stupefacti fuisse cogitationem, quae subito praeteriret et quam ne ore quidem exprimeret. Nam luculentissimum paulo post, quum suos omnes non solum, sed se etiam ipsum circumcisioni submitteret, fidei suae dedit documentum. Hoc autem ritu peracto, SARAM quidem Cap. XVIII: 12 sobolis promissionem risisse legimus, ille vero nullum amplius diffidentiae vestigium prodidit, usque ad uxoris suae graviditatem. Iam hoc mensium aliquot spatium si PAULUS spectavit, nihil dixit in veterem narrationem incurrens. Apostolum eo spectasse perspicue indicat commemoratio *aetatis* ABRAHAMI *fere centenariae.* Hanc enim non petiit e cogitatione subitaria, quam ABRAHAMO Cap. XVII: 17 animus agitatus indiderat, sed ex iis, quae Cap. XXI: 5 coll. XVII: 24. XVIII: 12 narrata erant. Quum autem Verbum κατενόησε arctissime cum sequentibus: ἑκατονταέτης που ὑπάρχων cohaereat, consulto PAULUM, quo clarius in ABRAHAMO fidei perseverantia emineret, lectorum animos ad tempora illa, in quibus, quamquam prolis generandae die appropinquante, spes tamen magis magisque decrevisset, advertisse censeo, ut eum ne tunc quidem corporis sui [iam] emortui rationem prae fide habuisse viderent. Quod eum quoque egisse puto praemissis μὴ ἀσθενήσας, quae venuste GLÖCKLERUS explicat: *Quamvis corpore deinceps fieri sibi videbatur*

debilior, debilior non fiebat fide. Ad neminem igitur alium maiori iure applicabitur quod legimus apud EURIPIDEM [1]):

Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος, ὅστις ἐλπίσι
πέποιθεν ἀεί· τὸ δ' ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακοῦ.

Alterum, quod PAULUM Veteri Testamento contradicentem facere videtur, cernitur in formula *σῶμα* [*ἤδη*] *νενεκρωμένον*, si comparatur cum narratione *Gen.* XXV: 1, 2, ABRAHAMUM postea ex *Cetura* complures liberos genuisse. AUGUSTINUS [2]) repugnantiae succurri non posse putavit, nisi notione Participii *νενεκρωμένον* ita restringenda, ut ille tantum prolis *ex anu* gignendae dicatur impotens. Hoc vero commentum, quamvis etiam PELAGIO et, quod mirandum est, ERASMO et DRUSIO placuit, neque hoc in loco, neque *Hebr.* XI: 12 habet, quo nitatur. Longe prudentius CALVINUS, quocum ESTIUS, HODGIUS, multi alii consentiunt, commento illo refutato scripsit: „Eo ipso magis spectabilem potentiam suam reddidit Deus, quod qui prius fuerat instar marcidi et aridi trunci, — — — aliis postea generandis vires habeat." Nec tamen opus esse crediderim, ut difficultatis tollendae causa vim Dei omnipotentem advocemus. PAULUS enim scribens: *μὴ ἀσθενήσας οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα* cet. lectoribus non proposuit, qualem ipse ABRAHAMUM haberet, sed qualis ille sibi visus esset prope centesimum vitae annum. Atque tunc eum sibi

---

[1]) STOBAEI *Floril.* Tom. III. p. 403.
[2]) *De Civit. Dei.* Lib. XVI. cap. 28.

visum esse prolis generandae impotentem, apparet etiam e rogatione eius *Gen.* XVII: 17, quam attigimus supra. Novum vero argumentum hunc vigorem sibi denegandi ei attribuere possemus, si e *Gen.* XI constaret, quod BENGELIUS monet, SEMUM postremum fuisse, qui anno centesimo exacto liberos procrearet.

Eandem ABRAHAMI virtutem vs. 20 PAULUS praedicare pergit verbis: *Εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει, δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ*, quae, si de vs. 19 recte disputavi, novas spectant promissiones *Gen.* XVII: 19 sqq. XVIII: 10, 14 narratas et viri illius fidem perseveranter in Deo positam. Efficacitatis causa ceteris praemissa esse: *εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν Θεοῦ* quisque sua sponte videt. Sed quomodo haec cum iis cohaereant, dfficilius dictu est. Ingeniose RÜCKERTUS coniecit, Apostolum propterea ita scripsisse, quod adiungere vellet *ἐπίστευσε*, eum vero, quum Antitheseos captandae studio propositi immemor factus esset, adiunxisse *οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ*. Sed haec coniectura, uti longius quaesita est, sic aliena nititur verborum, quae in hoc et praecedenti vs. leguntur, conglutinatione. KÖLLNERUS igitur, OLTRAMARIUS aliique eum refutantes cum plerisque interpretibus sumserunt, Praepositionem *εἰς* vim habere Latinorum *quod attinet ad*. Et sane haec interpretatio probabilior est quam sententia, quae WETTIO et KREHLIO arrisisse videtur, Praepositionem cum connexis a vocabulo *ἀπιστίᾳ* pendere. An vero satis exploratum sit, loquendi usum ei in N. T. favere, equidem valde dubito. Alius certe generis est illud *ἀπορούμενος εἰς τὴν περὶ τούτων ζήτησιν*, quod ex *Act.* XXV: 20 afferri solet. Sed in

Graecorum scriptis non desiderantur loci, qui itidem in principio habent Praepositionem εἰς et hanc interpretationem sibi postulant, uti illud PLATONIS [1]): *Εἰς μὲν οὖν χρήματα ὁ μὴ θέλων γαμεῖν ταῦτα ζημιούσθω.* Itaque hac in sententia acquiescens prius huius vs. membrum interpretor: *quod autem promissionem Dei attinet, non contradixit* (vel *disceptavit* [2])) *diffidentia.* Quid vero, si PAULUM, ante oculos habentem *Gen.* XVII: 17 sqq., hoc sibi voluisse sumam: *Quamquam in animo volvebat quae diffidentiam inspirarent, haec tanta non fuit, ut plus diceret quam*: ISMAËL VIVAT CORAM TE, *seque promissioni Divinae opponeret?* Quae enim vulgo, auctore CHRYSOSTOMO, Verbo διεκρίθη tribuitur *dubitandi* notio, in orationem importat quod Veteris Testamenti adversatur narrationi. Sed *disceptandi* vel *contradicendi* notio quoque *Act.* X: 20. XI: 2, 12 (secundum Edit. Rec.) *Iac.* II: 4. *Iud.* 9 satis testata esse videtur. Hoc autem posito, membrum posterius spectat incrementum fidei, quod ABRAHAMUS illustre fecit, quum amplificata Dei promissione fretus circumcisionem subibat nec postea renitenti SARAE (cff. *Gen.* XVIII: 16 sqq.) aures praebebat. Dativus τῇ πίστει propter Antithesin eodem modo accipiendus est atque ille, qui supra Participio ἀσθενήσας subiacet. Verbum ἐνδυναμοῦν proprie *vim intus accrescen-*

---

[1]) *Leg.* Lib. VI. p. 772. Plura, praeter FRITZSCHIUM ad h. l. et WINERUM p. 473, praebent KÜHNER. Tom. II. p. 279 et SCHNEIDER. ad XENOPH. *Cyr. Disc.* Lib. V. cap. 4. §. 25.

[2]) Ita BUDAEUS. p. 1035 hunc locum interpretans: *In pollicitatione autem Dei secum ipse labente fide non disceptavit.* Hactenus recte, sed nec Verbum διεκρίθη, nec vocabulum ἀπιστίᾳ, neque etiam vim Praepositionis εἰς vir egregius satis intellexisse videtur.

tem denotat. Sed nondum poenitet me eius, quod alibi [1]) monui, potestatem Praepositionis non urgendam esse. Cum Aoristo *ἐνεδυναμώθη* GROTIUS aliique comparant Hebraeorum formam *Hithpaël*. Et sane, quum tam remotiori *ἀσθενήσας* quam propiori *διεκρίθη* oppositus sit, et quidem ad *virtutem* ABRAHAMI laudandam, oratio notionem mere Passivam non admittit, ut bene etiam vidit REITHMAYRUS. Nec tamen hanc ita, ut ABRAHAMI opera excludatur, cum RÜCKERTO, MEIJERO aliisque inducimus scribendo: *sed fiebat firmus quod attinet fidem.* Conferri merentur *Psalm* LI: (LII:) 7. *Eph.* VI: 10. 2 *Tim.* II: 1. Verba *δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ*, i. e. *dans gloriam Deo*, formulam continent late patentem, cuius sensus differat pro differentia argumenti. Exemplis e V. et N. T. petitis hoc ostendit OLTRAMARIUS, lectorem simul animadvertere iubens, ubique *rem* esse in *facto positam*, qua secundum Literas Sacras Deo gloria detur. Ergo non valde reprehendar, si mentem PAULI fuisse dixero: *circumcisione subeunda aliisque factis declarans, Deum, quippe omnipotentem et veracem, dignissimum esse, cuius promissioni habeatur fides.*

A fidei incremento auctor vs. 21 ad eius consummationem progreditur, sive spuria est Particula *καί*, quae proxime sequitur, seu secundum Editionem Receptam legere debemus: *Καὶ πληροφορηθεὶς, ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι καὶ ποιῆσαι.* Et hoc quidem retinendum esse videtur, quum pro Particula *καί* testen-

---

[1]) *Comm.* ad *Phil.* IV. 13. Cf. BÄHR ad Col. I: 11, ubi Simplex *δυναμοῦσθαι* idem valere monet ac Compositum *ἐνδυναμοῦσθαι* *Eph.* VI. 10 al.

tur libri antiquissimi et optimi, quos omnes fere secuti sunt editores, etiam LACHMANNUS, et plerique interpretes. Itaque PAULUS praecedentibus: *dans gloriam Deo*, per Epexegesin adiungit: *et plenam de eo persuasionem nactus, illum, quod promissum est, etiam facere posse.* Verbum πληροφορεῖν, Graecis inusitatum, etiam ISOCRATI [1]), cui librarii illud temere affinxerunt, apud interpretem Alex. semel, *Eccles.* VIII: 11, exstat, in N. T. sexies. Hoc loco, uti Cap. XIV: 5, Passivum denotat eum, qui ad *plenam persuasionem* pervenit, quo sensu *Hebr.* X: 22 quoque πληροφορία πίστεως dicitur. Sequentia ὃ ἐπήγγελται si vertendo reddimus: *quod promissum est*, res ipsa loquitur intelligendum esse *Divinitus*. Atque hoc eodem redit ac *quod promisit*, quemadmodum interpretantur multi, cum MEIIERO huic verbo potestatem Medii tribuentes [2]). Haud scio tamen, an huic sententiae minus faveant *Gal.* III: 19 et *Hebr.* XII: 26, ubi Passivi notio retinenda est. Particula καί, Verbo ποιῆσαι praefixa, non redundat, sed significat: facere potest *aeque ac promittere.*

Vers. 22.

Atque sic eo, unde deducta est, oratio revertitur, ad commemorandam, nempe, fidei ABRAHAMI remunerationem. Nec tamen meram eorum, quae vs. 3 legun-

---

[1]) *Trapezit.* cap. 6. Cf. COR. Tom. II. p. 259, 260.

[2]) Ita etiam STUART provocans ad *Gramm.* suam p. 85. Similiter WINER. p. 303. [Ed. VI. p. 234.]

tur, repetitionem continent verba: *Διὸ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.* Particulam *καί* olim ab haud paucis librariis, item a Syro et Arabe Erp. omissam esse, mirandum non est, quoniam omnino redundare videtur. Recentiori etiam memoria et aliis interpretibus molestiam creavit et FRITZSCHIO, qui se expedire nescivit nisi ea Latine reddenda *nimirum*. Sed si praecedentia vs. 19—21 bene interpretatus sum, sequitur inde, in vim Particulae *καί* penetrare non potuisse, quotquot orationem illam ad idem, quod vs. 18 memoratur, tempus referrent. Si vero ea, quae hîc legimus, ad tempus referuntur posterius, quam ibi propositum est, egregium, nisi fallor, hunc habent sensum: *Ideo etiam*, i. e. propterea, quod non solum antea credidit, sed postea etiam fide non infirmatus, contra vero corroboratus est, donec ea ad plenam persuasionem accresceret, *fides* (haec enim intelligi debet) *in rationes eius ita relata est, ut probitatis loco censeretur*. Haec igitur conclusio facta est secundum regulam: *Ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται, Matth.* XXIV: 13 et alibi praescriptam. Eam autem conferre ad stabilienda, quae supra disputavi, dicere non opus est. Ceterum similiter Particulae *διὸ καί*, saepe connexae esse videntur ad *plures* rei alicuius *causas* copulandas, uti *Act.* X: 29. *Rom.* XV: 22. *Hebr.* XI: 12, etiam *Luc.* I: 35, ubi Graeca explicanda puto: *tam propter hoc, quod nunc de eius origine dico, quam propter illud, quod modo de eius imperio dixi*, nempe vs. 32, 33, ubi imperii annunciationem praecedunt eadem fere verba: *υἱὸς Ὑψίστου κληθήσεται*, in quae vs. 35 desinit.

Vers. 23, 24.

Conclusa disputatione de ABRAHAMO CHRYSOSTOMUS aliique Graeci PAULUM iis, qui rogare possent: quid hoc nostra refert? occurrere voluisse putarunt. Sed verba potius ita comparata sunt, ut transitionem facere videantur ad rem Christianam, cuius causa Apostolus disputationem de ABRAHAMO aggressus est. Scripsit enim vs. 23: *Οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον, ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ*, i. e. *Sed non solum propter eum scriptum est, fidem in eius rationes ita relatam esse, ut probitatis loco censeretur.* Temere multi veteres e vs. 22 orationi adiecerunt *εἰς δικαιοσύνην*, quod intelligendum est aeque atque *ἡ πίστις*. Verba *δι' αὐτόν* vario modo VV. DD. interpretantur; sed simplicitate sua se commendare puto hanc explicationem: *ut laudem fidei suae a Deo probatae haberet apud posteros.*

Iam Protasin illam excipit vs. 24 Apodosis: *ἀλλὰ καὶ δι' ἡμᾶς*, i. e. *verum etiam propter nos.* Similiter alibi Vates Divini, ut posteris prodessent, scripsisse dicuntur, nempe Cap. XV: 4. 1 *Cor.* IX: 10. X: 6, 11. *Gal.* III: 8. 2 *Tim.* III: 16, quos locos excitat PHILIPPUS. Opportune quoque REICHIUS comparari iubet PHILONEM [1]), qui virtutes, quibus viri probi excelluerunt, in Literis Sacris memoriae mandatas esse dicit, *οὐ πρὸς τὸν ἐκείνων ἔπαινον αὐτὸ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τοῦ τοὺς ἐντυγχάνοντας προτρέψασθαι, καὶ ἐπὶ τὸν τῶν ὁμοίων ζῆλον ἀγαγεῖν.* Quae si verba huic loco commentarii instar sunt, PAULUS, ut

---

1) *De Abrah.* Tom. II. p. 2.

etiam FRITZSCHIO visum est, MOSI consilium tribuit posteros docendi, a Deo probatum iri, quotquot fidem in eo ponerent. Neque igitur hactenus Allegorice vel Typice interpretatus est quod *Gen.* XV: 6 legimus. Quid autem ante oculos haberet, ipse indicavit adscribens: *οἷς μέλλει λογίζεσθαι* scil. ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην. Summo iure RÜCKERTUS et FRITZSCHIUS negarunt, quod BOEHMIUS contenderat, Praesens *μέλλει* pro Imperfecto *ἔμελλε* positum esse. An RÜCKERTUM FRITZSCHIUS merito reprehenderit, quod PAULUM dicentem fecisset: *quorum in rationes hoc referetur sub ea conditione ut credamus*, patebit infra. Sed ipse V. D. erravit verbis eius explicandis: *quorum in rationes hoc aliquando referetur a Iudice.* Beneficium enim proponitur, quod, secundum totius huius Epistolae doctrinam, fidem non demum manet in iudicio supremo, sed hac in vita continuo sequitur. Nec notionem Verbi *μέλλειν* talem esse, ut simplici Futuro respondeat, iam apparet inde, quod apud Scriptores Sacros et exteros haud raro Infinitivum tam Futuri post se habet, quam aliorum temporum [1]). Utique notioni huic Verbo tribuendae satisfieri videtur interpretando: *quibus in rationes eorum referri destinatum est*, quod OLTRAMARIO, PHILIPPO, MEIJERO placuit, neque ipsi RÜCKERTO omnino displicuit. Similiter interpretandum puto *destinatum est* Cap. VIII: 13. *Gal.* III: 23. 1 *Thess.* III: 4. 1 *Tim.* I: 16,

---

[1]) Exempla praebent *Act.* XI: 28. XXIII: 30. XXIV: 15. XXVII: 10. E Graecorum libris copiam affert STEPH. in *Thes.* Cf. praeter THOM. *Mag.* aliosque LOBECKIUS, *de constructione Verbi ΜΕΛΛΕΙΝ* cet. ad *Phryn.* p. 747.

alibi, nempe *secundum Literas Sacras*, quod intelligendum esse, ex *Matth.* XVII: 12 et aliunde perspicue apparet. Itaque dictum Apostoli sic explico: *quibus ab antiquo destinatum est beneficium, quo nostras in rationes ita referatur fides, ut probitatis loco censeatur.*

Cur praecedentibus PAULUS addiderit: τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείροντα Ἰησοῦν τὸν Κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, quaestio non est admodum difficilis. Difficultas nimirum hinc, nisi fallor, orta est, quod VV. DD. sumserunt, per Attractionem scriptum esse τοῖς πιστεύουσιν pro τοὺς πιστεύοντας. Hoc enim posito dubitari potest, utrum Apostolus beneficium, quod memorasset, *conditione* adstringere voluerit, ut RÜCKERTO aliisque et iam PELAGIO placuit, an vero *describere* perrexerit eos, qui beneficio illo fruuntur. Atqui illud ei tribuere vetat Articulus τοῖς, hoc alienum sonat, quum Pronomen ἡμᾶς CHRISTI *sectatores* significet, i. e. homines, qui fide hîc proposita se distinguunt. Largior quidem, exemplum Attractionis, quod FRITZSCHIUS e *Phil.* 10, 11 attulit, hunc in locum, si eam itidem contineat, egregie quadrare. Quid vero, si dixero, Attractionem in hanc orationem incurrere, quippe postulantem, ut Articulum τοῖς ad Pronomen οἷς referamus? Tum demum enim omnia plana fiunt, si auctorem explicantem facimus, *quales sint, quibus beneficium probationis destinatum esse scripserit.* Hanc autem explicationem necessariam ducebat, ne Pronomine ἡμᾶς dixisse censeretur, hoc nominatim *Romanis aeque ac sibi* ab antiquo destinatum esse. Atqui sic monstrare etiam videntur ipsa eius verba, me supra rectam iniisse viam ad interpretanda praecedentia: Οὐκ ἐγράφη — δι' ἡμᾶς.

Sine scrupulo igitur BEZAM hactenus sequor, ut intelligendum putem Adverbium *nimirum*. Neque orationi hunc sensum constituere dubito: *hominibus*, *nimirum*, *fidem habentibus ei*, *qui* IESUM *Dominum nostrum e mortuis suscitavit in vitam*. Eodem tendit Articulus Cap. VIII: 4, 28. Cf. 1 *Macc.* XIII: 10. Nonnulli Verbum πιστεύειν interpretari malunt *fiduciam collocare*, quam *fidem habere*. Non ita KÖLLNERUS, REICHIUS, OLTRAMARIUS, qui *fiduciam* quidem in censum venire, sed a vulgari tamen notione *fidei* non discedendum esse monuerunt. Et sane nulla causa est eius minus quam supra vs. 5 retinendae, uti FRITZSCHIO quoque, MEIIERO et plerisque placuit. Quod KREHLIO offensioni fuit tollitur, si attendimus animum ad verba τὸν Κύριον ἡμῶν, quibus laudationi omnipotentis Dei efficacitatis laudatio additur beneficentiae eius, cui CHRISTUS debetur, Dominus sectatorum suorum idemque *salutis sempiternae auctor*. CHRISTI autem sectatores Apostolus ABRAHAMI et similes esse docet, et dissimiles: similes, quatenus itidem fidem habeant Deo; dissimiles, quatenus hanc fidem ei habeant, qui IESU e mortuis in vitam suscitando singulare dedit documentum, quo adspectabile faceret, quantum polleat et quid velit.

Vers. 25.

Commendatio fidei Deo illi habendae, qui IESUM e mortuis in vitam suscitavit, Apostolum permovit ad orationem sic persequendam: Ὃς παρεδόθη διὰ τὰ

παραπτώματα ἡμῶν καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν. Difficultatem, his ex verbis oriundam, GROTIUS, KOPPIUS, PALMIUS, alii tollere conati sunt sumendo, PAULUM, secundum Parallelismum Hebraeis usitatum, duobus membris hanc unam enunciasse sententiam: *Ὃς παρεδόθη καὶ ἠγέρθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν καὶ διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν.* BOSVELDIUS causam, cur sibi haec interpretatio minus placeret, non explicavit. Sed habet illa sine dubio, quo speciosam se faciat. WETTIUS Antithesin magis in Parallelismo cerni monet quam in re ipsa. KREHLIUS *μερισμῷ*, quem dicit, nullum aliud tribuit momentum, quam *historicum.* REICHIUS huic sententiae formam *oratoriam* inesse ait. RÜCKERTUS et OLTRAMARIUS eam vocant *poëticam.* Talia certe iudicia prudenter providere iubent, ne ad rem referamus, quod tantum ad colorem pertineat. Attamen plerique loci, qui ad conglutinandum utrumque membrum comparantur, dissimiles sunt praeterquam Cap. VIII: 10. Sed ibi quoque in Apodosi duo distinguenda esse opposita docent Particulae *μέν* et *δέ*. Deinde si interpretes iam offenduntur eo, quod Verbo *ἠγέρθη* adscripta sunt *διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν*, quanto magis offensioni foret connexio Verbi illius cum praecedentibus *διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν.* Nec praetermittendum est, Protasin: *ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν* cum tota, quae hoc in capite agitur, disputatione de ABRAHAMO eiusque conclusione vs. 23, 24 nihil habere commune. Itaque structura orationis sic fieri debet, ut alterum membrum ab altero separatum maneat. Tum sedulo cavere oportet, ne haec sententia consideretur tanquam appendix praecedenti absque consilio adiecta. Plane iners enim illa est, nisi

auctor id egisse censetur ut probaret, *quanti pendenda sit fides* Deo illi habita, qui IESUM Dominum e mortuis in vitam suscitavit. Pronomen igitur ὅς aeque ac supra vs. 24 valere puto pro οὗτος γάρ, *hic enim*. Ipsis autem, quae sequuntur, verbis nihil inest, quod nos diu morari possit. Aoristo enim Passivo παρεδόθη, quocum Activum παρέδωκεν Cap. VIII: 32 comparandum est, significari *traditus est morti*, praecedentia ἐκ νεκρῶν clarissime ostendunt. Itidem intelligendum esse ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, tam ex opposito ἠγέρθη apparet, quam e subiunctis διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, quo dicitur, quod hominum non est. Similiter *Ies.* LIII: 12, quo PAULUM spectasse nonnulli opinantur. Si quis forte rogat, cur ille non scripserit διὰ τὰς ἁμαρτίας vel διὰ τὰ ἁμαρτήματα ἡμῶν, aperte fateor, praesto mihi non esse, quod respondeam. Si originis vocabuli παράπτωμα habetur ratio, Latine potius reddendum est *lapsus*, quam *peccatum*. Ipse quoque Apostolus *Eph.* II: 1 παραπτώματα et ἁμαρτίας distinxit. Rursus vero vs. 5 scribens tantum παραπτώμασι utrumque hoc uno comprehendisse, atque *Eph.* I: 7 et *Col.* I: 14 permutasse videtur. Sic alibi [1]) quoque alterum (παράπτωμα) explicatur altero (ἁμαρτία vel ἁμάρτημα). Itaque argutior esse nolo pro usitatissimo *peccata* substituendo minus usitatum *lapsus*, quod haud scio quoque, an argumenti gravitate inferius sit [2]). Vocabulum δικαίωσις, quod etiam Cap. V: 18 exstat, FRITZSCHIUS aliique bene distinxerunt a magis trito δικαιοσύνη.

---

[1]) POLYB. *Hist.* Lib. IX. cap. 10. *Glossar.* ALBERT. p. 100.

[2]) Cf. TITTMANN. *de Synon.* p. 45 sqq.

Significat igitur *actionem probantis Dei*, vel *probationem eius*, *τὸ δικαιοῦσθαι*, ut ipsa prodit forma. Praepositionem denique *διά* utroque in membro Latine reddendam esse constat *propter*. Quae quum ita sint, auctor sibi voluisse videtur: *Hic enim a Deo propter peccata nostra morti traditus et propter probationem nostram in vitam suscitatus est.* Sed ne sic quidem satis patet orationis sensus. Res ipsa loquitur, Praepositionem *propter* cum adiectis aliter in Protasi, quam in Apodosi intelligendam esse, si quidem illic *quod tollendum est*, hîc *quod afferendum est* proponitur. Quid igitur? an assentiendum est interpretibus, qui prius explicant: *ut nos liberaret peccatorum, quo premeremur, onere*, posterius: *ut nos ad fidem duceret, per quam probaremur a Deo?* Utique eo propensus essem, nisi duo essent, quae mihi obstarent. Alterum in eo cernitur, quod ita distinguuntur, quae reapse distingui nequeunt nisi Rhetoricorum more. Alterum parit orationis, quam supra iam attigimus, forma, cuius causa vereor, ne hac aliave simili verborum explicatione PAULO plus tribuamus, quam eius in mente fuerit, quum hoc acuto et sententioso dicendi genere uteretur. Propterea tutius existimo hîc ab omni ulteriori explicatione abstinere. De nexu vero utriusque membri sic sentio: PAULUM, ut gravitatem fidei vs. 24 propositae urgeret, ostendere voluisse, quam salutaris hominibus esset IESU Domini revocatio e mortuis in vitam: atqui Apostolum illud attingere non potuisse, nisi ante explicasset, cur ille mortalium, a quibus discernendus esset, in societatem pervenisset: ergo eum, re secundaria, ut post alios etiam animadvertisse videtur PEILIUS, primariae praemissa, scripsisse: Ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα

ἡμῶν καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, atque ita duo coniunxisse, quorum alterum haud secus Divini rerum humanarum regiminis miraculum esset, quam alterum, quod vis Dei effecisset omnipotens; quum utrumque incomparabilem eius beneficentiam erga homines vitiositati obnoxios testaretur.

CAPUT V.

Vers. 1.

Postquam Cap. III: 21 sqq. in homine, ut a Deo probetur, fidem requiri docuerat et hanc doctrinam Cap. IV ABRAHAMI exemplo confirmaverat, PAULUS Cap. V lectoribus exposuit, quam salutares probationis Divinae, fidem prosequentis, sint effectus. Sed quum effectus illos in luce collocare non posset, nisi oculos converteret ad CHRISTUM, uti fidei ipsius, ita omnis salutis auctorem, copiose ostendit, qualia et quanta ei deberentur. Egregie CALVINUS: „Totum hoc caput in amplificationibus positum est; quae tamen non minorem vim explicandi quam confirmandi habeant." Ad hoc autem argumentum aggrediendum commodam Apostolo transitionem paravit conclusio Cap. IV: 24, 25. Nec tamen hanc tantum, sed omnem praecedentem, ut plerique interpretes cum WINZERO [1]) viderunt, disputationem de probitate fidei spectavit, secundum Editionem Receptam scribens: *Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως*,

---

[1]) *Commentat. in locum Paulli ad Romanos Epistolae* Cap. V, 1—8.

εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quod quomodo ad hodiernos CHRISTI sectatores pertineat, BOSVELDIUS Theologorum iudicio relinquendum censuit: PAULUS certe rationem tantum habuit aequalium suorum, quotquot aliunde ad CHRISTI pervenerant communionem. Verum homines tamen comprehendit tam ex Iudaeis, quam e gentibus exteris ortos, quos vel solos, vel praesertim hîc in censum venire, LOCKIUS, CLERICUS aliique nonnulli minus recte putarunt.

Totius loci sensus ab eo pendet, utrum Indicativus *ἔχομεν* retinendus, an pro eo substituendus sit Coniunctivus *ἔχωμεν*. Recentiori memoria hunc illi praetulerunt LACHMANNUS, SCHOLZIUS, FRITZSCHIUS, KLEEIUS, REITHMAYRUS, ancipite haerente KOPPIO. Et sane favent iis multi Codices antiqui, plerique Patrum Graecorum et Latinorum, interpretes Syrus [1]) et Vulgatus. Vel sic tamen Indicativum *ἔχομεν* probarunt ERASMUS, LUTHERUS, CALVINUS, BEZA, SLICHTINGIUS, CRELLIUS, GROTIUS, cumque fortiter defenderunt MELANCHTHON, MUSCULUS, ESTIUS quoque, hac de causa notatus a RICHARDO SIMON [2]), alii. Hac nostra aetate secuti sunt omnes fere editores et interpretes, etiam TISCHENDORFIUS, TURNERUS, STENGELIUS, MAIERUS, BISPINGIUS. Nec gravibus, quorum auctoritate se tueatur, Editio Recepta omnino caret veterum testimoniis, ipsius iam TERTULLIANI [3]), cuius

---

[1]) Nimirum Coniunctivum *ἔχωμεν Rom.* XV: 4. *Hebr.* VI: 18. 1 *Ioann.* IV: 17 ita reddidit, uti scripsit hoc loco; Indicativum *ἔχομεν*, quantum novi, nusquam.

[2]) *Histoire crit. des princ. commentat. du N. T.* p. 900.

[3]) *Contra Marc.* Lib. V. cap. 13.

verba: *Monet* (Apostolus) *iustificatos ex fide Christi, non ex lege, pacem ad Deum habere*, arguunt, eum legisse ἔχομεν. Sed interna, quibus nititur Indicativus ille ἔχομεν, argumenta tanti ponderis sunt, ut litem plane dirimant. FRITZSCHIUS ad Coniunctivum ἔχωμεν defendendum nihil, quod urgeat, affert praeter hoc unum, verba δι᾽ οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν vs. 2 frigere, si Indicativus ἔχομεν retineatur; sed quam leve illud reapse sit, apparebit infra. Eorum autem, quae alii Coniunctivo opposuere, duo tantum refellere conatur: Coniunctivum, nempe, ferri non posse, quia Indicativi sequantur, et PAULUM, si hoc Modo uti vellet, scripturum fuisse εἰρήνην τηρῶμεν; hoc vero uti summo iure negat, ita illud suo privare nequit momento. Sed quam brevissime recensere, quidquid a VV. DD. recte pro Editione Recepta disputatum est vel disputari potest, opus non erit supervacaneum. Primum igitur orationi bona, quae ex probatione per fidem proficiscuntur, exponere incipienti, egregie convenit Indicativus ἔχομεν, quippe quo PAULUS lectoribus pacem gratulatur, cuius participes facti sunt; Coniunctivus vero ἔχωμεν hunc in locum adhortationem inportat, ab auctoris instituto, ut multi cum MEIJERO monuere, alienam, in hominis Christiani officia excurrentem, priusquam commemorata sint bona, quorum usu officia illa nitantur, et ad Cap. VIII vel XII relegandam. Deinde Indicativum ἔχομεν, non Coniunctivum ἔχωμεν genuinum esse intelligimus e Particula καὶ vs. 2 verbis δι᾽ οὗ et τὴν προσαγωγὴν interiecta, sive illa respondeat alteri καὶ, quod ab initio membri posterioris legitur, ut Latine scribendum sit *et*, *et*; sive sibi constet, quemadmodum Latinum *etiam*. Illud enim si

sumimus, soli sequuntur Indicativi, qui Coniunctivum suo in ordine non admittunt; hoc vero si placet, omnino retineri debet Indicativus, quoniam priusquam *beneficii alicuius cumulus* proponatur, *ipsum beneficium* proponere necesse est. Quod ad evertendum ne quis in sequenti *καυχώμεθα* etiam Coniunctivum cerni dicat, ut FRITZSCHIUS revera dixit et RÜCKERTUS dici posse concessit, monere iuvabit huic sententiae iam obstare Participium *καυχώμενοι* vs. 11, quo lectoribus non adhortatio datur, sed salus eorum praedicatur, multo magis vero principium vs. 3: *οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα*, unde ratiocinationem, non adhortationem praecedere apparet: de quo CHRYSOSTOMO quoque firmiter persuasum fuit, quum scriberet: *Οὐκ εἶπε, δεῖ καυχᾶσθαι, ἀλλὰ, καυχώμεθά, φησιν, ἡμεῖς.* Tertio, si legimus *εἰρήνην ἔχομεν*, verba *διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* aptissime sequuntur ad auctorem, *per quem* pax habeatur, denotandum, quae etiam vs. 11. 1 *Cor.* XV: 57. 2 *Cor.* III: 4 et alibi potestas Praepositionis *διά* est; sed vehementer dubito, an verba illa ferri possint, si praecedit alterum: *εἰρήνην ἔχωμεν*. Ipsi FRITZSCHIO scrupulum restitisse cogo ex hac eius admonitione: »Vocc. *διὰ τοῦ Κ. ἡ Ἰ. Χρ.* valent, IESU CHRISTO *opitulante.* Nam non Deo tantummodo, verum etiam CHRISTO ad Deum recepto haec vis est, ut ad optima quaeque hominum animos flectat (1 *Tim.* I: 12.)". Atqui illo in loco auxilium non significari videtur a CHRISTO de coelis datum, sed e CHRISTI communione per Spiritum Sanctum, qua hominis animus corroboratur, profectum [1]). Et adhortationibus suis Apostolus,

---

[1]) Cff. *Eph.* VI: 10. *Phil.* IV: 13 et quae ibi notavi.

quantum memini, non formulam *διὰ τοῦ Κυρίου*, sed *ἐν Κυρίῳ*, i. e. *in communione Domini* submittere solet: quemadmodum ipse IESUS *Ioann.* XVI: 33 dixit: *Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε.* Quarto, comparatio verborum: *δι' οὗ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν* eo quoque valet, ut ab Editione Recepta discedere vetet: nam, Indicativo *ἔχομεν* in Coniunctivum *ἔχωμεν* mutato, eadem Verba *ἔχωμεν* et *ἐσχήκαμεν* eodem modo interpretari non possumus, et Praepositio in priori formula *διὰ τοῦ Κυρίου* aliam notionem quam in posteriori *δι' οὗ καὶ* cet. sibi postulat. Quinto, si PAULUS PAULI interpres sit oportet, pro Editione Recepta novum argumentum praebet locus similis *Eph.* II: 17, 18: *Καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν καὶ [εἰρήνην] τοῖς ἐγγύς, ὅτι δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν οἱ ἀμφότεροι ἐν ἑνὶ πνεύματι πρὸς τὸν Πατέρα.* Inter illius quidem et huius loci verba interesse concedo, sed in utroque, si ad Romanos scripsit *ἔχομεν*, eadem in orationis serie earumdem rerum commonefacti sunt lectores. Praeterea illinc copia peti potest FRITZSCHII refellendi, ubi Indicativum improbat, ne frigeant verba *δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν.* Quum enim PAULUS ibi haec duo: *εἰρήνην* et *προσαγωγήν* distinguat ipse, nonne evidenter docet, ea hîc etiam distingui posse?

Acta Editionis Receptae causa nihil aliud fere superest, quam ut Graeca Latine reddam: *Probati igitur e fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum* IESUM CHRISTUM. Praepositionem *πρός* vulgo VV. DD. interpretantur Latine *cum*, sed, BEZA praeeunte, eam interpretari praestat *apud*, uti *Act.* II: 47. XXIV: 16.

1 *Ioann.* II: 1. III: 21. V: 14 et alibi, quamquam invito WETTIO, scribendum est. Nimirum quaestio non movetur de foedere, quod pangunt partes hostiliter contra se invicem animatae. Immo probatio hominis vitiosi, unde pax oritur, ut REICHIUS scite monet, solius Dei actio est. Ergo PAULI oratio e locis Veterum, quos post WETSTENIUM, BOSIUM, RAPHELIUM, ALBERTIUM multi attulerunt, ne lucem quidem acciperet, licet minus dissimiles essent omnes, etiam haec interrogatio, quam mendose descriptam reperi, apud PLATONEM [1]): *Πανταχῆ δὴ ἐκ τῶν νόμων εἰρήνην πρὸς ἀλλήλους οἱ ἄνδρες ἄξουσι;* hactenus tamen illi valent, ut ostendant, bene iudicasse PHILIPPUM aliosque interpretes, in Vocabulo *εἰρήνην* non Subiectum, sed Obiectum cerni. Quocirca errare censendi sunt, quotquot cum CALVINO *conscientiae securitatem* vel *animi tranquillitatem*, i. e. *pacem internam* significari putant. Quam etiam interpretationem ferre nequeunt verba *πρὸς τὸν Θεόν* praecedentibus *εἰρήνην ἔχομεν* adiuncta, quippe quae Apostolo alienam mentem obtrudi docent, nisi *pacis* illius *internae* intelligatur *principium et elementum*, eadem nempe pax homini apud Deum tanquam deposita, quam Deus *Act.* X: 36 (coll. *Rom.* X: 15) per IESUM CHRISTUM annunciasse dicitur. KREHLII igitur aliorumque disputatio me non retinet a sententia, PAULUM sibi voluisse aliis verbis: *a parte Dei pax nobis constituta est.* Vim autem formulae: *εἰρήνην ἔχειν πρὸς τὸν Θεόν* si bene assecutus sum, novum fortasse ea praebetur argumentum Indicativi *ἔχομεν* defendendi,

---

[1]) *Republ.* Lib. V. p. 445.

quoniam inepta videtur adhortatio: *pacem habeamus apud Deum*, scil. *nobis constitutam.* Ceterum vocabulo *εἰρήνη* non, ut multi contendunt, excludi *ὀργήν*, sed, ut OLTRAMARIUS etiam vidit, *πόλεμον*, e locis veterum supra memoratis cogimus, praesertim ex eo, quod legimus apud HERODIANUM [1]): *ἀντὶ πολέμου μὲν εἰρήνην ἔχοντες.* Hactenus iam recte OECUMENIUS: *καταλύσωμεν τελείως τὸν πρὸς αὐτὸν πόλεμον.*

Vers. 2.

Beneficio beneficium, in CHRISTI sectatores collatum eidemque auctori debitum, PAULUS adiungit aiens: *Δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ᾗ ἑστήκαμεν.* Ita sine ulla distinguendi nota Editio Recepta. Vocabula *τῇ πίστει*, quibus haud pauci carent libri veteres, WETTIUS cum aliis suspecta habuit, LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS oratione expulerunt. Nec negaverim, ea redolere Glossam, a lectore margini adiectam, ne fides hinc excludi censeretur. Magis tamen verisimile est, ea studiose omissa esse ab hominibus, sive ut tollerent quod sine damno abesse posset, seu ut orationis structurae succurrerent. Una cum Patribus Graecis plerique testes

---

[1]) *Hist.* Lib. VIII. cap. 7. § 8, ubi verbis descriptis adiecta reperimus: *πρὸς θεούς*; sed haec ibi stare nequeunt. FRITZSCHIUS cum STROTHIO pro iis legendum esse coniecit *πρὸς θεῶν*. Fortasse iis, et Comma praeponere, et Particulam *δέ*, librariorum culpa omissam, restituere debemus, ut legatur: *ἔχοντες, πρὸς δὲ θεούς, οὓς ὀμωμόκατε, καὶ νῦν φυλάσσοντες* cet.

antiquitatis haec vocabula tuentur, uti interpretes recentioris memoriae fere omnes. Nuperrime ea defendit TURNERUS.

Ut ad interpretationem progrediar, incipio a Particula *καί*, quam supra monui dupliciter intelligi posse, ut mera copula sit sequenti *καί* respondens, vel ut sibi constet et significet *etiam*. Illi autem, quamvis OLTRAMARIO aliisque placuit, hoc longe praeferendum puto, quia orationi animatae consentanea non est Dialecticorum ratiocinatio pluribusque de causis, quae infra patebunt. Quid? quod composita *ὅς καί* Cap. VIII: 34. IX: 24. 1 *Cor.* IV: 5. XV: 1, 2. *Phil.* IV: 10 et alibi in PAULI scriptis eandem ac Latina *qui etiam* habent notionem. Perfectum *ἐσχήκαμεν* LUTHERUS, MUSCULUS, CORNELIUS A LAPIDE, ESTIUS, GROTIUS interpretati sunt *habemus;* alii, ut etiam BOEHMIUS, KOPPIUS, FLATTUS, RÜCKERTUS, WINZERUS, *nacti sumus;* OLTRAMARIUS *habuimus et habemus.* Hic vero ipse interpretationem illam alienam esse concedit, nisi oratio contexta ad eam ducat. Atqui hoc loco non minus sequens *ἐν ᾗ ἑστήκαμεν,* quod frigere nequit, quam praecedens *ἔχομεν*, cui Perfectum *ἐσχήκαμεν* oppositum est, ei obstare, BENGELIUS, OLSHAUSENIUS, FRITZSCHIUS, HODGIUS, PHILIPPUS docuerunt, nihil aliud admittentes quam *habuimus*, quod MEIERUS etiam defendit. Quemadmodum autem Verbum 2 *Cor.* I: 9 [1]). II: 13. VII: 5 id denotat, quod *Ephesi*, *Troade* et *tempore adventus in Macedoniam* factum est, sic Participium *ἐσχηκότα rem plane praeteritam.* Itaque hîc a notione Perfecti *habuimus* disce-

---

[1]) Cf. RÜCKERT. *Der Zweite Brief P. an die Korinth.* ad h. l.

dendum non est. Contrariam in partem RÜCKERTUS et OLTRAMARIUS frustra disputant provocando ad SOCRATIS verba apud PLATONEM [1]): *Ὑμῖν πειράσομαι ἀποδεῖξαι τί ποτ' ἔστι τοῦτο, ὅ ἐμοὶ πεποίηκε τό τε ὄνομα καὶ τὴν διαβολήν — — —. Δι' οὐδὲν ἀλλ' ἢ διὰ σοφίαν τινα τοῦτο τὸ ὄνομα ἔσχηκα.* Quamvis enim Verbum *ἔσχηκα* famam spectat nondum exstinctam, de eo tamen, quod sibi *antea imputatum* est, Philosophus tantum loquitur, ut ostendunt praecedentia. Vocabulo *προσαγωγήν* plerique *aditum* proponi putarunt. BEZA *adductionem*, quam dicit, significari monet. Consentiunt praeter alios BENECKIUS, PAULUS, GLÖCKLERUS, STUARTUS, MEIERUS, quo iudice ubique *adducendi* notio requiritur. Equidem dubito, an Etymologia, cui vim suam saepissime adimit loquendi usus, illa quoque notione *Eph.* II: 18 et III: 12 tenenda non nimis urgeatur; sed hanc in orationem, quum Vocabulum *προσαγωγήν* Verbo *ἐσχήκαμεν* praemissum sit, ea egregie quadrat, ut iam animadvertisse videtur OECUMENIUS scribens: *Δι' αὐτοῦ προσήχθημεν τῷ Πατρί.* Graeca igitur explicanda puto: *Per quem hoc etiam habuimus, ut adduceremur fidei ope ad beneficium illud probationis gratis in nos collocatum.* Atque haec iam prodit explicatio, me Dativum *τῇ πίστει* considerare tanquam in Parenthesi positum et sequentia: *εἰς τὴν χάριν ταύτην* connectere cum praecedentibus: *τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν.* Ita praeter alios KÖLLNERUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, WETTIUS, HODGIUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MAIERUS. Qui cum WETSTENIO Praepositionem *εἰς* a Vocabulis *τῇ*

---

[1]) *Apol. Socr.* p. 20.

πίστει pendentem faciunt, PAULO, ut bene monet MEIJERUS, dicendi obtrudunt formulam *πίστις εἰς τὴν χάριν* ei omnino incognitam. Recte itidem V. D. illa nihil aliud quam *χάριν τοῦ δικαιωθῆναι* praedicari asseverat, quo omni Tautologiae locus praecluditur. Et hoc ipsum, ut cohaerentia postulat orationis, ita nescio, an arguant quoque praecedentia *τῇ πίστει*, quae si quis cum FRITZSCHIO explicare maluerit, *fidem nimirum habendo*, quam *ope fidei*, ut feci BOEHMIUM sequens, non magnopere reprehendam.

Nondum attigi subiecta *ἐν ᾗ ἑστήκαμεν*, sed interpretatio eorum consummari nequit sine quaestione, quomodo cohaereant cum sequentibus: *καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ*. Verba *ἐν ᾗ* aptius ad proximum *χάριν*, quam ad remotius *πίστει*, ut GROTIO placuit, referuntur. Nec vero structuram aliter facere licet. Nam dici quidem potest, uti *Ioann.* VIII: 44 et 1 *Cor.* XV: 1 legimus, *ἑστηκέναι ἐν τῇ ἀληθείᾳ* et *ἐν τῷ εὐαγγελίῳ*, quoniam in vocabulis *ἀλήθεια* et *εὐαγγέλιον Obiecta* cernantur; neutiquam vero *ἑστηκέναι ἐν τῇ πίστει*, quoniam notio vocabuli *πίστις Subiectiva* est, fidem animi proponens, in qua stari nequit. De industria igitur PAULUS Cap. XI: 20. 2 *Cor.* I: 24 sine Praepositione scripsit *τῇ πίστει*, i. e. sermone vernaculo *door het geloof*. Verbum *ἑστήκαμεν* quum, docente FRITZSCHIO, eius generis sit, ut Praesens eo indicetur, quisque intelligit, illud Latine reddendum esse *stamus*, i. e. hoc loco, ut idem FRITZSCHIUS scribi iubet, *perseveramus*. Exemplum egregium praebet DEMOSTHENES [1]) aiens: *Ὅταν τὰ μὲν τρόπαια*

---

[1]) *πρὸς Λέπτιν*. Tom. I. p. 306 SCHAEFERI.

ἑστήκῃ δῆλα πᾶσιν ἀνθρώποις, ἃ ὑπὲρ ἡμῶν στρατηγῶν ἐκεῖνος ἔστησε. Sed nunc pervenimus ad quaestionem, quaenam structura facienda sit verborum *καὶ καυχώμεθα* cet. Videlicet triplex ea esse potest, vel ut absolute posita habeantur, vel ut connectantur cum remotioribus *δι' οὗ ἐσχήκαμεν*, vel ut pendeant a proxime antecedentibus *ἐν ᾗ ἑστήκαμεν*. Atqui si praefertur ceteris, quod primum memoravi, non solum inter hunc locum et vs. 1 sententia valde dissimilis eodem in ordine ponitur, sed etiam auctor abducitur a consilio, quo hoc Caput exorsus est, ut, nempe, probaret, omnia bona Divina *per* CHRISTUM impetrari. Alterum si placet, incommode copulantur duo diversa: Verba notionis Passivae et Activae, Praeteritum et Praesens. Tertia igitur nobis restat structura, quae placuit WETSTENIO, BENGELIO, BOEHMIO, GLÖCKLERO, RÜCKERTO, OLTRAMARIO, BISPINGIO, et antea etiam placuerat MEIERO. Et haec quidem cum loquendi usu maxime convenit, quoniam auctori in deliciis est orationem sic persequi, ut enunciatis alia, quae in mentem veniunt, per Particulam *καί* arcte annectat. Deinde verba *ἐν ᾗ ἑστήκαμεν*, nisi fallor, levioris appendicis instar sunt, si sententia in ea desinit, sed gravitatem accipiunt, si nullo intercedente Commate connectuntur cum sequentibus *καὶ καυχώμεθα*. Praeterea ipse PAULUS hanc viam lectoribus monstrasse videtur, quum Verbo *καυχώμεθα* non subiiceret Praepositionem *ἐν*, uti Cap. II: 17, 23. V: 3, 11. 1 *Cor.* III: 21. 2 *Cor.* V: 12 et fere ubique, sed *ἐπί*, quae alibi quidem, ut MEIIERUS monet, Verbum illud sequitur, in N. T. nusquam. Et infra videbimus, hanc structuram ab eo commendari, ubi aiat *καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν*. Itaque sine scrupulo

Graeca explico: *cuius in beneficii gratis in nos collati communione perseveramus et gloriamur, quippe ad spem erecti fore, ut gloriae, quam Deus possidet, fiamus participes.* Formula ἐπ' ἐλπίδι aliunde suspensa non est, sed absolute posita; quare, uti Cap. IV: 18, Latine reddi potest *spe concepta.* Ea vero exponenda *quippe ad spem erecti* rationem habui seriei orationis, quum PAULUS sibi voluisse videatur, communionem gratiae Divinae hominum in animis spem fovere. Similem interpretationem admittunt 1 *Cor.* IX: 20. *Tit.* I: 2, nec respuit *Rom.* VIII: 20. Recepta tamen interpretatio eodem redit, si scribimus *propter spem*, quod MEIIERO etiam placuit, praeter alia excitanti *Psalm.* XLVIII: 6 et *Sir.* XXX: 2. Ex hac autem formula intelligimus, sequentia τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ id significare, quod hac in vita tantum sperari possit. Si vero recte disputavi ad Cap. III: 23, otium mihi factum puto explicationis supra propositae defendendae. Cum SHUTTLEWORTHO [1]) etiam scribere potuissem: *nos admissum iri ad videndam gloriam Dei*, quemadmodum iam scripsit ORIGENES: *in spe videndae gloriae Dei.* Sed PAULI verbis includi gloriae Divinae communionem, supra me monere memini.

Vers. 3, 4.

Amplificationem PAULUS persequitur Paradoxo: Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν.

---

[1]) *A Paraphrastic Translation of the Apostolical Epistles, with notes* ad h. l.

Eiusdem Breviloquentiae, qua auctor vs. 11. VIII: 23. IX: 10 et alibi etiam usus est, exempla praebent scripta Graecorum, a MEIIERO aliisque memorata. Vulgo e vs. 2 post *οὐ μόνον δέ* repetuntur *καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ*, quibus VV. DD. orationis absolute positae exordium inesse censent. Neque ita male, quoniam bonorum per CHRISTUM sectatoribus eius partorum recensio vs. 2 peracta est. At si supra probare mihi contigit, verbum *καυχώμεθα* aeque ac praecedens *ἑστήκαμεν*, a vocabulis *ἐν ᾗ* pendere, vide, an non repetere praestet *καυχώμεθα ἐν αὐτῇ*, i. e. *in beneficii gratis in nos collati communione gloriamur*. Sic formulae neganti commodius opponitur aiens: *ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν*, quae ipsa nobis suadet, ut vs. 2 arcte connectamus: *ἐν ᾗ ἑστήκαμεν καὶ καυχώμεθα*. Adde, Participio sequenti *εἰδότες* proxime subiecta esse talia, ut PAULUS spei gloriae futurae non amplius rationem habuisse videatur, donec ad finem vs. 5 eo rediret. Satis fidenter igitur interpretor: *Non solum vero gloriamur in beneficii gratis in nos collati communione, sed gloriamur etiam in communione malorum, quae* CHRISTI *causa subimus.* Hoc autem differt ab interpretatione GLÖCKLERI et BAUMGARTEN-CRUSII, quam reprehendunt FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, MEIIERUS, alii: *quum malis affligimur.* At ubi aiunt, Antithesin ei obstare, sine dubio falluntur, si vera sunt, quae dixi supra. Rursus ego, quamvis negare nolo, plerosque, quum Graeca *καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν* Latine reddant: *gloriamur de malis*, locos nonnullos afferre posse, quibus se tueantur, crediderim tamen, notiones Praepositionum *ἐπί* et *ἐν* ab iis confundi. Quod iam egit THEOPHYLACTUS scribendo: *Οὐ*

μόνον δὲ ἐπὶ τοῖς μέλλουσιν ἀγαθοῖς καυχώμεθα, ἀλλ', ὅπερ μεῖζόν ἐστι, καὶ ἐπὶ ταῖς νῦν παρούσαις ἡμῖν θλίψεσι. Quidni nobis constemus eadem in interpretatione, quae Cap. II: 17, 23 et V: 11 requiritur? Plurali *θλίψεις*, si CHRISTI sectatores spectat, in N. T. et apud scriptores Ecclesiasticos denotantur mala, quae barbare *persecutiones* dicuntur [1]). Quam ob rem verbis: *in communione malorum* adieci: *quae* CHRISTI *causa subimus.*

Ne vero quis PAULUM similem existimet fanaticorum hominum, qui se temere in mala quaevis coniiciant, ut singulare sibi meritum apud Deum quaerant, cavent alterius membri verba: *εἰδότες, ὅτι ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται*, i. e. *utpote scientes, mala, quae* CHRISTI *causa subimus, constantiam efficere.* Scripsit igitur Apostolus, quod et ratio dictabat, et experientia. Graecum *ὑπομονή*, quod HESYCHIUS interpretatur *καρτερία*, dubito, an Latino *patientia* reddi possit aliis in locis, quam ubi huc ducat nexus eius cum sequentibus, uti 2 *Cor.* I: 6 legimus *ἐν ὑπομονῇ τῶν παθημάτων.* Iam TERTULLIANO [2]) et postea multis aliis placuit vocabulum *tolerantia*, sed quum hoc sine Genitivo subiecto rarioris usus sit, praetuli id, quod recentiori memoria FRITZSCHIUS, REICHIUS, KREHLIUS, OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MAIERUS et fere omnes probarunt. Illud *efficit* autem, quod Verbo *κατεργάζεται* significari Cap. II: 9 vidimus, ita accipiendum esse, ut intelligatur *apud* CHRISTI *sectatores*, recte monuerunt

---

[1]) Ita 2 *Cor.* VI: 4. *Eph.* III: 13. 1 *Thess.* III: 3. 2 *Thess.* I: 4 et alibi. Cf. SUICERUS. Tom. I. p. 1403, 1404.

[2]) *Scorpiac.* cap. 13.

BENGELIUS aliique. Sed hoc iam arguit notio praecedentium ἡ θλῖψις, quae Plurali ταῖς θλίψεσιν respondent.

Eadem in orationis serie auctor vs. 4 ad maiora progreditur aiens: ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα, scil. κατεργάζεται, quod repetendum est. Nihil aliud molestiam creat quam vocabulum δοκιμή. Vetus noster interpres, LUTHERUM aliosque sequens, scripsit *bevinding*, quocum convenit Latinum *experientia*, quod BEZAE etiam placuit, sed iure meritoque reprehenditur a BOSVELDIO. Sine dubio huic vocabulo notionem *indolis probatae* oratio contexta vindicat, quae MEIJERI et omnium fere interpretum recentioris memoriae sententia est. Atque sic illud, quamquam in Graecorum libris huius usus desiderium relinquitur, accipi debet 2 *Cor.* II: 9, item *Phil.* II: 22, ubi verba τὴν δὲ δοκιμὴν αὐτοῦ nondum explicare vereor: *Hic vero quantopere se probaverit.* Ergo hoc loco PAULUS dixit: *Constantia autem efficit indolem probatam* (sermone vernaculo scribatur *beproefdheid*), *indoles vero probata spem.* Similiter quoque CHRYSOSTOMUS aliique veteres, etiam THEOPHYLACTUS, cuius verba sunt: Δόκιμον τὸν πειραζόμενον ἀπεργάζεται. Cum Gradatione, qua auctor usus est, comparari meretur exemplum eius a SCHOETTGENIO notatum, item quod se offert 2 *Petr.* I: 5—7. Orationis conclusioni accommodata est adhortatio, alicubi [1]) laudibus constantiae IOSEPHI subiecta: ὁρᾶτε, πόσα κατεργάζεται ἡ ὑπομονή.

---

[1]) *Test. Ioseph.* Cap. 10. l. l. Tom. I. p. 711.

Vers. 5.

Ad spei commemorationem reversus PAULUS, ut videant lectores, quantum ea valeat, sic argumentatur: Ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει· ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ Πνεύματος Ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν, i. e. ad verbum: *Spes vero pudore non confundit, quia amor Dei effusus est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum nobis datum.* Insolenter sine Accusativo scribens οὐ καταισχύνει, homines intellexit Christianos, *quibus indoles probata spem fecerat:* nam Nominativus ἡ ἐλπίς non spem quamlibet significat, sed *Christianam*, ut bene monet KREHLIUS. At nonnihil difficultatis parit quaestio, quomodo asseveratio, spem pudore non confundere, cohaereat cum sequentibus, quae ab ea pendere Particula ὅτι indicat. Ut autem fiat responsio, primum explorandum est, utrum formula ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ Genitivum Subiecti an Obiecti contineat, seu utrum *amorem Dei erga homines* proponat, an *hominum erga Deum*. Hoc, THEODORETO (non item PELAGIO) duce, pauci tantum contenderunt, inter nostrates GREVIUS. Illud inde ab ORIGENE multis interpretibus a MEIJERO laudatis, etiam BOSVELDIO, PALMIO, HODGIO, OLTRAMARIO, STUARTO, KREHLIO, REITHMAYRO, PEILIO, TURNERO, VINKIO, BISPINGIO et fere omnibus placuit. Utraque interpretatio bonum praebet sensum, versui etiam 4 convenientem. Nec vs. 8 Pronomine ἑαυτοῦ lis dirimitur: nam eo amor Dei et *ab amore hominum*, et *ab amore* CHRISTI distingui potest. Maioris ponderis argumentum pro Subiectiva Genitivi notione fortasse inde petitur, quod eadem in

Epistola Cap. VIII : 39 formula ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ nihil aliud sibi velle videtur quam *amorem Dei erga homines;* quemadmodum hoc sine dubio significat 1 *Ioann.* IV: 9 coll. 10, 16. Rursus vero varii loci sunt, in quibus ea explicetur oporteat *amor hominum erga Deum*, *Luc.* XI: 42. *Ioann.* V: 42. 1 *Ioann.* III: 17. V: 3, item II: 5, 15. Deinde huic interpretationi favent subiecta ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, si ea talia sunt, ut alteram ferre nequeant, nisi *amoris Dei erga homines* intelligatur *comprehensio*, *conscientia* vel *sensus*, quod haud pauci cum MEIIERO orationi, ut consummaretur, addiderunt. Atqui huiusmodi vocabulum sine causa orationi additur. Nusquam enim formulae ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ plus inest quam notio *amoris Dei.* Et Verbum ἐκκέχυται, quod nihil aliud significat quam *effusus est*, quomodo formulae illi congruat, docent sequentia διὰ Πνεύματος Ἁγίου, quibus Subiectum, non Obiectum, proponi REICHIUS, OLTRAMARIUS aliique, uti e connexis ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν et τοῦ δοθέντος ἡμῖν luculenter apparet, recte monuerunt, ne Articulum τοῦ iis deesse dicam. Ergo *donorum Spiritus Sancti in homines Christianos collocatorum* iis indicatur *possessio.* Huius autem rei commemorationem aptissime praecedit Perfectum ἐκκέχυται. Nimirum Verba ἐκχεῖν et ἐκχύνειν *de donorum illorum distributione* usurpantur *Ioël.* II: 28, 29. III: 1 (*Zach.* XII: 10). *Act.* II: 17, 18, 33. X: 45. *Tit.* III: 6 [1]), ubi Adver-

---

[1]) Similia praebent *Test. Lev.* cap. 18. *Iud.* cap. 24. l. c. p. 585, 617. CLEM. *Rom. Ep. ad Cor.* cap. 2. l. c. p. 148. Cf. SUIC. Tom. I. p. 1075, 1076, qui male tamen OECUMENIUM aliosque sequitur ipsi Verbo *dationis copiosae* notionem attribuens.

bium πλουσίως nobis indicio est, ipso Verbo ἐξέχεεν distributionis *copiam* non denotari. Quis vero negaverit, hunc loquendi usum PAULUM movisse, ut per Metonymiam signati pro signo [1]) scriberet ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται atque ita ad amorem Dei effusionem referret, quae pertinet tantum ad possessionem donorum Spiritus Sancti, in qua amor Dei cernitur? Quis itidem inde, quod Perfecto ἐκκέχυται substrata non sunt ἐπὶ τὰς καρδίας ἡμῶν, sed ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, cogere recusaverit, Graeca explicanda esse: *in cordibus nostris habemus effusum amorem Dei*, quemadmodum *Psalm.* XLV: 3 poëtae dictum: ἐξεχύθη χάρις ἐν χείλεσί σου sibi vult: *gratia effusa est, ut labiis tuis insideret*, i. e. *gratia labiis tuis insidet* [2])? Huc igitur verborum redibit sensus: *Spiritus Sancti dona nobiscum communicata cordibus nostris documento sunt amoris Dei.* Quod si verum est, nullum amplius remanet dubium, quin significetur *amor Dei erga homines.* Sed nondum parata responsio est ad quaestionem, quomodo hoc in vs. alterum per Particulam ὅτι cohaereat cum altero. Vulgo verba οὐ καταισχύνει explicantur *non fallit*, nexum vero eorum cum sequentibus frustra quaero, si hoc, ut multis placet, ita intelligendum est, *spei eventum fore consentaneum*, quod e Praesenti καταισχύνει quoque erui non posse videtur. Nec mihi tamen praesto est quod omne desiderium expleat. Vidi quidem Verbum Activum καταισχύνειν nihil aliud sibi postulare, quam ut Latine reddatur *pudore*

---

[1]) Cf. GLASSIUS l. c. p. 868 sqq.

[2]) Cff. WINER. p. 490, 491. BERNHARD. p. 208.

confundere; hoc vero vario modo explicandum est pro argumenti diversitate. Exempla dabunt *Ruth.* II: 15. 2 *Sam.* XIX: 5. *Psalm.* XLIV: 9. *Ies.* III: 15. *Hos.* II: 5. *Sir.* XXII: 4, 5. 1 *Cor.* I: 27. XI: 4, 5, 22. Quid? si hoc loco verba: ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει explicamus *spes vero non deserit*, i. e. *spe non destituimur*, seu *spes nobis permanet inconcussa?* Ita *Psalm* CXIX: 31: Ἐκολλήθην τοῖς μαρτυρίοις σου, Κύριε, μή με καταισχύνῃς, i. e. sine dubio: *ne me deseras*; quemadmodum Passivum καταισχύνεσθαι *Ier.* VI: 15 explicatur *deseri.* Sed si hoc minus probabile videatur, subsistendum erit in interpretatione: *spes vero fallax non est.*

Vers. 6.

Quae vs. 1—5 proposita sunt, vs. 6—11 ab auctore partim explicantur, partim confirmantur. Primo tamen adspectu inter utramque ratiocinationem se prodere videtur hiatus, qui tolleretur, si praedicatio amoris Dei vs. 8 praedicationem singularis CHRISTI magnanimitatis vs. 6, 7 antecederet. Atqui, ut REICHIUS aliique bene viderunt, e comparatione Capitis IV: 25, quocum disputata Cap. V: 1—5 arcte cohaerent, apparet ea, quae vs. 6, 7 de CHRISTO dicantur, ad Deum etiam referenda esse, quatenus Dei consilio et iussu factum sit, ut CHRISTUS salutis humanae causa mortem subiret. De nexu igitur orationis satis constat. Sed quomodo haec oratio vs. 6 constituenda et distinguenda sit, nondum ita exploratum est ut inter se consentiant VV. DD.

In Editione Recepta legimus: Ἔτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε. Pro Particulis ἔτι γάρ alii quidem habent εἰς τί γάρ, alii εἰ δέ, alii εἴγε, alii εἰ γάρ; sed, paucis interpretibus exceptis [1]), de eo inter omnes convenit, in his formulis mutationes cerni a manu aliena profectas. FRITZSCHII coniectura, quae MICHELSENIO non displicuit, legendum esse ἢ τί γάρ, ut nullo nititur testimonio antiquitatis, ita hunc in locum non quadrat, quoniam lis non agitur cum dissentientibus. Paulo probabilius est, quod RÜCKERTUS coniecit, Apostolum scripsisse καὶ γάρ. Quis vero crediderit, librarios difficillimum ἔτι pro facillimo καί substituisse adeoque propagasse, ut nulla amplius veri appareant vestigia? Profecto nihil aliud superesse videtur, quam ut Receptum ἔτι cum TURNERO ceterisque editoribus retineamus. Sed satis pro eo nuperrime disputavit REICHIUS [2]), cui me in schola quoque assentiri memini, ubi GRIESBACHIUM et KOPPIUM sequi nollet illud post vocabulum ἀσθενῶν repetentes. Idem noluerunt VV. DD. ab OLTRAMARIO memorati, etiam TERROTUS, STUARTUS, WETTIUS, REITHMAYRUS, PHILIPPUS, MAIERUS. OLTRAMARIUS ipse aliter sensit, cumque eo LACHMANNUS, BOEHMIUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, KÖLLNERUS, BAUMGARTEN-CRUSIUS. Illi omnes, nempe, quomodocunque de orationis principio iudicabant, vocabulo ἀσθενῶν

---

[1]) Praeter SEMLERUM et USTERIUM l. c. p. 119 GREVIUS legit εἰ γάρ. Huic HERINGA l. c. p. 64 praetulit εἴγε γάρ, et pro Particula εἴγε testatur Cod. Б; sed PAULUS ea tantum usus est, ubi *de re agebat incerta*, uti *Gal.* III: 4. *Eph.* III: 2. IV: 21. *Col.* I: 23 et fortasse 2 *Cor.* V: 3.

[2]) *Comment. Crit.* ad h. l.

Particulam ἔτι adiecerunt. Et sane, quum haec Particula ita comparata sit, ut ingenia hominum valde exercuerit et exercere pergat, negari nequit magni pendenda esse testimonia librorum veterum, in quibus bis scripta reperiatur. Nemo enim eam repetiisse censendus est, nisi in exemplo, quod describeret, repetitionem exstare vidisset. Nec me perturbat amplius, quod satis multi aiunt, repetitionem absurdam esse. Quod ad redarguendum uti nolo auctoritate HOMERI [1]), apud quem legimus:

— — — — — — — — — — — οὐ γάρ ἔτ' ἄλλον
φράζετο τοῦδ' ἔτι μοι χαλεπώτερον εἶναι ἄεθλον.

Nam quamvis cum WOLFIO et HAGERO vocabula τοῦδ' ἔτι mutanda non sunt in τοῦδέ τι [2]), locus dissimilior est, quam ut cum PAULI oratione possit comparari. Sed periculum faciam probandi, nos nullo indigere exemplo, dummodo, GRIESBACHIO duce, verba sic distinguamus: Ἔτι γὰρ Χριστὸς, ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι, κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε. Nimirum sumo, PAULUM, quum TERTIO dictare vellet: Ἔτι γὰρ Χριστὸς κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε, inter dictandum animadvertisse, ea lectoribus obscuriora fore, ideoque, mentis suae explicandae causa, iis, priusquam sententiam suam absolveret et quidem iam post vocabulum Χριστός, interiecisse: ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι; hîc Particulam ἔτι studiose ceteris postpositam, illic itidem studiose praepositam esse: nec

---

1) *Odyss.* Lib. XI. vs. 622, 623.

2) Cf. DUNCANI *Lex.* ad h. l.

tamen, secundum loquendi usum, alterutram loco stare alieno, quia structura esse debeat: *Χριστὸς γὰρ ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανεν ἔτι κατὰ καιρὸν, ἡμῶν ἔτι ὄντων ἀσθενῶν.* Haec autem si sumere licet, evanescere etiam videntur difficultates, quae inde oriuntur, quod vocabula *ἀσθενῶν* et *ἀσεβῶν* connexa sunt et quod ad finem sententiae non legimus *ὑπὲρ ἡμῶν*, sed *ὑπὲρ ἀσεβῶν.*

Interpretationem exordior a verbis: *ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι*, quae ceteris interiecta esse evidenter docent similia vs. 8: *ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν.* Ergo Particula *ἔτι*, vocabulo *ἀσθενῶν* subiecta, ad hanc orationis partem pertinere deprehenditur. Cur vocabulo illi *subiecta* sit, non amplius rogabit qui attenderit ad huius sententiae principium: *Ἔτι γὰρ Χριστός*, cui ea continuo annectenda in orationis tam perspicuitatem quam concinnitatem peccatum esset. Sed ob efficacitatem etiam ea haud secus interiectis postposita quam circumiectis praeposita est. Exempla si quaerimus in libris Graecorum, dicentem audiamus OEDIPUM apud SOPHOCLEM: [1])

Δείξεις δὲ μᾶλλον, ἢν ἐν ἐξείπῃς ἔτι·

et SOCRATEM apud PLATONEM [2]): *Νέος ἔτι, ὦ Φαῖδρε, Ἰσοκράτης.* Itidem convenit quod legimus apud interpr. Al. *Gen.* XLX: 27: *Βενιαμὶν λύκος ἅρπαξ τὸ πρωϊνὸν ἔδεται ἔτι.* Et sic quoque Particula ceteris postposita est *Hebr.* VIII: 12. *Apoc.* XII: 8. XVIII: 21, 22

[1]) *Oedip. Tyr.* vs. 707.

[2]) *Phaedr.* p. 270 init.

et ubique fere hoc in libro. Dicere igitur voluit auctor: *quum nos nondum desieramus esse ἀσθενεῖς*. Quid vero illud Adiectivum? Recte RÜCKERTUS nihil effecisse monet, qui ei notionem sequentium ἀσεβῶν et ἁμαρτωλῶν tribuere conarentur. Mihi vocabulum difficilius illustrandum videtur faciliori νήπιοι, quo PAULUS, *Gal.* IV: 3: scribens: *Οὕτω καὶ ἡμεῖς, ὅτε ἦμεν νήπιοι, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένοι*, *sectatores* CHRISTI, *tam ex Iudaeis quam e gentibus exteris ortos* [1]), proposuit, quales ante CHRISTI adventum fuerant, puerorum instar *rebus fluxis et caducis dediti ritibusque profanis servientes*. Illius autem loci comparatio mihi propterea quoque arridet, quod vs. 9 τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα Galatis antea placuisse dicuntur. Si quis rogat, cur Apostolus hac in gravi oratione tam leni vocabulo usus sit, respondeo, eum meliori uti non potuisse, ut tempore, quo CHRISTUS pro impiis mortuus esset, notando praecedentia et sequentia obiter explicaret. Similiter *Act.* XVII: 20 memoravit τοὺς χρόνους τῆς ἀγνοίας, quod excitat REICHIUS [2]). Cf. 1 *Cor.* XII: 2.

Mediis expositis circumiecta, nisi fallor, intellectu erunt faciliora. Incipiamus a Particula ἔτι orationi

---

[1]) Ita post alios BORGERUS, *Spec. Hermeneut.* cet. WINERUS, *Pauli ad Gal. Ep.* cet. MATTHIES, *Erklärung* cet. SARDINOUX, *Commentaire* cet. USTERIUS vero *Commentar* cet. probare conatus est, Pronomen *ἡμεῖς solos* spectare *Iudaeos*, quod WETTIUS etiam defendit. Sed mirandum est, PAULUM, si hoc voluisset, vs. 6 Pronomen ἡμῶν (sic enim legi debet) *tam ad homines e gentibus exteris ortos quam ad Iudaeos* retulisse, eumque sine Pronomine ὑμεῖς paulo superius scripsisse ἐστέ et infra vs. 8 ἐδουλεύσατε.

[2]) *Versuch einer ausführlichen Erklärung* cet. ad h. l.

praeposita, quam nonnulli cum KOPPIO et PLATTO interpretati sunt *adeo* vel *praeterea*, quod THOLUCKIUS aliique satis refutarunt, BAUMGARTEN-CRUSIUS tamen repetiit. Hyperbaton ei inesse, ut traiicienda sit ad verba ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, communis sententia est interpretum, quotquot eam, a vera notione discedere nolentes, Latine reddunt *adhuc* vel *etiamnum*: neque aliter FRITZSCHIUS et RÜCKERTUS, si ea genuina sit, iudicandum esse monent. Hoc autem ut tueantur, multi provocant ad verba ACHILLIS *Tatii* [1]), a KYPKIO iam allata: Ἐγὼ δὲ ἔτι σοὶ ταῦτα γράφω παρθένος, quae interpres reddidit: *ipsa tibi haec virgo adhuc scribo.* Atqui hoc ceteraque, quae afferuntur, exempla nullo modo probant, Particulam ἔτι, salvo loquendi usu, ad *interiectam* orationis partem referri posse. Imo quod supra dixi, hanc fieri debere structuram: Χριστὸς γὰρ ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανεν ἔτι κατὰ καιρόν, verum esse evidenter docent. Et idem illud e multis aliis apparet locis tam exterorum quam Sacrorum Scriptorum. Brevitatis causa subsistam in exemplis nonnullis e N. T. petendis. Ergo *Matth.* XII: 46 (secundum Editionem Receptam) legimus: ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος pro αὐτοῦ δὲ ἔτι λαλοῦντος: *Luc.* XV: 20: ἔτι δὲ αὐτοῦ μακρὰν ἀπέχοντος pro αὐτοῦ δὲ ἔτι μακρὰν ἀπέχοντος: *Hebr.* VII: 10: ἔτι γὰρ ἐν τῇ ὀσφύϊ τοῦ πατρὸς ἦν pro ἐν τῇ γὰρ ὀσφύϊ τοῦ πατρὸς ἔτι ἦν: *Hebr.* IX: 8: ἔτι τῆς πρώτης σκηνῆς ἐχούσης στάσιν, quod STUARTUS ad defendendam vulgarem sententiam attulit, pro τῆς πρώτης σκηνῆς ἔτι ἐχού-

---

[1]) *De Clitoph. et Leucipp. amoribus.* Lib. V. cap. 18.

σης στάσιν. Similiter infra vs. 8 exstat: ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν pro ἡμῶν ἔτι ὄντων ἁμαρτωλῶν. Quemadmodum autem illis in locis Particula ἔτι, ut emineat, ceteram orationem praecedit, ita hîc eodem consilio vocabulo Χριστός praeposita est. In hoc vero vocabulo frustra Emphasis quaeritur, si illud separatum est a sequentibus ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι et coniunctum cum remotioribus κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε. Iam his coniunctis Particula praeposita ad verba κατὰ καιρὸν ἀπέθανε pertinet, neque ullam difficultatem parit interpretatio. Formulam κατὰ καιρόν plerique hodie explicant *tempore Divinitus constituto*, quod sine dubio commendat *Gal.* IV: 4, dummodo constet, per loquendi usum licere, ut sic explicetur. Atqui hac de re vehementer dubito. Audiamus THEOPHYLACTUM. Τὸ δὲ κατὰ καιρόν, inquit, τουτέστιν ἐν τῷ προσήκοντι καὶ προωρισμένῳ χρόνῳ· ὅτε γὰρ ἦν εὔκαιρον, τότε ἀπέθανεν. Comprehendit igitur duas notiones et *opportuni* et *constituti temporis*, et ita quidem, ut hanc illi substernat. Eandem viam ingressi sunt OECUMENIUS, ERASMUS, ESTIUS, BEZA, recentiori memoria etiam OLTRAMARIUS, quatenus utramque notionem quodammodo coalescere monebat. Illi ipsi igitur implicite declararunt, formulam, quamquam ad *tempus constitutum* referri possit, nihil aliud tamen quam *tempus opportunum* significare. Hoc cernitur quoque in locis e LUCIANO allatis a KYPKIO, ut hic quidem se probe sensisse prodit. Ergo haud temere, GROTIO duce, KOPPIUS, KÖLLNERUS, WINZERUS, MEIJERUS interpretantur *opportuno tempore* [1]). Atque haec interpretatio,

---

[1]) Cf. TITTMANN. l. c. p. 44, 45.

non solum *Ies.* LX: 22 testata est, sed etiam *Iob.* V: 16. XXXIX: 18. *Ier.* V: 24. Bis ita formula *κατὰ καιρόν* exstat apud PLUTARCHUM [1]), ubi PERICLES dicitur *μιμούμενος ἀτεχνῶς ἰατρὸν ποικίλῳ νοσήματι καὶ μακρῷ κατὰ καιρὸν μὲν ἡδονὰς εὐλαβεῖς* [2]), *κατὰ καιρὸν δὲ δηγμοὺς καὶ φάρμακα προσφέροντα.* Quemadmodum autem ibi *proponuntur quae morborum sanationi opportuna sunt*, sic PAULUM *tempus sibi et lectoribus suis*, ut salutis CHRISTI morte paratae participes fieri possent, *opportunum* significasse, ipsa docent interiecta: *ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι*, quibus cavere voluit, ne id, quod de tempore hominibus opportuno dicere incepisset, irreverenter ad Deum retulisse videretur. Itaque sensus totius orationis aliis verbis huc redit: CHRISTUS *enim, quum nos nondum puerorum similes esse desieramus, nondum, inquam, seriore, quam ut nobis prodesse posset, tempore, ad impiorum salutem mortuus est.*

Sed priusquam ulterius progrediar, redeundum est ad interpretationem verborum: *ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε*, pro quibus Apostolus scribere non potuit *ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε*, si recte vidi, ceteris ab eo ad mentem suam explicandam interiecta esse: *ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι.* Adiectivo *ἀσεβῶν* homines denotari *flagitiosos et a Deo alienissimos*, sequitur e constanti usu verborum *ἀσεβής*, *ἀσέβεια* et *ἀσεβεῖν*, qui in N. T.

---

1) *Pericl.* p. 161 C.

2) Adiectivum *εὐλαβεῖς* Substantivo *ἡδονὰς* minus convenit. Legendum est *ἀβλαβεῖς*, quemadmodum *ἡδοναὶ ἀβλαβεῖς* memorantur apud PLATONEM, *Republ.* Lib. II. p. 357 al. Cf. AST. v. *ἀβλαβής*. [His scriptis vidi, SINTENISIUM, REISKIO auctore, edidisse *ἀβλαβεῖς*.]

cernitur. De eo vero, utrum coniuncta ὑπὲρ ἀσεβῶν significent *loco impiorum*, *an ad salutem impiorum* VV. DD. inter se disputant. Illud post multos veterum contenderunt FLATTUS, OLSHAUSENIUS, HODGIUS, WINZERUS, STUARTUS, REITHMAYRUS, BISPINGIUS, quodammodo etiam RÜCKERTUS: hoc recentiori memoria plerisque placuit, ita tamen, ut cum FRITZSCHIO, KÖLLNERO, KREHLIO, MAIERO nonnulli alterum in locis aliquot, in quibus CHRISTI mors memoretur, praeferendum esse darent; alii id cum WETTIO negarent, praesertim OLTRAMARIUS et MEIIERUS. Et hi duo sua doctrina otium mihi fecerunt copiose disputandi. Omnino igitur me iudice liquet, multos quidem dixisse, hanc orationem talem esse, ut formula ὑπὲρ ἀσεβῶν explicari debeat *impiorum loco*, neminem fuisse, qui id ullo alicuius ponderis argumento probaret: huic loco e contrario, atque sic omnibus Novi Testamenti locis, ubi de CHRISTI morte sermo est, satisfieri, si formula explicetur *ad impiorum salutem:* explicationis illius necessitatem nobis imponere verba 1 *Cor.* XV : 3 ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, quibus addi merentur haud dissimilia *Eph.* V: 25: ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς (ἐκκλησίας): hinc iam intelligi errasse, qui cum PHILIPPO sumerent, ubi Praepositio ὑπέρ de CHRISTI morte usurpetur, vim Praepositionis ἀντί ei inclusam esse: sed ipsum PAULUM nusquam has Praepositiones inter se permutasse: neque eum altera pro altera usum esse *Gal.* III : 13. 1 *Pet.* III : 18. 2 *Cor.* V : 15, 20, 21 [1]):

---

[1]) Obiter notare lubet nonnulla, quibus disputata OLTRAMARII et MEIIERI confirmentur. Ergo si *Gal.* III : 13 verba ὑπὲρ ἡμῶν red-

utriusque denique discrimen cerni quoque in libris Graecorum, etiam apud XENOPHONTEM [1]), ubi eadem in oratione et ὑπέρ et ἀντί legimus. Cum XENOPHONTE autem comparetur PLUTARCHUS [2]), a quo LEONIDAS dicitur ἀποθανούμενος ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων, quod quomodo accipiendum sit, paulo inferius docent verba:

duntur *nostro loco*, molestiam creat vocabulum κατάρα, nec ratio habetur sequentium: ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ γένηται cet. Ita 1 *Pet.* III: 18 verba δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων explicanda esse *iustus ad salutem iniustorum* apparet e circumiectis: περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε (al. ἀπέθανε) et ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ. Connexa autem ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε et ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι 2 *Cor.* V: 15 eodem modo accipienda esse, nemo negabit. Atqui posteriora cum proxime sequentibus καὶ ἐγερθέντι cohaerere nequeunt, nisi ea interpretemur: *qui ad salutem eorum mortuus est.* Itaque priora etiam interpretari debemus: *ad nostram salutem mortuus est.* Quod iubent quoque interiecta: ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον, quae neutiquam dicunt, CHRISTI sectatores moriendi necessitate liberatos esse. Quid? quod CHRISTUS, ut KÖLLNERUS aliique recte monent, dici non potest mortuus esse *loco hominum*, qui ipsi necessitate illa obstricti sunt. Neque ad hanc notionem Praepositioni ὑπέρ vindicandam in censum veniunt verba ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν et δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ vs. 20, quippe quae, uti notionem illam non ferant, ita sine controversia sibi velle: *ut* CHRISTI *causam agamus*, *legatorum* (scil. Dei) *munere fungimur* et *precamur*, *ut causam* CHRISTI *agamus*, tam aliunde intelligimus, quam ex *Eph.* VI: 18—20, ubi similia δεήσει ὑπὲρ ἐμοῦ et ὑπὲρ οὗ πρεσβεύω ad hunc locum illustrandum commentarii instar esse deprehenduntur. Multo minus obstant ea, quae vs. 21 legimus: ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησε: nam quomodo haec explicanda sint, produnt connexa: ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ, quemadmodum *Tit.* II: 14 sequentibus explicantur praecedentia: ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν. Prorsus hinc aliena est optatio Apostoli *Phil.* 13: ἵνα ὑπὲρ σοῦ μοι διακονῇ; sed quis efficere possit, ibi quoque verborum sensum non esse: *ut tuam ad salutem mihi ministret?*

1) *Exped. Cyr.* Lib. VII. cap. 4. § 9, 10.

2) *Apophth. Lac.* p. 225 A.

ο ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος θάνατος: item OTHONIS dictum apud DIONEM *Cassium* [1]): *Πολὺ γάρ που καὶ κρεῖττον καὶ δικαιότερόν ἐστιν, ἕνα ὑπὲρ πάντων, ἢ πολλοὺς ὑπὲρ ἑνὸς ἀπολέσθαι*, cui lucem praebet infra se *τοιοῦτον* vocans *αὐτοκράτορα, ὅστις οὐχ υμᾶς ὑπὲρ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἑαυτὸν ὑπὲρ ὑμῶν δέδωκε.* Addantur, quae BENIAMINUS vaticinatur de mundi Servatore [2]): *ὅτι ἄμωμος ὑπὲρ ἀνόμων παραδοθήσεται, καὶ ἀναμάρτητος ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀποθανεῖται, ἐν αἵματι διαθήκης, ἐπὶ σωτηρίᾳ Ἰσραὴλ καὶ τῶν ἐθνῶν.*

Vers. 7.

Quantus Dei amor erga homines in CHRISTI morte adspectabilis sit, PAULUS ostendit simili, quod ipsius etiam CHRISTI amorem insigniter illustrat. Simile hoc est: *Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν.* Inde enim, quod *Syrus* pro *δικαίου* legisse videtur *ἀσεβῶν*, contra fidem Recepti argumentum sumi nequit, quamvis mutatio GROTIO aliisque [3]) placuit. Quemadmodum autem vs. 6 e praecedentibus repetendum est, quo nexui orationis, quem Particula *γάρ* indicat, succurratur, ita hîc eadem docet Particula priori in

---

[1]) *Hist. Rom.* Lib. LXIV. cap. 13.

[2]) *Test. Beniam.* cap. 4. l. c. p. 730, 731. Cff. *Test. Rub.* cap. 6. p. 532 et 1 *Macc.* II: 50.

[3]) VERSCHUIRII *Opusc.* Ed. LOTZ. p. 389.

membro reticeri aliquid, exempli causa: *attendite ad illud* PRO IMPIIS. Quomodo cum illo membro posterius in concordiam redigendum sit, videbimus infra. Adverbio *μόλις*, quod notione differre non videtur ab affini, sed magis Attico *μόγις* [1]), respondet Latinum *aegre ac difficulter* vel *vix*. Sequens *τάχα*, aeque ac *Phil.* 15, significat *fortasse*. Praepositionem *ὑπέρ* eodem modo ac supra accipiendam esse, res ipsa loquitur. Nec sumere licet cum NIELSENIO, Apostolum, praeter morem suum, extranea, velut exemplum DAMONIS et PHINTIAE [2]), spectasse. Potius cum hoc loco comparandum est quod 1 *Ioann.* III : 16 legimus: *καὶ ἡμεῖς ὀφείλομεν ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς τιθέναι*, ubi media *ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν*, uti differunt a verbis *ὑπὲρ τῶν ψυχῶν τῶν ἀδελφῶν*, sic explicanda sunt *ad fratrum salutem*. Futuro *ἀποθανεῖται* auctor usus est ad enunciandum, quod praevidebat fore, ut vix umquam fieret [3]). Opposita *τολμᾷ ἀποθανεῖν* Latine reddenda non esse *audeat mori*, sed *sustineat mori*, iam viderunt BEZA, ESTIUS, GROTIUS [4]). Atque haec omnia satis explorata et clara sunt. De eo vero, quid sibi velint vocabula *δικαίου* et *ἀγαθοῦ*, inter VV. DD. lis et controversia est ad hunc usque diem. Et quum hinc sensus totius orationis pendeat, videamus, an quid in

---

[1]) BUTTMANN. *Ausf. Gr. Sprachl.* Tom. I. p. 75. Cff. PHOTII *Bibl.* Tom. II. p. 530 *Bekk.* et VV. DD. ad THOM. *Mag.* p. 619, 620.

[2]) LACTANT. *Instit.* Lib. V. cap. 17 exemplo illo memorato, sibi invicem opposuit *pro Deo* et *pro homine mori* ostenditque, quomodo Praepositionem acciperet.

[3]) WINER. *Gramm.* p. 323, [Ed. VI. p. 250.]

[4]) Cf. BUDAEUS, quem WETSTENIUS secutus est, p. 1251, 1252.

medium afferri possit, quod ad quaestionem dirimendam inserviat vel ducat.

Nuperrime KÖSTERUS [1]) interpretes maxime veteres secutus est, qui vocabula δικαίου et ἀγαθοῦ neutrius generis esse putaverant. Sed quum in disputatione praecedenti et sequenti (vs. 6 et 8) Apostolus *hominum* tantum rationem habuerit, non aliter fieri potuit, quin itidem *hominum* rationem haberet in simili, quo ad disputationem suam illustrandam uteretur. Hoc obstat quoque RÜCKERTO, ubi alterum (δικαίου) Masculinum, alterum (ἀγαθοῦ) Neutrum esse contendit. Deinde propter utriusque membri Parallelismum interpretatio eius, quamquam a KLÖTERO probata, ferri non potest. KÖSTERI vero sententiam, praecedens δικαίου aeque ac sequens ἀγαθοῦ Neutrum esse, admittere vetat, ut PHILIPPUS aliique ostenderunt, desiderium Articuli. Tam illam, quam hanc opinionem infelicissimam vocans FRITZSCHIUS calculum adiecit interpretibus Graecis, item CALVINO, CASTALIONI, BEZAE, SLICHTINGIO, CRELLIO, GATAKERO [2]), aliis, qui utroque vocabulo δικαίου et ἀγαθοῦ *eundem virum probum et honestum* denotari censuerunt. Secuti sunt OLTRAMARIUS, REITHMAYRUS et, mutata sententia, MEIJERUS. Et optime sane procedit oratio sic exposita: *Vix enim fiet, ut quis pro viro probo et honesto moriatur: largior enim fieri posse, ut quis pro tali homine mori etiam sustineat.* Sed ut brevitatis causa alia mittam, quae interpretationi illi opposita sunt, fautoribus eius nondum bene successit explicare, cur in posteriori

---

[1]) *Theol. Stud. u. Krit.* 1854. p. 312.

[2]) Mentem clare explicuit in *Adv. Miscell.* Lib. II. cap. 10. *Opp. Crit.* p. 319 sqq.

membro PAULUS a verbis ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ initium duxerit, nisi ab altero viro distingueret alterum. At multo tamen graviorem parere videtur difficultatem iteratio Pronominis τις hac in eadem oratione. Nimirum tam a PAULO quam ab aliis Novi Testamenti scriptoribus, ubi hoc Pronomine bis saepiusve uterentur, *homines a se invicem distinguendos* propositos esse vidi. Exemplorum copiam nobis iam praebent Epistolae ad Corinthios, uti non solum I *Cor.* VIII : 2, 3. X : 27, 28. XIV : 37, 38, sed etiam, ubi nulla exstat Particula distinctioni inserviens, 1 *Cor.* III : 14, 15. VII : 18. 2 *Cor.* XI. 20. Ergo si mentis ipse suae interpres sit oportet, hoc quoque loco posteriori τις alium hominem quam priori significasse censendus est. Atqui hinc sua sponte, nisi fallor, sequitur, notiones vocabulorum δικαίου et ἀγαθοῦ inter se differre. Tum demum ea, aliis non obstantibus, permutata haberi possent, si auctor in posteriori membro sine Pronomine τις scripsisset: ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. Itaque nihil aliud superest, quam ut interpretibus, qui ea distinxerunt, assentiamur. Haud ignoro quidem multos hoc ita fecisse, ut utrique vel alterutri alienam notionem affingerent. Mirandum igitur non est, FRITZSCHIUM aliosque in minus fausto plerorumque successu argumentum, quo suam ipsorum sententiam tuerentur, quaesivisse. Nec tamen res desperata videtur, si prius vocabulum interpretamur *probum coram Deo*, i. e. *venerabilem*, posterius *bonum in hominum oculis*, i. e. *amabilem*. Appellatione enim δικαίου Cap. I : 17. III : 10. V : 19, item *Luc.* I : 6. II : 25. XVIII : 9 multisque aliis Novi Testamenti locis *probum coram Deo* denotari, nemo est, qui nesciat.

Graecis quidem hic loquendi usus incognitus fuit [1]), sed eos virum *in hominum oculis bonum* ἀγαθόν dixisse e plus uno apparet exemplo, quod attulerunt THOLUCKIUS, PHILIPPUS aliique. Neque aliter vocabulum ἀγαθός accipiendum est *Matth.* XX: 15. *Ioann.* VII: 12. *Act.* XI: 24. *Tit.* II: 5. 1 *Pet.* II: 18. Coniuncta autem ἀγαθός et δίκαιος *Luc.* XXIII: 50 distinguere malo, quam orationi languorem inferre aiendo, eodem illa redire. Quod ipsum accommodatum arbitror dicto IESU *Matth.* V: 45, ubi πονηροί et ἀγαθοί, δίκαιοι et ἄδικοι sibi invicem opponuntur [2]). Comparatu dignum est, quod apud AESCHYLUM [3]) de Vate legimus:

Σώφρων, δίκαιος, ἀγαθὸς, εὐσεβὴς ἀνήρ.

Quis enim ibi singulis Adiectivis suam notionem tribuere gravetur? Discrimen vocabulorum δίκαιος et ἀγαθός se quoque prodit apud EUSEBIUM [4]), qui CERDONEM docuisse narrat: *τὸν ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ προφητῶν κεκηρυγμένον Θεὸν μὴ εἶναι πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Τὸν μὲν γὰρ γνωρίζεσθαι, τὸν δὲ ἀγνῶτα εἶναι· καὶ τὸν μὲν δίκαιον, τὸν δὲ ἀγαθὸν ὑπάρχειν.* Idem docuisse MARCIONEM ex EPIPHANIO [5]) etiam et aliunde cognitum est. Alibi [6])

---

[1]) Nihil iuvant igitur loci a RAPHELIO aliisque allati.

[2]) Cf. WILKE, *de N. T. Synonymis* in *Clavi*. Tom. II. p. 622, 623.

[3]) *Sept. c. Theb.* vs. 576.

[4]) *Hist. Eccles.* Lib. IV. cap. 11.

[5]) *Adv. Haeres.* Tom. I. p. 303 sqq.

[6]) *Clem. Hom.* IV. cap. 13. Minus recte SCHWEGLERUS p. 433 verba μετὰ τὴν μετάνοιαν mutanda censet in μὴ μετανοοῦντι.

Iudaeorum doctrina induxisse traditur *ἕνα πατέρα καὶ δημιουργὸν τοῦδε τοῦ παντὸς, τῇ φύσει ἀγαθὸν καὶ δίκαιον· ἀγαθὸν μὲν, ὡς μεταμελομένοις χαριζόμενον τὰ ἁμαρτήματα, δίκαιον δὲ, ὡς ἑκάστῳ μετὰ τὴν μετάνοιαν κατ' ἀξίαν τῶν πεπραγμένων ἐπεξιόντα.* Haec omnia ad *Deum* quidem pertinent et recentioris aetatis sunt, sed probant tamen, alterum Adiectivum ab altero distingui, et ita quidem, ut generatim *bonus in hominum oculis ἀγαθός* dicatur. Similiter CLEMENS *Alex.* [1]) Deum distinguit, utpote *ἀγαθόν* et *δίκαιον;* et in *Testamento* ASER [2]) homines *ἀγαθοί* nuncupantur *δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ.* Hinc quoque non aliena sunt verba CICERONIS [3]) a multis comparata et in margine descripta. Quonam autem nomine haec interpretatio, quae e vitae communis usu petita est, cum KÖLLNERI aliorumque interpretatione conveniat, penes lectorem iudicium sit; sed ea probata, omnes, nisi fallor, stant notiones, quas supra vindicavi circumiectis. Nec Particula *καί* redundat, aut cum STUARTO, GLÖCKLERO aliisque referenda est ad remotius *ἀποθανεῖν*, quippe quod praecedenti *ἀποθανεῖται* plane respondet, sed arcte iungi debet cum proximo *τολμᾷ*, id, *quod maius est*, significans. Cum Singularibus *δικαίου* et *ἀγαθοῦ* Pronomen *τις* itidem in Singulari connexum est, quia proponitur

---

1) *Paedagog.* Lib. I. cap. 8. p. 140 sqq.

2) Cap. 4. p. 692. Verba iam supra descripsi p. 217, 218.

3) *De Offic.*Lib. III. cap. 15. Orationem sic edidit BEIERUS: *Sed sive simulatio et dissimulatio dolus malus est; perpaucae res sunt, in quibus dolus iste malus non versetur; sive vir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet nemini, certe istum virum bonum non facile reperiemus.* Ita pro *recte*, quod ineptum est, substituit *certe.*

quod vix unquam aut perquam raro fit. Quum vero in priori membro oratio proprie negans, in posteriori aiens sit, in illam Nomen quadrat infinitum, in hanc finitum: quare alteri Articulus praefixus est, alteri non item. Ceterum utrique membro aeque ac supra cogitando interpositis verbis: *attendite ad illud* PRO VIRO PROBO CORAM DEO, nihil desiderii relictum iri puto. Itaque Graeca explicentur: *Vix enim fiet unquam, ut quis viri coram Deo probi*, i. e. *venerabilis causa moriatur, nam viri in hominum oculis boni*, i. e. *amabilis causa, fortasse fiet, ut quis sit, qui mori etiam*, i. e. quod maius est, *sustineat.*

Vers. 8.

Quod vs. 6 et 7 Apostolus de CHRISTI amore erga homines dixit, hoc vs. expresse ad Dei amorem refert. *Συνίστησι*, ait, *δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ Θεὸς, ὅτι, ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε*, i. e. *Testatum autem suum ipsius amorem erga nos facit Deus, quod, quum nos adhuc peccato eramus subiecti*, CHRISTUS *pro nobis mortuus est.* Genuina esse, quae Editio Recepta habeat, satis probavit FRITZSCHIUS. Efficacitatis causa ceteris praepositum est Praesens *συνίστησι*, quo amoris Divini in CHRISTI morte conspicui perpetuitas significatur. Pronomen *ἑαυτοῦ* inservit ad amorem Dei a CHRISTI amore distinguendum. Cff. IV: 19. VIII: 3. XIV: 12 aliique loci. Verba *εἰς ἡμᾶς* cum remotiori *συνίστησι* iungere vetat orationis series et loquendi usus, sed, uti docent similia 1 *Thess.* III: 12. 2 *Thess.* I: 3. 1 *Pet.* IV: 8,

iungenda sunt illa cum proxime praecedenti *ἀγάπην*. Notio Verbi *συνίστησι*, item vocabuli *ἁμαρτωλός* eadem hîc est ac supra Cap. III: 5, 7. PAULUS autem hoc vocabulum commemorationi *τοῦ ἀγαθοῦ* subiecit, aeque ac *Sir.* XII: 7 legimus: *Δὸς τῷ ἀγαθῷ· καὶ μὴ ἀντιλάβῃ τοῦ ἁμαρτωλοῦ.* Media vero: *ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν*, quamvis respondent interiectis: *ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι*, talia tamen sunt, ut haec oratio iis carere nequeat. Non enim, ut vs. 6, desinit in *ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε*, sed in *ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε*, atque sic cohaeret cum vs. 5 lectoribus ante oculos ponens, quanta Divinitus sperare possint.

Vers. 9.

Quid vero ex disputatis vs. 6—8 de amore Dei et CHRISTI sequitur, quod attinet spem vs. 5 et iam vs. 2 propositam? Audiamus PAULUM a maiori ad minus, ut bene monuerunt OLTRAMARIUS, PHILIPPUS, MEIERUS, ratiocinantem: *Πολλῷ οὖν μᾶλλον, δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς.* Iure meritoque BEZA ORIGENEM reprehendit formulam *πολλῷ μᾶλλον* cum Participio *δικαιωθέντες* coniungentem. Hanc enim faciendam esse structuram: *Νῦν οὖν δικαιωθέντες ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς*, ipsa docet oratio eiusque comparatio cum vs. 10. Quod supra Cap. III: 25 de verbis *ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι* disputavi, huic etiam loco accommodatum est. Participium item *δικαιωθέντες*, quod OLTRAMARIUS a Perfecto *δεδικαιωμένοι* non satis distinxisse

videtur, intelligendum est aeque ac vs. 1. Formula πολλῷ μᾶλλον Logica est a maiori ad minus ducens, uti vs. 10, 15, 17. 2 *Cor.* III: 9, 11. Unde apparet, Futurum in Verbo σωθησόμεθα premendum non esse, quamvis maxime spectatur ἡ ὀργὴ ἡ ἐρχομένη, uti 1 *Thess.* I: 10 proposita est. Quaestio tantum agi potest, quomodo verba ἀπὸ τῆς ὀργῆς cohaereant cum praecedenti σωθησόμεθα. Quod PALMIUS aliique contenderunt, per Breviloquentiam orationem praegnantem esse, loquendi nititur usu. Multa enim huiusmodi orationis exempla VV. DD. tam e N. T. [1]) quam aliunde [2]) attulerunt. Ipsum Verbum σώζειν, et alibi, et apud POLYBIUM [3]), ubi legimus: περὶ τριακοσίους δὲ τῶν συμμάχων σποράδες εἰς τὰς πόλεις ἐσώθησαν, ita usurpatur, ut duas notiones comprehendat. Nihil similius est quam dictum PETRI *Act.* II: 40: Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης, si explicari debet: *Ab his aequalibus vestris perversis discedendo salutis viam ingredimini.* Omnes nempe novimus, homines in N. T. dici σώζεσθαι ad significandum, eos *in viam salutis aeternae perduci*, aut *huius salutis fieri participes.* Quare illud vel quod eius affine est *Ioann.* III: 16, 17. XII: 47, 50. *Act.* XIII: 46—48 al. etiam permutatur cum formula ἔχειν ζωὴν αἰώνιον. Iam vs. 10, ubi Futurum σωθησόμεθα absolute positum est, suadere videtur, ut huius loquendi usus vs. 9 rationem habeamus verbis σωθησόμεθα

---

[1]) WINER. p. 677, 678, quocum consentiunt ALT. p. 108. TROLLOPE. p. 212. STUART. *Gramm.* p. 292.

[2]) ROST. p. 734. KÜHNER. T. II. p. 317, 318. MADVIG. p. 81 aliique laudati ab ABRESCHIO, *Paraphr. Ep. ad Hebr.* Spec. I. p. 76.

[3]) *Hist.* Lib. III. cap. 117.

ἀπὸ τῆς ὀργῆς interpretandis: *ab ira liberabimur et ad salutem perducemur.* Quid? quod oratio, si tantum scribimus: *ab ira liberabimur*, tenuior haberi potest, quam ut consentanea sit gloriationi vs. 2, quae auctori hac omni in ratiocinatione ante oculos obversata est. At vel sic tamen in eo plerique cum MEIHERO subsistunt. KREHLIUS aperte negat huic loco inesse Breviloquentiam. Ipsi tantum sententiae Litoten tribuit, ut intelligendum sit *ad salutem perducemur.* Et nescio equidem, an haec interpretatio, quum reapse eodem redeat, alteri praeferri mereatur. Supra iam allatus est locus 1 *Thess.* I: 10, qui desinit in verba: *Ἰησοῦν, τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς, τῆς ἐρχομένης.* Neque ex eo, quod Futurum *σωθησόμεθα* vs. 10 absolute positum est, peti potest, quo in contrariam disputetur partem. Quidni enim, si *Ies.* XX: 6, ubi legimus: *οὐκ ἠδύναντο σωθῆναι ἀπὸ βασιλέως Ἀσσυρίων, καὶ πῶς ἡμεῖς σωθησόμεθα;* post *σωθησόμεθα*, repetendum est *ἀπὸ βασιλέως Ἀσσυρίων*, hîc etiam repetatur *ἀπὸ τῆς ὀργῆς?* Itaque Graeca, quamquam subdubitans, explicanda puto: *Quum igitur nunc eo, quod sanguinem suum effundendum daret, factum sit, ut probaremur a Deo, multo magis fiet, ut per illum ab ira liberemur.* Verba enim *δι' αὐτοῦ*, non cum WETSTENIO ad vocabulum *αἵματι*, sed ad CHRISTUM, Subiectum orationis, referri debent. *Fides* autem, ut RÜCKERTUS, OLTRAMARIUS aliique bene monuerunt, hîc non memoratur, quoniam omnia proponuntur, qualia fuerunt a parte Dei et CHRISTI, sed eam tamen non exclusam esse, e vs. 1 et 2 intelligimus.

Vers. 10.

Ad ratiocinationem praecedentem fulciendam PAULUS sic ratiocinari pergit: *Εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ.* Prima quaestio est, utrum notio Adiectivi *ἐχθροί* Activa an Passiva sit. Hoc illi post CALVINUM multosque veterum praeferunt HODGIUS, MEIERUS et VV. DD. ab eo laudati, vocabulum explicantes *invisi Deo* vel similiter. Alterum cum GROTIO praestare putarunt KOPPIUS, KÖLLNERUS, OLSHAUSENIUS, RÜCKERTUS, BOSVELDIUS, PALMIUS, OLTRAMARIUS, STUARTUS, TURNERUS et fortasse plerique, quorum ex interpretatione Apostolus proponit *inimicos Dei.* Ab utraque parte haud pauci aiunt loquendi usum nihil definire. Haec vero, me iudice, praeoccupata opinio est eademque omnis dissensionis veluti mater et nutrix. Apud HOMERUM Vocabulum *ἐχθρός* variis in locis Passivum est. Quis est, cui non succurrant verba: [1])

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν?

Et generatim Graecis frequenter sic usitatum fuit. Hoc num ortum sit e Dativo adiecto, viri peritiores iudicent. Nec tamen ubique Dativum notionem arcere Activam, STEPHANUS docet in *Thes.* Contra huius notionis multa se offerunt exempla. Ita apud XENOPHONTEM [2])

---

[1]) *Iliad.* IX. vs. 312. *Odyss.* XIV. vs. 156.
[2]) *Exped. Cyr.* Lib. I. cap. 3. § 12.

dicitur CYRUS *χαλεπώτατος ἐχθρὸς, ᾧ ἂν πολέμιος ᾖ*; apud ARRIANUM [1]) PORUS: *ἰδὼν ἄνδρα ἐχθρὸν ἐκ παλαιοῦ;* apud HERODIANUM [2]) SEVERUS: *φύσει ὢν ἐχθρὸς χαλεπώτατος.* Neque aliud sibi voluisse videtur PENELOPE, apud HOMERUM [3]) aiens:

— — *ἐχθροὶ μὲν πάντες, ἐπεὶ κακὰ μηχανόωνται.*

Quid vero plura memorem? satis probavi, vocabulum *ἐχθρός* tam Activum quam Passivum esse posse. Sed quod in medio relinquunt Graecorum Scripta, dirimunt, nisi fallor, interpretes Veteris Testamenti Alexandrini, quos Novi Testamenti scriptores maxime sequuntur. Ibi enim, quamvis vocabulum *ἐχθρός* iis usitatissimum est, nullam tamen aliam, nisi me fallit memoria, notionem illi tribuunt quam Activam. Quantum autem commendationis hoc afferat sententiae, PAULUM eadem notione usum esse, quisque sua sponte intelligit. Cur vero longus sim? Plus quam tricies in N. etiam T. Vocabulum *ἐχθρός* legitur, sed negari nequit, illud ubique fere significare *inimicum Dei*, etiam *Col.* I: 21, ubi hanc interpretationem poscunt, si minus remotiora *ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς*, certe proxime subiecta *τῇ διανοίᾳ.* Unus tantum locus est, quem VV. DD. ad Passivam notionem *invisi Deo* ei vindicandam excitare soleant, Cap. XI: 28. Sed quemadmodum a probabili abhorret, auctorem ibi loquendi usum his in libris constantem deseruisse, sic difficul-

---

1) *Exped. Alex.* Lib. V. cap. 18. § 11.
2) L. c. Lib. III. cap. 8. § 6.
3) *Odyss.* XVII. vs. 499.

tatem pariunt verba δι' ὑμᾶς, nisi praecedens ἐχθροί exponitur *inimici Dei*, ut, praeeunte ORIGENE, multi iam fecere veteres. Tantum autem abest, ut interpretatio illa admitti nequeat propter oppositum ἀγαπητοί, ut ea inserviens distinctioni Iudaeorum, *quales erga Deum* et *quales ipsi Deo sint*, suam demum orationi indat Antithesin. Nec praetermittendum est, Substantivum ἔχθρα, ut RÜCKERTUS etiam aliique monuerunt, in N. T. ubique *inimicitiam*, sive erga Deum, seu erga homines denotare. Itaque si constat, omnem interpretationem ad loquendi usum exigendam esse, sine dubio hîc scribendum esset *inimici* (*Dei*), etiamsi plane everti non possent rationes e PAULI doctrina et circumiectis petitae, quibus FRITZSCHIUS, MEIIERUS aliique Activam notionem vocabuli ἐχθρός oppugnarunt. Sed eas tam egregie evertisse videtur OLTRAMARII diligentia, ut ulterius disputare non opus sit. Progrediamur igitur ad verba κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ. Atqui haec, si praecedit commemoratio *inimicorum Dei*, nemini moram facere possunt. Hinc enim sequitur, ea non explicanda esse: *Deus nobis placatus est*, sed *nos placati sumus Deo*, i. e. *factum est, ut inimici eius esse desineremus.* Eandem explicationem postulat locus similis 2 *Cor.* V: 18, 19, 20, ubi *Deus ipse homines a se alienos sibi placasse* dicitur, *quum eos per* CHRISTUM *ad se duceret*, et lectorum gravissima editur obtestatio: *placamini Deo*, i. e. *desinite Deo resistere.* Neque in tertio, ubi Verbum καταλλάσσειν exstat, loco, 1 *Cor.* VII: 11, praeceptum uxori datum: τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω, aliud significat, quam *in gratiam cum marito redeat.* Ita infra, Cap. XI: 15, formulae καταλλαγὴ κόσμου vim inferri puto, nisi intelligatur *reconciliatio, qua*

gentes per fidem ad Deum ducuntur. Satis fidenter igitur huius orationis Protasin interpretor: *si enim per mortem Filii Dei factum est, ut, quum Dei essemus inimici, amici eius fieremus.*

Iam non amplius difficilis est Apodosis, dummodo nobis caveamus, ne Graeca ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ Latine reddamus *per vitam eius*, quod haud secus RÜCKERTO et OLTRAMARIO placuisse video quam plerisque. Imo scribendum est *in vita eius*, uti habet *Vulgata*, quam BEZA immerito reprehendit. Hoc autem, ut bene vidit WETTIUS, interpretari debemus: *in communione vitae eius*, i. e. si mentem auctoris assecutus sum: *quum vitae eius simus participes*, quemadmodum formula ἐν ζωῇ vs. 17 *vitae participes* significat. Interpretationem illam commendant quoque *Luc.* XVI: 25 et 1 *Cor.* XV: 19, ubi Graeca: ἐν τῇ ζωῇ σου et ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ reddi nequeunt *per vitam tuam* et *per hanc vitam* (sermone vernaculo *door middel van* cet.), sed respondent Latinis: *in vita tua* et *in hac vita*, quae ibi explicanda sunt: *quum vivebas* et *quum hac in vita versamur.* Et cur tandem PAULUS, si dicere volebat *per vitam eius*, non scripsit διὰ τῆς ζωῆς αὐτοῦ, uti in Protasi: διὰ τοῦ θανάτου τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ? Sed VV. DD., qui Praepositiones ἐν et διά permutari censent, mihi suum ipsi errorem prodidisse videntur, quum alii aliud responderent ad quaestionem, quomodo illud *per vitam eius* intelligendum sit. Me iudice Apostolus sibi propterea, quod CHRISTUS sectatores suos suam in necessitudinem recepit, vitam Filii Dei proponere videtur tanquam regionem, in qua illi, iam hac in terra degentes, cum eo versantur. Huc spectat imago, qua usus est Cap. VI: 5. *Eph.* II: 5, 6. *Col.* II: 12, 13, item alia ima-

go, quam ab arctissimo capitis corporisque seu membrorum vinculo mutuatus est Cap. XII: 5. 1 *Cor.* VI: 15. *Eph.* I: 22, 23. IV: 15, 16. V: 23, 30. *Col.* I: 18. II: 19. Ergo Apodosin interpretari non dubito: *multo magis, postquam Dei amici facti sumus, liberabimur* (ab ira), *quum vitae eius simus participes*, nisi quis a RÜCKERTO aliisque dissentiens et praecedentia *σωθησόμεθα ἀπὸ τῆς ὀργῆς* praegnantia habens, hîc scribere malit, *ad salutem perducemur.* Quo posito utriusque membri nexus non longe quaerendus est. Ratiocinatio, nempe, huc redire videtur: si per mortem Filii Dei factum est, ut inimici Dei eius amici fierent, multo magis fiet, ut illi, hac reconciliatione semel peracta, ab ira liberentur et ad salutem perducantur, quum vitae eius iam sint participes. Formula enim *πολλῷ μᾶλλον* hîc etiam Logica est a maiori ad minus ducens.

Vers. 11.

Nondum ab instituto desistens Apostolus praecedentibus adiicit: *Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν.* Ipsis verbis nihil inest, quod explicatione indigeat. Respondent iis Latina: *Non solum vero, sed etiam gloriantes in Deo per Dominum nostrum* IESUM CHRISTUM, *per quem nunc reconciliationem accepimus.* Et composita *καυχώμενοι ἐν τῷ Θεῷ* sectatores CHRISTI *gloriantes* facere *de communione Dei, quem suum Deum habeant*, e disputatis

ad Cap. II: 17 et V: 2, 3 satis intelligitur. Cur vero auctor adscribens: *δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν* summatim repetierit iam enunciata vs. 10, me prorsus latet, nisi praecedentia *οὐ μόνον δέ* ita suppleantur, ut ratio habeatur personae CHRISTI. Quod factum ab ESTIO, BAUMGARTEN-CRUSIO, PEILIO, BISPINGIO, qui ea suppleri iusserunt Participio *καταλλαγέντες*. Aque hoc antea MEIJERO etiam placuerat, sed nuperrime ab eo improbatum est, quoniam eo iudice repetitione illa negligitur id, quod vs. 10 *primarium* est, ut vetant vs. 3. Cap. VIII: 23. IX: 10 aliique loci, ubi *οὐ μόνον δέ* legimus. Nunc vero cum plerisque interpretibus statuit, orationem sic resarciendam esse: *οὐ μόνον δὲ σωθησόμεθα, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι*, quod interpretatur: *non solum liberabimur per vitam eius, sed hoc ita fiet, ut in liberatione illa de Deo gloriemur*. Atqui licet concedamus, talia e verbis erui posse, nonne tamen vehementer languent et hunc in locum important, quae nemo exspectaverit? Nec meliori fortuna utuntur, qui cum RÜCKERTO et OLTRAMARIO sumunt, Participium *καυχώμενοι* positum esse pro *καυχώμενοί ἐσμεν*. Quamvis enim iam praecesserunt Viri magni nominis, uti BEZA et GROTIUS, oratio inde oritur itidem pondere decrescens et aliena confundens. Ipsi illi veteres, CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, qui iam eandem viam ingressi erant, hoc sensisse videntur, quum, Futurum *σωθησόμεθα* in Aoristum mutantes, Apostolum dicentem facerent: *οὐ μόνον ἐσώθημεν, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα.* Aliter THEODORETUS ab auctore discessit verba eius exponens: *Οὐ γὰρ μόνον τὴν ἀθάνατον ζωὴν ἀναμένομεν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν παρόντα βίον ὡς προσ-*

οἰκειωθέντες τῷ Θεῷ σεμνυνόμεθα. Etiamsi igitur optimo iure STUARTUS, PHILIPPUS, MAIERUS urgerent sententiam, a FRITZSCHIO aliisque vehementer improbatam, Participium *καυχώμενοι* pro Verbo *καυχώμεθα* salvo loquendi usu sumi posse, hunc tamen in locum illa neutiquam quadraret. Sed quidquid VV. DD. tentarunt ad succurrendum Breviloquentiae, nihil allatum novi, quin reprehensioni obnoxium sit. Fortasse proderit orationem sic supplere: *οὐ μόνον δὲ* (*πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα*) *ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ*, et haec arcte connectere cum sequentibus: *ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι.* Si enim illorum explicatio supra proposita bene se habet, quidni auctoris verbis hunc sensum tribuamus: *Non solum vero, postquam amici Dei facti sumus, multo magis fiet, ut liberemur quum vitae eius iam simus participes, sed etiam ut gloriemur in Deo*, i. e. *Deum palam et aperte Patrem nobis benignissimum appellemus?* Ita vs. 11 connectitur cum tota Apodosi vs. 10. Sed iudicent lectores.

Vers. 12.

Salute, quam CHRISTO sectatores eius, sive e gentibus exteris, seu ex Iudaeis orti, per fidem deberent, malis opposita, quae sibi peccando contraxissent, nunc PAULUS, ut omnia a principio repetat, ad comparationem inter hunc salutis auctorem et ADAMUM, generis humani parentem, instituendam progreditur. Nullus fortasse Literis Sacris locus inest, qui ab antiquo Theologorum ingenia magis quam haec comparatio exercuerit et etiamnum exercere pergat. Largam dispu-

tandi iam praebet materiem oratio vs. 12, quam Editio Recepta sic exhibet: *Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.* TISCHENDORFIUS tamen vocabula *ὁ θάνατος* Verbum *διῆλθεν* praecedentia, quae in priori Editione cum LACHMANNO aliisque retinuerat, expunxit in posteriori. Contra MEIIERUS, qui antea vocabula illa valde suspecta habuerat, nuperrime fidem eorum strenue defendit. Atque ita haud sine causa praeter alios FRITZSCHIUS et RÜCKERTUS, siquidem gravissimo librorum veterum testimonio nituntur, neque iis sublatis alteri orationis membro respondet alterum. Utrum oculorum errore an studio in Codicibus minoris auctoritatis omissa sint, difficile dictu est. Sed ea, etiamsi deleantur, intelligenda esse, infra videbimus.

Interpretationem incipio a quaestione, utrum hic vs. plenam sententiam, an tantum partem eius contineat. Nonnulli huic illud praeferentes orationem in duo membra diviserunt, quorum posterius initium caperet a verbis *καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας*, vel a sequentibus *καὶ οὕτως*. Alterum ERASMO, VATABLO, BEZAE, BENECKIO placuit, alterum CLERICO, WOLFIO, GREVIO, GLÖCKLERO, PALMIO, MEYBOOMIO [1]). Utroque vero et vocabulis *διὰ τοῦτο* vim suam auferre, et sumere cogimur, PAULUM, ADAMI et CHRISTI, quam aggressus esset, comparationis immemorem, in aliena lapsum esse. Plerique igitur sententiae tantum partem expressam esse arbi-

---

[1]) *Populaire verklaring van Rom.* V. in libro: *Maandschrift voor den beschaafden stand* cet. p. 94.

trati sunt, inter se tamen vehementer discrepantes. Alii nempe id, quod huic loco deest, in verbis *ὅς ἐστι τύπος μέλλοντος* vs. 14, quamvis magis materiae quam formae tenus, quaeri iusserunt. Alii auctorem vs. 15 per Epanorthosin id egisse putarunt, ut Protasin, quam inchoatam reliquisset, summatim repeteret eique scribendo *πολλῷ μᾶλλον* cet. Apodosin adiiceret. Aliis PAULUS, interposita vs. 13—17 longioris seriei Parenthesi, filum orationis vs. 18 demum recepisse visus est, uti recentiori etiam memoria, praeter interpretes a MEIIERO excitatos, BOSVELDIO, HERINGAE [1]), HODGIO, STUARTO, TURNERO, PEILIO. Sed uti tres illae structurae faciendae rationes a simplici, quod veri sigillum est, remotae et longe quaesitae videntur, sic vs. 13—18 singula arctius cohaerent, quam ut ullum Apodoseos ad vs. 12 referendae prodant vestigium. Profecto multo probabilior est sententia, fervorem animi [2]) Apostolum a proposito suo avertisse et vs. 12 Protasin peperisse Apodosi carentem. Quod *Ἀνανταπόδοτον* non solum haud pauci interpretes cum FRITZSCHIO et RÜCKERTO commenti sunt, nuper quoque MAIERUS, BISPINGIUS, VINKIUS, sed orationi reapse tribuerunt, quotquot Apodoseos tantum materiem sequentibus inesse censebant, formam vero non item. Et hoc sine dubio praestat iudicio KOPPII aliorumque, qui post *διὰ τοῦτο* intelligi volunt *διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν.* Illis enim postremis, uti vs. 11 non primaria, sed secundaria sunt ideoque vs. 12

---

[1]) *Quaest.* p. 64.

[2]) Quod voluit ORIGENES, PAULUM *consulto* Apodosin omisisse, refelli non meretur.

intelligi nequeunt, neutiquam respondet id, quod hîc legimus. Magis audiri meretur COCCEIUS, quatenus orationi nihil aliud cogitando addendum esse censet quam Verbum ἐστί. Unde haud longe discedit WETTIUS, Protasin expressam non esse monens, vel potius lectori relictum esse negotium ex uno comparationis membro totam comparationem eruendi. Quod si verum est, sequitur, PAULUM nullo modo memoria lapsum esse, sed pro dicendi brevitate veteribus usitata utrumque simile una Particula ὥσπερ comprehendisse. Hanc tamen sententiam haud scio, an minus tueantur loci, ad quos V. D. provocat. Dissimilia certe sunt verba *Gal.* III: 6, etiamsi ea, mutatis distinguendi notis, in unam eandemque ac praecedentia vs. 5 non cogantur interrogationem. Paulo magis conveniret dictum IESU *Matth.* XXV: 14, si satis exploratum esset, verba ὥσπερ γάρ non itidem Protasin inducere Apodosi carentem, sed explicari debere: ἔσται γὰρ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς ὅτε. Imprimis dignum est, quod conferatur, AENEAE dictum apud VIRGILIUM [1]):

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum,
Quum ferro adcisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim cet.

Cui me in schola, quum PAULI orationem tractarem, sensum tribuere memini: *Atque ita Troiam everterunt, uti agricolae, certatim eruere instantes antiquam ornum* cet. Nunc vero dubito, an hîc quoque Apodosis omissa

---

1) *Aeneid.* Lib. II. vs. 626 sqq.

sit. Neque alibi reperire mihi contigit, quo evidenter probarem, veteres una comparandi Particula utrumque simile comprehendisse. At rursus nemo negabit, Verbum *ἐστὶ* in scriptis tam Sacris quam exteris sexcenties reticeri. Exemplo nobis sit haec ipsa comparatio ADAMI et CHRISTI vs. 15, 16, 18. Sed exemplum maxime accommodatum praebet Cap. IV: 16, ubi breviter scriptum exstat: *διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως* pro *διὰ τοῦτο ἐστὶν ἐκ πίστεως*, scil. *homines mundi heredes esse*, quod e vs. 13 et 14 repetendum esse vidimus. Iam eodem modo hîc Breviloquentiae succurri potest scribendo: *διὰ τοῦτο ἐστὶν ὥσπερ*, sermone vernaculo: *daarom is het, gelijk*, quod VISSERINGIUS nuperrime in margine notatu dignum iudicavit [1]). Hoc autem si e praecedentibus sic exponitur: *Quae quum ita sint, per* IESUM CHRISTUM *cum amicitia Dei vita allata est, quemadmodum* cet. vix superesse crediderim, quod iure meritoque reprehendatur.

In prima orationis parte molestiam creare nequeunt verba *δι' ἑνὸς ἀνθρώπου,* quibus non EVAM, sed ADAMUM spectari, e vs. 14, 1 *Cor.* XV: 22 et aliunde apparet. Quod etiam cum more Orientalium, qui mares tantum recensere solent, cum Iudaeorum Theologia et cum distinctione unius hominis a CHRISTO convenit. Nec disputandi argumentum afferunt sequentia: *εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε*. Eodem modo Praepositio *εἰς* bis usurpatur in formulis notissimis: *εἰσελθεῖν εἰς τὴν*

---

1) STUARTUS, *Biblioth. Sacr. and Theol. Review.* Vol. V. p. 263 sqq. praemissa annotatione in sermonem Anglicum convertit quae WETTIUS de *Rom.* V: 12—19 commentatus erat, atque ita sententiam eius de verbis *διὰ τοῦτο ὥσπερ* p. 269, 270 repetiit.

βασιλείαν et *εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωήν*, item in ea, quae, ut COBETIUS noster monet [1]), solennis fuit iudiciis Atticis: *εἰσελθεῖν εἰς τὸ δικαστήριον.* Vocabulo autem *κόσμος* notionem *societatis hominum*, MEIJERO et aliis quoque placentem, vindicant contexta non solum, *Sap. Sal.* II: 24. XIV: 14. *Hebr.* X: 5, sed etiam *Ioann.* XII: 46. XVI: 28. XVIII: 37. 1 *Tim.* I: 15, ubi Simplex *ἔρχεσθαι* legitur. PAULI igitur mens est: *quemadmodum per unum hominem*, ADAMUM, *peccatum ingressum est in societatem hominum.* Quod quidem de tempore dicitur, quo hac in terra praeter ADAMUM et EVAM nondum fuere homines, at hinc tamen non alienum est, quia posteritatem una cum primis parentibus complectitur. Quaestio tantum agitur, quid sit *ἡ ἁμαρτία.* Atqui a vero haud secus aberrant, qui illud *vitiositatem*, aut *depravationem moralem*, aut *conditionem depravatam*, aut *vim peccandi* interpretantur, quam qui cum multis antiquioris memoriae Theologis *peccatum originale* seu *hereditarium* intelligi volunt. Nam *ἡ ἁμαρτία*, et peperisse dicitur *τὸν θάνατον*, quod lapsus fecit ADAMI de arbore vetita edentis, et cum Aoristo *ἥμαρτον*, quod ipsam *peccandi actionem* denotare videbimus, convenit, et vs. 14, 15 vocabulis *παράβασις* et *παράπτωμα* ita explicatur, ut nihil aliud significare possit quam *peccatum.* Hoc vero non ad unum ADAMI facinus, quod *Gen.* III memoratur, referendum, sed *generatim* sumendum esse, luculenter ostendunt connexa *εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε.* Nimirum *ἡ ἁμαρτία*, ut cum aliis bene monuit FRITZSCHIUS, tanquam persona proposita est comprehendens

---

[1]) *Var. Lection. quibus continentur observationes crit. in Script. Graec.* p. 274.

quidquid contra leges Divinas fit, sive in committendo seu in omittendo, sive in animo seu in ore et facto culpa cernitur. Conferri meretur quod CICERO ait [1]): „Ut peccatum est patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quae sunt in effectu; sic timere, sic moerere, sic in libidine esse peccatum est, etiam sine effectu." PAULI in mentem penetratum iri puto, si pro eo, quod scripsit, substituerimus *τὸ ἁμαρτάνειν*, i. e. sermone vernaculo: *het zondigen*. Hanc notionem *ἡ ἁμαρτία* non solum Cap. VI: 1, 2, 6, 7, 10, 11, 12, 13 et alibi habet, sed etiam infra vs. 20, 21. Summatim praeter FRITZSCHIUM mecum consentiunt BOSVELDIUS, REICHIUS, KREHLIUS aliique neque omnino dissentit MEIIERUS.

Ubi sequitur: *καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος*, i. e. *et per peccatum mors*, quisque repetendum esse intelligit: *εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε*. Illa repetitio facillima quoque est, quia haec verba cum praecedentibus arcte cohaerent ad prius orationis membrum absolvendum. Prosopopoeiam *ὁ θάνατος* et *ἡ ἁμαρτία* communem habent, ut e vs. 14, 17, 21 cogimus. Vehementer vero VV. DD. de *mortis* notione inter se dissentiunt. Haud pauci ab antiquo notionem commenti sunt figuratam, *mortem*, quam dicunt, *spiritualem* significari putantes, vel *omne malum e peccato ortum*. Alii, vario modo, figuratam coniunxerunt cum propria, ut etiam STUARTUS, REITHMAYRUS, PHILIPPUS, MAIERUS, TURNERUS. Et huic quidem sententiae primo adspectu favere videtur Antithesis *τοῦ θανάτου* et *ζωῆς αἰωνίου* vs. 21. Sed una cum MEIIERO et interpretibus ab eo laudatis

---

[1]) *De Finib. bon. et mal.* Lib. III. cap. 9.

SCHOTTUS [1]), BOSVELDIUS, BROUWERUS, alii recte viderunt, argumenta, quibus propria notio, i. e. *mortis naturalis*, nitatur, tanti ponderis esse, ut nihil aliud admitti possit. Et primum quidem PAULI oratio spectat effatum Dei *Gen.* II: 17, qui ADAMO *mortem* tantum *naturalem* minatus est, uti docent etiam verba Cap. III: 3, 4, 19. Deinde hanc interpretationem confirmant Rabbinorum aliorumque dicta a GROTIO, WETSTENIO, SCHOETTGENIO allata, item *Sirach.* XXV: 24. *Sap. Sal.* XIV: 14, praesertim II: 24, ubi legimus: *φθόνῳ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον*. Cum maxime vero comparandum est, quod ipse Apostolus 1 *Cor.* XV: 21, 22 ita scripsit, ut notioni figuratae locum prorsus praecluderet. Atque hoc sine dubio quoque in oratione contexta fit, quum vs. 15 Verbum *ἀπέθανον* omnino vetat vocabula *ὁ θάνατος* et vs. 12, et vs. 14, 17, 21 aliter interpretari quam *mortem naturalem*. Quod tam grave est, ut pondere suo longe superet vim argumentationis ex Antithesi: *τοῦ θανάτου* et *ζωῆς αἰωνίου* vs. 21 petitae. Sed quam tenuis illa argumentatio sit, infra in luce collocabit disputatio de utroque opposito. Nec magis mihi obstant alii, ad quos VV. DD. provocarunt, loci. Negare enim nolo, vocabulum *θάνατος* et affinia etiam figurate usurpari. Et supra ad Cap. I: 32 propriam *mortis* notionem plus semel ita observandam esse concessi, ut *miseriae mortem illam sequentis* cogitatio non excludatur. Sed ubi absolute scriptum est: *ὁ θάνατος*, vehementer dubito, an aliud quid quam *mortem naturalem* intelligere liceat. Ergo *ὁ θάνατος* eodem redit ac *τὸ ἀποθνήσκειν*.

---

[1]) *Opusc. exeget. crit. dogmat.* T. I. p, 321 sqq.

Cum priori huius vs. membro posterius cohaeret per formulam *καὶ οὕτως*, *atque ita*. FRITZSCHIUS eam interpretatur ADAMO *propter peccatum mortuo*. Similiter REICHIUS, MEIIERUS in Edit. post., alii. Sed sic peccati ADAMI a peccatis aliorum hominum, quae verbis *διὰ τῆς ἁμαρτίας* denotantur, negligitur distinctio et orationis progressio cohibetur. Auctoris menti unice accommodatum est quod voluerunt WETTIUS, OLSHAUSENIUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, MAIERUS: *morte per peccatum in mundum* (*in hominum societatem*) *ingressa*. Nimirum in locis, ubi haec formula exstat, proponi deprehenditur consequentia rei verbis proxime praecedentibus memoratae. Sermone vernaculo dicimus: *en gevolgelijk*. Conferantur *Act*. VII: 8. XXVIII: 14. *Rom*. XI: 26. 1 *Cor*. XI: 28 cum *Act*. XVII: 33. 1 *Cor*. XIV: 25. 1 *Thess*. IV: 17. *Hebr*. VI: 15. Huic vero interpretationi fidem etiam faciunt subiecta: *εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν*. Quod supra monui, vocabula *ὁ θάνατος*, etiamsi loco suo moveantur, intelligenda esse, non labefactatur ab interpretibus, quorum iudicio etiam repetenda est *ἡ ἁμαρτία*. Fugit enim eos, nisi fallor, consilium, quo PAULUS comparationem ADAMI et CHRISTI instituit. Sibi mutuo nempe opponere voluit *mortem* ADAMO et *vitam* CHRISTO debitam. Ergo a *peccati* quidem propagatione incepit, sed studiose, misso peccato, de sola *morte* scripsit *εἰς πάντας ἀνθρώπους διῆλθεν*. In Verbo autem *διῆλθεν* si latet *διὰ τοῦ κόσμου* (cf. 2 *Cor*. I: 16), sensus est: *et per mundum ita transiit, ut omnes homines ei succumberent*. Eadem fere dicendi ratio est apud PLUTARCHUM [1]):

---

[1]) *Alcibiad*. p. 192 F.

Ταχὺ διῆλθεν ὁ λόγος εἰς τοὺς παῖδας. Ceterum haec talia sunt, ut funditus evertant, quidquid interpretes ab antiquo pro figurata aut amplificata notione vocabulorum ὁ *θάνατος* disputarunt. Quod enim ad omnes homines refertur, pertinet etiam ad ABRAHAMUM ceterosque, quotquot ante PAULI aetatem vixerunt, pios Dei cultores. Atqui hos nulla alia *mors* attigit vel attingere potuit quam *naturalis*.

Progrediamur ad verba difficillima: *ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.* Iam vero ut formulae *ἐφ' ᾧ* notionem suam statuamus, ab expendendis sequentibus: *πάντες ἥμαρτον* incipiendum videtur. Recte HODGIUS, missis placitis minus commendatis, hanc triplicem eorum memoravit interpretationem, ut alii PAULUM dicentem faciant: *omnes homines peccavisse ipsos*, alii: *omnes homines vitiosos factos esse*, alii: *omnes homines tanquam peccantes esse consideratos et tractatos*, graviter vero lapsus est hoc tertio alteris praeferendo. Quidquid enim ad tuendum illud et e praecedenti affert oratione, et e tota hac ADAMI et CHRISTI comparatione, et e Literarum Sacrarum doctrina, et ex Iudaeorum Theologia, opinionibus nititur aut supra iam refutatis, aut infra refutandis. Tum secundaria tantum illa sunt argumenta, primario, quod Grammaticum est et in loquendi usu cernitur, inferiora. Hoc vero vide, an V. D. attigerit cum aliis provocando ad *Gen.* XLIV: 32, ubi Graeca: *ἡμαρτηκὼς ἔσομαι πάσας τὰς ἡμέρας* non significant: *per totam vitam censebor homo*, seu *considerabor et tractabor tanquam homo, qui peccaverit*, sed *per totam vitam is ero, qui peccaverim.* Nec maiorem probandi vim habent similia *Gen.* XLIII: 9 et dissimilia 1 *Reg.* I: 21. *Iob.* IX: 29, quibus itidem abutitur. Ubi autem in

N. T. interpretationi suae favere ait formulas *mori in* ADAMO, *vivere in* CHRISTO, *mori cum eo*, *cruci cum eo affixum esse*, aliena comparat, nisi Verba ἐφ' ᾧ cum ORIGENE, AUGUSTINO aliisque explicantur *in quo* (homine), aut *in quem* (hominem), quod iure meritoque ipse respuit. Haud secus illud respuunt recentiorum interpretum plerique, quorum iudicio PAULUS hîc peccatum ADAMI hominibus imputatum esse docuit, BENGELIUS, KOPPIUS, OLSHAUSENIUS, PHILIPPUS, BISPINGIUS, MEIERUS, qui argumentationem his e verbis petitam refellit, sed imputationis placitum inesse contendit sequentibus *πάντες ἥμαρτον*. Quod tamen neque ab eo, neque ab aliis ullius loci auctoritate probatur. Imo frustra his in libris circumspiciuntur loci, ubi Verbum *ἁμαρτάνειν* denotat *peccantis instar censeri* vel *tanquam peccans considerari et tractari*. Frustra quoque ad hanc interpretationem defendendam praesidium quaeritur in oratione contexta, ubi eam vs. 13, 14, 16, 20, 21 nec ferre potest illud *ἁμαρτάνειν*, nec Vocabulum *ἁμαρτία*. Nihil aliud igitur superesse video, quam ut ab his interpretibus dissentiam. Contra vero cum iis consentio, ubi alterum, quod HODGIUS memoravit, *omnes homines vitiosos factos esse*, Apostoli mentem referre negant. Omnis enim ratiocinatio, qua, praeeunte CALVINO, BOEHMIUS, FLATTUS, USTERIUS [1]), TURNERUS, alii pro hac sententia usi sunt, itidem temere sumit, Verbo *ἁμαρτάνειν vitiositatem* intelligi posse. Profecto simplex *peccandi* notio, quae vs. 14—16 omnibusque in locis retineri debet, a nemine deserta esset, nisi

[1]) L. c. p. 25, 26 et alib.

multos decepissent rationes argumenti historici aut philosophi, importune in consilium vocatae. Infra autem, uti spero, clarissime patebit, toti ADAMI et CHRISTI comparationi consentaneam esse propositionem *peccatorum a singulis hominibus commissorum*. Quod igitur mirandum non est, recentiori memoria plerisque placuisse, etiam BOSVELDIO, KÖLLNERO, KREHLIO. Imprimis legi meretur disputatio FRITZSCHII, REICHII, STUARTI, qui redarguunt quoque errores, quos brevitatis causa praeterii. Verbum ἥμαρτον cum WETSTENIO ita restringi non posse, ut *homines* tantum *impios et pravos* spectet, sua sponte videbit, quisquis meminerit, vocabulo πάντες inclusos etiam esse ABRAHAMUM omnesque pios Dei cultores.

Iam si verba πάντες ἥμαρτον interpretari debemus *omnes* (ipsi) *peccarunt*, hoc non favet sententiae, formulam ἐφ᾽ ᾧ referendam esse ad praecedentia ἑνὸς ἀνθρώπου. Sed id fieri vetat orationis progressio supra exposita. Et longius formulam ἐφ᾽ ᾧ ab illis ἑνὸς ἀνθρώπου distare, quam ut hanc structuram admittat, his nostris diebus VV. DD., si paucos, uti BROUWERUM, PALMIUM, KLEEIUM, WALFORDUM excipimus, cuncti viderunt. Graeca igitur reddenda non sunt Latinis *in quem* (hominem), neque *in quo* (homine), nec *per quem* (hominem), quod quis est, qui non miretur, in mentem venisse GROTIO? Tolerabilior sane est interpretatio HOMBERGKII, GLÖCKLERI, SCHMIDII [1]) aliorumque, qui formulam ἐφ᾽ ᾧ pendentem faciunt a vocabulo θάνατος, quod proxime antecedit. Atque illud EWALDUS [2]), legi tantum iubens: καὶ οὕτως εἰς

---

[1]) *Tübing. Zeitschr.* 1830. Part. 4. p. 191.

[2]) ADAM *und* CHRISTUS, in *Jahrbücher der Bibl. Wissenschaft.* Zweites Jahrbuch. 1849. p. 166 sqq.

πάντας ἀνθρώπους διῆλθεν, eatenus probavit, ut auctorem sibi voluisse existimaret: *atque ita ad omnes homines penetravit id, ad quod versus omnes peccabant.* Monuit autem *illud, ad quod versus peccarent omnes*, fuisse mortem, quam se sibi peccando parere e Dei effato *Gen.* II: 17 ipsi scirent. Equidem vero, ut posterius ὁ θάνατος aeque ac prius genuinum videri mittam, nec dictum insolentius PAULO tribuere ausim, nec verbis eius inesse putem, quod V. D. inde eruere voluerit. Non latet me argumentatio eius petita e sequentibus ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι vs. 14, sed illa denotare nequeunt *ad similitudinem versus*, seu, *ut imaginem referrent.* Nec maiorem probandi vim habent alii, quos excitavit, loci: Cap. VIII: 20. 1 *Cor.* IX: 10. *Gal.* V: 13. *Eph.* II: 10. *Phil.* III: 12. 1 *Thess.* IV: 7, in quibus Praepositio ἐπί cum Dativo, quaecunque tandem eius notio est, a Verbis, quod bene animadvertatur, pendet *Transitivis.* Et similibus locis, quos affert STEPHANI *Thesaurus*, lustrandis animadverti, hanc Praepositionem cum Dativo nusquam ad *consilium* [1]) enunciandum ab aliis Verbis pendere, quam aut *Transitivis* aut *motum* saltem significantibus. Verbum vero ἥμαρτον quum tale non sit, sequitur, loquendi usum EWALDO aliisque obstare, quotquot formulam ἐφ᾽ ᾧ explicari iubeant *ad quam* scil. *mortem.* Multo minus concedendum est HOFMANNO [2]) eam significare posse: *sub cuius dominatione.* Haec enim interpretatio, neque, ut recte vidit MEIJERUS, commendari potest verbis ἐπὶ τῇ πίστει *Phil.* III: 9 et ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ *Hebr.* IX: 15,

---

[1]) In censum igitur non veniunt dictio νοσεῖν ἐπὶ θανάτῳ, ab HOMBERGKIO etiam allata, et similes.

[2]) *Der Schriftbeweis. Ein Theolog. Versuch.* Tom. I. p. 478, 479.

quibus nulla *dominationis* ratio habetur, neque exemplo aliunde allato probari. Itaque nihil aliud superesse videtur, quam ut huic formulae potestatem tribuamus Coniunctionis, et ita quidem, si penes ERASMUM, LUTHERUM, CALVINUM, MELANCHTHONEM fides est, ut Latine scribatur *propterea quod*, vel *quandoquidem*, vel *quia*, vel similiter. Quod recentiorum interpretum plerique secuti sunt, etiam STUARTUS, HODGIUS, SHUTTLEWORTHUS, BOSVELDIUS, VINKIUS, MEYBOOMIUS, VISSERINGIUS, fortiter autem defenderunt REICHIUS et FRITZSCHIUS. Et sua auctoritate hanc interpretationem THEODORETUS, PHOTIUS [1]), THOMAS *Mag.*, PHAVORINUS tuentur. Haud ignoro, in scriptis veterum frequentissimam formulae ἐφ' ᾧ notionem hanc esse, ut, posita pro *ἐπὶ τούτῳ ὥστε*, respondeat Latinis *ea lege* vel *ea conditione ut* [2]). Sed PAULI oratio, ut etiam bene vidit MEIJERUS, ita comparata est, ut interpretationem illam ferre nequeat. Nec ROTHIO [3]) eam placituram fuisse existimo, nisi Apostolo cum multis aliis affinxisset doctrinam, *propter* ADAMI *peccatum* omnes eius posteros mortuos esse. Eodem errore deceptus RÜCKERTUS sibi persuasum esse monuit, formulam ἐφ' ᾧ respondere non posse Latinae *propterea quod*, si praecedentia *καὶ οὕτως* explicentur: *et morte per peccatum mundum ingressa*, sermone vernaculo: *en gevolgelijk*. Verumtamen non intelligo equidem, cur PAULUS, si plane idem ac

---

[1]) *Epist.* 152. p. 207, 208.

[2]) Cff. MATTH. Tom. II. p. 1063, 1372. ROST. p. 620. KÜHNER. Tom. II. p. 567, 568. MADVIG. p. 165, 180. Exemplorum copiam iam praebuit BUDAEUS. p. 1339, 1340.

[3]) *Versuch einer Auslegung der Paul. Stelle*, Rom. V: 12—21 pag. 17 sqq

Latini suo *propterea quod* dicere vellet, non usus sit Particula *διότι*, quae hac ipsa in Epistola quater exstat. Deinde si supra iam implicite dictum est, *per peccatum factum esse, ut omnes homines morti subiicerentur*, sine dubio illa: *propterea quod omnes peccarunt*, utpote supervacanea, vehementer frigent. Quae quum ita sint, in coniecturam incidi, PAULUM scribere maluisse *ἐφ' ᾧ*, quam *διότι*, ut ex ADAMI posteris, qui peccando mortem sibi contraxissent, CHRISTUM eximeret. Insigniter hoc convenit doctrinae eius, Cap. IV: 25. V: 6—8 propositae, CHRISTUM, quum ipse omni peccato vacuus esset (cf. 2 *Cor.* V: 21.), ad aliorum salutem mortuum esse. Atque illud discrimen inter CHRISTUM ceterosque homines in tota hac disputatione, praesertim vs. 17—19, 21, habuit ante oculos. Sed hac coniectura ne opus quidem est, quoniam auctor vs. 13, 14 meliorem nobis nodi expediendi viam monstravit. Nimirum memorando *τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ* peccantes expresse a peccantibus distinxit. Iam nonne ad hanc distinctionem quodammodo praeparandam verbis *ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον* de industria usus esse videtur? Nonne nexus ille in luce collocatur Graecis Latine reddendis: *quatenus omnes* (alii aliter) *peccarunt?* Nonne ita tollitur quidquid interpretationi maxime vulgari: *propterea quod omnes peccarunt* obiicitur? Nec frustra quaesivi interpretes eandem vel non prorsus dissimilem viam ingressos [1]). Locis autem quam plurimis, in quibus for-

---

[1]) MÜLLER, *Die Lehre von der Sünde*. Ed. III. Tom. II. p. 407 sqq. USTERI. p. 25. Iam interpres Latinus THEODORETI scripsit *quatenus*. Nec plane dissimile est quod vult BAURUS. p. 571, 572.

mula ἐφ' ᾧ pro ἐπὶ τούτῳ, ὅτι posita esse et Particulae *propterea quod* respondere dicitur, non minus accommodata est Particula *qualenus*. Exemplo sit, quod legimus apud DIODORUM *Sic.* [1]) *ἐφ' ᾧ συνήθως οἱ περιοικοῦντες Βάρβαροι τὸ μὲν μεῖζον καλοῦσι ταῦρον, τὸ δ' ἔλασσον μόσχον*, ubi fortasse praestat scribere *qualenus*, quam *propterea quod.* Atque ita 2 *Cor.* V: 4 nihil magis quam *qualenus* arridet. Sed *Phil.* III: 12. IV: 10 scribendum est *ad quod* vel simile [2]).

Itaque PAULUS, si mentem eius probe assecutus sum, duo proposuit. Alterum est, *per unum* ADAMUM *peccatum in hominum societatem ingressum esse et per peccatum in eam ingressam esse mortem*; alterum, *mortem, quum haec ita sequeretur peccatum, per omnes homines pervasisse, qualenus omnes* (alii aliter) *peccarent.* In hanc unam autem coalescunt sententiam: ADAMUM *fecisse, ut omnes homines, alii aliter peccando, mortem sibi consciscerent.* Quomodo ADAMUS hoc fecerit, Theologi ab antiquo rimari conati sunt, ducibus maxime AUGUSTINO et PELAGIO, quorum uterque tamen Apostolo aliena obtrusit. Hic enim, ut necessitudinis inter peccatum ab ADAMO commissum et peccatum, quod in hominum societatem ingressum est, intercedentis causam intactam reliquit, sic etiam causam, cur peccatum mortem pepererit, praeteriit silentio. Ne hoc quidem loco dixit, quod infra demum legitur, miseriam ab ADAMI pec-

---

[1]) Lib. XIX. cap. 98.

[2]) Corrigantur igitur quae in *Comm.* de locis illis disputavi, ubi formulam ἐφ' ᾧ interpretari conatus sum *quemadmodum.* Longius a via aberravit FINKHIUS, *Tübing. Zeitschrift.* 1830. Part. 1. p. 126 sqq. eam Latinae *quamquam* respondere contendens.

cato repetendam esse. Et plura sane, quam hîc proposita sunt, non exigebat PAULI consilium. Nihil aliud nempe volebat quam introitum aperire comparationi inter ADAMUM et CHRISTUM faciendae, ut bona ab hoc allata longe maiora et ampliora esse ostenderet, quam mala ab illo profecta. Praesertim id agere decreverat, ut *morti*, per ADAMUM in hominum societatem ingressae, *vitam* opponeret, quam CHRISTO sectatores eius deberent. Quemadmodum igitur vs. 13—19 in *vitae mortisque auctoribus* distinguendis totius ratiocinationis caput cernitur, ita, ut supra iam notatum est, in *mortis origine et propagatione* primarium reperimus argumentum, quod vs. 12 continetur. Unde PAULUS hoc simile mutuatus sit, quaestio est paulo difficilior. AMMONIUS [1]), quocum multi consentiunt, eum Rabbinorum placita suum in usum convertisse voluit. Sed nondum penitus enervata sunt, quae SÜSKINDIUS [2]) ei opposuit, horum hominum, quae circumeant, placita, et magna ex parte recentioris aetatis commenta esse, et inter se discrepare, et plus uno etiam nomine ab Apostoli doctrina differre. Potius in censum veniunt, quae *Gen.* II, III tradita sunt et in libris Apocryphis supra iam excitatis: *Sap. Sal.* II: 23, 24. XIV: 14. *Sirach.* XXV: 24 recepta. Haec autem ipsa si Rabbinos PAULI tempore docuisse existimandum est, quid, quaeso, GAMALIELIS discipulum impediverit, quominus referret quod a magistro suo audivisset? Inde tamen, quod simili usus est, sequitur, eum nihil novi et inauditi attulisse, nec lectoribus suis doctrinam Divinitus sibi

---

[1]) *Nova Opusc. Theol.* p. 71 sqq.

[2]) *Magazin für Christ. Dogm. und Moral.* Part. XIII. p. 68 sqq.

patefactam, quam fide apprehensuri essent, impertivisse, sed e tralaticiis et vulgo cognitis, i. e. e concessis ratiocinatum esse ad causam CHRISTI illustrandam. Ita IESUS *Matth.* XII: 40. XXV: 38, ut auditoribus futura ante oculos collocaret, ab iis, quae in V. T. de IONA et NOACHI aequalibus scripta erant, utpote concessis, similia mutuatus est. Quemadmodum autem ille ad res argumenti historici provocavit, sic PAULUS, eiusdem generis argumentum arripiens, non de omni tempore, ut bene animadvertit BOSVELDIUS, philosophatus est, sed commemoravit tantum, quod ad suam aetatem experientiam testari sciebant omnes. Hac vero orationis consideratione non amplius offensioni esse potest verborum interpretatio, quae Apostolum immemorem facere videtur infantium et puerorum, qui moriuntur, quamquam peccato liberi sunt. Sed satis iam probarunt REICHIUS, FRITZSCHIUS aliique, oblivionem ab eo longe remotam fuisse. Totus enim vs. 12—19 versatus est in comparandis hominibus, qui ad maturitatem annorum pervenerant, ut per peccatum cum ADAMO, per fidem cum CHRISTO communionem habere possent. Nec disputationis argumentum ferebat, ut de infantibus et pueris mentionem faceret, quandoquidem ad fruendum vita a CHRISTO allata, quam in luce collocare volebat, rationis etiam usum requiri noverat. Prudenter igitur causam, cur infantes et pueri moriantur, praetermisit silentio, quemadmodum huiusmodi quaestiones subtiliores alibi quoque in N. T. non attinguntur.

Vers. 13, 14.

Iam oratio secundum Editionem Receptam sic procedit: *Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ· ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. Ἀλλ᾽ ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως, καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος.* Ad investigandum autem nexum, quo vss. 13 et 14 tam cum praecedentibus vs. 12 quam inter se cohaereant, ab antiquo interpretes varias vias ingressi sunt. Nec recentiori memoria alii aliud tentare desierunt, ut caligini lucem adspergerent. Quum vero singula placita ex ordine recensere labor arduus et infinitus sit, id maxime agere malo, ut missis aliorum sententiis afferam tantum, quae mihi ceteris probabiliora videantur. Ergo cum PHILIPPO, HOFMANNO multisque interpretibus hactenus consentiens, ut ratiocinationem PAULI non ad proxime praecedentia: *ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον*, sed ad totum vs. 12 referam, Apostolum consilium habuisse puto probandi, per ADAMUM factum esse, ut mors ad omnes homines peccati reos pervaderet. Quod ut in luce collocet, primum, nisi fallor, peccatum memorat, quod hominum societatem inquinavit, priusquam lex constitueretur. Deinde sententiae communis usu ostendit, neminem eorum poenam adeoque mortem subiisse, quod ei imputaretur legis violatio. Hinc autem cogere volens, in ADAMO causam quaerendam esse, cur hominum peccata mors secuta sit, mortem ait sibi omnes ab ADAMO usque ad MOSEM subiecisse, sive peccassent ADAMI instar, seu aliter. Hanc

vero conclusionem lectori faciendam reliquit e postremis: ὅς — μέλλοντος, ea simul orationi adiiciens, ut ad alteram rediret comparationis partem verbis διὰ τοῦτο ὥσπερ implicite tantum propositam.

Singula explicare incipimus a verbis: ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ. Vocabulum νόμου, si vera sunt, quae supra disputavi, generatim *legem* significat, quamvis *legem* spectat *Mosaicam*. Ita sequenti ἁμαρτία *peccati* notio generatim tribuenda est. Cur itidem sine Articulo scriptum sit ἐν κόσμῳ, intelligitur e dictis ad Cap. IV: 13. Vim formulae reddere conatus sum Latinis: *inter homines*, quae aliis locis, uti 1 *Cor.* XIV: 10. 1 *Tim.* III: 16, etiam accommodata sunt. Coniuncta autem ἄχρι νόμου male haud pauci ab antiquo, praeeunte ORIGENE, interpretati sunt: *quamdiu lex Mosaica vigebat.* Hoc enim, uti PAULUS, si hominum MOSE vetustiorum ratio habenda erat, scribere non potuit, ita eum non scripsisse docent vs. 14 verba ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως, quae praecedentibus respondent. Neque illud fert loquendi usus, ut FRITZSCHIUS frustra probare conatus est, exempla e locis repetens, in quibus Particulae ἄχρι et μέχρι connexae sunt cum Verbo finito. Recte vero ille in notionibus harum Particularum discernendis nimiam reprehendit subtilitatem TITTMANNI [1]), cuius interpretatione *antequam lex lata erat* vaga temporis notatio pro certa et bene definita inducitur. Ipse TITTMANNUS e XENOPHONTE [2]) hunc sibi obstantem attulit locum: Ὅμως δὲ περίεστί μοι, καὶ ἐσθίοντι ἄχρι τοῦ μὴ πεινῆν ἀφικέσθαι, καὶ πι-

---

[1]) L. c. p. 33 sqq.

[2]) *Conviv.* Cap. 4. § 37.

νοντι μέχρι τοῦ μὴ διψῆν, ubi Particulae illae ita permutantur, ut altera edendi, altera bibendi terminum significet. Sed aliunde afferre non potuit, quo sententiam refelleret fere communem, inter utramque praeter literarum discrimen nihil interesse [1]). Hîc autem formulam *ἄχρι νόμου* explicari debere: *per omnes aetates, quae legis constitutionem praecesserunt*, docent etiam similia *ἄχρι τοῦ νῦν* Cap. VIII: 22 et *ἄχρι τῆς προθεσμίας* *Gal.* IV: 2, quorum alterum sibi vult: *per omnes aetates, quae hunc diem praecesserunt*; alterum: *per omne tempus τὴν προθεσμίαν praecedens.* Quid plura? Quum ADAMUS vs. 12 *unus homo* appellatus esset, dubitare non poterant lectores, quin *omne* comprehenderetur *temporis spatium, quod ab illius lapsu usque ad legis Mosaicae constitutionem decurrisset.*

Progrediamur ad alterum vs. 13 membrum. Verbum *ἐλλογεῖται* iam veteres nonnulli, a PAULI mente aberrantes, ita mutarunt, ut Imperfectum, aut Perfectum,

---

[1]) Cff. BUDAEUS p. 1362. MATTH. Tom. II. p. 1197. BERNHARD. p. 233, alii. Egregio exemplo, unde Particulam *ἄχρι*, etiamsi nulla *temporis* habeatur ratio, Latinis *usque ad* respondere appareat, haec nobis sunt PLUTARCHI verba (*Moral.* p. 808 A.): *Δεῖ γὰρ οὐκ ἄχρι τοῦ βωμοῦ φίλον εἶναι τῷ μὴ συνεπιορκεῖν, ὥς ποτε Περικλῆς εἶπεν, ἀλλ' ἄχρι παντὸς νόμου* (l. *νομίμου*) *καὶ δικαίου καὶ συμφέροντος*. Sed perspicue quoque haec verba utroque *ἄχρι* et *μέχρι* idem significari docent, si comparantur cum ipsa PERICLIS dictione (ibid. p. 531 C.): *Μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί*, cuius similia leguntur p. 186 C. De quaestione hinc aliena, ubinam Graeci *ἄχρις*, ubinam *ἄχρι* scripserint, consulantur BUTTMANN. Tom. I. p. 94. et LOBECKIUS *ad Phryn.* p. 14, 15. In N. T. ante Consonantem ubique legitur *ἄχρι*, ante Vocalem plus semel idem *ἄχρι*, plerumque *ἄχρις*. Cf. praeter alios WINER. *Gramm.* p. 50. [Ed. VI. p. 41].

aut Aoristum pro Praesenti substituerent. Sed haud paucos quoque interpretes, quum simplicem et veram notionem praecedentis ἥμαρτον deseruissent, illud minus intellexisse, res ipsa loquitur. Apud Graecos quidem antiquiores exemplum eius frustra quaeritur, apud recentiores rarioris usus est, nec comparatio tamen locorum, ubi ἐλλογεῖν vel eius affine exstat, uti etiam *Phil.* 18, dubitare sinit, quin Latine scribendum sit *in rationes refertur* vel *imputatur*, quod ROTHIUS quoque contra FLATTUM aliosque defendit [1]). Nequidquam vero Verbo *imputatur* alii adiiciunt *ab eo, qui peccat*, alii *ab hominibus*, alii *ab iudice*, alii *a Deo*, quod nuperrime etiam placuit MEIIERO. Haud minus reprehendendos esse, qui sequenti νόμου non *legem qualemcunque*, sed *legem Mosaicam* denotari aiant, e loco partim simili, partim dissimili Cap. IV: 15, e praemissis μὴ ὄντος, imprimis vero ex usu Praesentis ἐλλογεῖται intelligere mihi videor. Sententiam auctor affert communem eandemque omnino veram, hac tamen sub conditione, ne quis verbis admisceat suo ex ingenio, quod ab iis alienum est. Ergo vocabulum νόμου ne quidem *legem publice editam* significat, sed generatim tantum *legem* non solum *literis consignatam* aut *ore prolatam*, sed etiam *cordibus inditam*, uti Cap. II: 14, 15. Mens, nisi fallor, PAULI est: *peccatum* (quidquid committitur contra voluntatem Dei) *autem non imputatur*, *ubi nulla lex est*, quam quis violare possit. Quod non in Parenthesi positum, sed cum circumiectis connexum esse docet Particula δέ. Atqui ubi sententia communis cum

[1]) Ita etiam apud DION. *Chrysost.* si vera est CASAUBONI coniectura, quam laudavit GEELIUS, *ΟΛΥΜΠΙΚΟΣ* cet. p. 393.

circumiectis connexa, neque eius tamen consequentia verbis expressa est, eam aliunde eruere oportet.

Hanc in viam ducit auctor vs. 14 memorando quod sententiae communi omnino refragari videtur. Primo adspectu Particula ἀλλά ita accipienda est, ut discedatur ab eius notione vulgari; sed optimo iure ei post FRITZSCHIUM aliosque hanc notionem HOFMANNUS vindicavit. Hic tamen Particula illa abusus est ad vim verbi subiecti ἐβασίλευσεν temere, ut etiam MEIIERUS monet, augendam. Nihil aliud illo, quamvis gravitatis causa ceteram orationem praecedit, significari quam *regnavit*, evidenter docet Antithesis vs. 17 et 21. Per Prosopopoeiam igitur Apostolus cum lectoribus suis communicavit, quod in Pentateucho traditum erat, aiens: *Sed* (per omne temporis intervallum) *ab* ADAMO *usque ad* MOSEM *mors regnavit* seu *dominata est*[1]). Hoc autem loco Verbum βασιλεύειν, cui Graeci Genitivum vel Dativum subiicere solent, Praepositionem ἐπί, sicuti 1 *Sam.* VIII: 9, 11. 1 *Macc.* I: 16. *Luc.* I: 33. XIX: 14, post se habet cum Accusativo. Haud minus a Graecorum priscorum more recedit usus Aoristi I Verbi ἁμαρτάνειν, quemadmodum aliorum Verborum in ανω desinentium, cuius generis multa recensuit BUTTMANUS[2]). In recentioris vero aetatis scriptis exempla eius haud frustra quaeruntur[3]). Atque ita *Matth.* XVIII: 15. *Rom.* VI: 15 (in Codicibus antiquis) exstat, et Participium

---

[1]) Quomodo PAULUS ea, quae *Gen.* V: 24 de HENOCHO narrantur, interpretatus sit, ex hoc loco vix aut ne vix quidem intelligi potest.

[2]) L. c. Tom. I. p. 413, 414. Tom. II. p. 421.

[3]) Cff. LOBECK. l. c. p. 732, 733. MATTH. Tom. I. p. 531, item COBET. l. c. p. 25.

eius infra vs. 15. *Hebr.* III: 17. 2 *Pet.* II: 4 [1]). Particulam μὴ cum Participio ἁμαρτήσαντας coniunctam nonnulli maxime veterum a REICHIO [2]) memorati spuriam habuerunt, quibuscum consentiens Iudaeorum magister, ISAÄCUS [3]), hinc argumentum cavillandi petiit. Sed ipse REICHIUS sententiam hodie fere communem, Particulam genuinam esse, satis superque confirmavit, tum ad Codicum optimorum aliorumque antiquitatis testium fidem provocans, tum ad praecedentem Coniunctionem καί, quippe quae, uti suo loco moveri, ita tolerari nequeat, nisi negans vocabulum μὴ sequatur. Et summo quoque iure orationem circumiectam sic comparatam esse monuit, ut vocabulum illud omnino requirat. Nec sine causa a CHRYSOSTOMO aliisque dissentiens interpretibus, qui connexa: ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ ad Verbum ἐβασίλευσεν referunt, ea ad Participium ἁμαρτήσαντας referri iussit. Hoc tantum nomine V. D. reprehendendus est, quod interpretationem antea [4]) datam repetiit, homines proponi contendens non peccantes in interdictum, *cuius violatoribus Deus, sicut* ADAMO, *mortis poenam minatus esset.* Sic enim suo ex ingenio in orationem importavit, quod ab ea alienum esse arguit formula praecedens μὴ ὄντος νόμου, neque ipsa ferunt verba ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, quibus neutiquam interdictum cum interdicto, sed *pec-*

---

[1]) Cf. ALT. p. 14, 15.

[2]) *Comment. Crit.* ad h. l.

[3]) Apud GUSSETIUM in *Confutatione libri Chizzouk Emounah.* Part. I. cap. 11. p. 75 coll. Part. II. cap. 77. p. 430.

[4]) *Versuch einer ausführlichen Erklärung* cet. ad h. l.

candi ratio cum ADAMI peccato comparatur. Rectissime igitur FRITZSCHIUS, STUARTUS, MEIIERUS, hanc opinionem refellentes, PELAGIUM, PHOTIUM, CALVINUM aliosque veteres eatenus secuti sunt, ut homines intelligerent, qui ADAMI *dissimiles* fuissent *aliter peccando, quam violatione interdicti Divinitus editi.* Quod placuit etiam RÜCKERTO, KÖLLNERO, OLSHAUSENIO, ROTHIO, PHILIPPO, MAIERO, VISSERINGIO et plerisque interpretibus. Atque hanc culpam, quidquid contrariam in partem REICHIUS disputat, subiuncto etiam vocabulo *παραβάσεως* significari, e Cap. II: 23. IV: 15 et omnibus, in quibus illud exstat, Novi Testamenti locis luculenter apparet. Eidem autem vocabulo quoque ORIGENIS aliorumque veterum obstat opinio, cui nuper patrocinatus etiam est REITHMAYRUS, Apostolum *pueros* et *infantes* spectasse, siquidem in illos, quamquam communis vitiositatis participes, non quadrat *παράβασις* seu *interdicti violatio*, quam sibi indulsit ADAMUS. Hinc vero errare sequitur PHILIPPUM aliosque, qui CALVINO concedant, pueros et infantes non excludendos esse. Ceterum bene TURNERUS multique VV. DD. duplex hominum genus, ADAMI simile et dissimile, per Particulam *καί* distingui viderunt. Et quum inter se distinguantur, qui aliter quam ADAMUS, et qui eodem modo atque ille peccaverint, haec distinctio summopere favet interpretationi verborum *ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον* supra propositae. Sententiae enim hinc profectae egregie respondent verba *καὶ ἐπὶ — Ἀδάμ*, si ita exponuntur, ut mors sibi subiecisse dicatur homines *tam quatenus peccando* ADAMI *dissimiles fuerunt, quam quatenus eius similes fuerunt interdicto Dei violando.* Formulam autem *ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι*, quae Latinis reddenda est *ad similitu-*

dinem, hoc admittere, perspicue intelligimus ex iis, quae post alios disputavit FRITZSCHIUS, varia etiam interpretum commenta hinc aliena redarguens. Quaestionem quod attinet, quosnam homines PAULUS ante oculos habuerit, ad eam sic respondeo, generatim dissimilibus ADAMI, me iudice, indicari prolem eius ante diluvium, similibus prolem eius post diluvium, i. e. Noachidas, quibus Deum *Gen.* IX: 3 sqq. statuta dedisse novimus, quae peccantibus poenam adeoque mortem minarentur. Et utrorumque Apostolus rationem habere debuit, quoniam a legis Mosaicae, quam vs. 13 spectaverat, violatoribus discernendi erant, quotquot ante diluvium *contra principia pietatis et virtutis animis indita* peccaverant, post diluvium vero *contra statuta* NOACHO, *alteri generis humani parenti, eiusque soboli data.*

Quorsum vero haec tendant, videamus, an ex adiectis: *ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος* eluceat. Et incipiendum quidem est ab uno alteroque sigillatim interpretando. Genitivum *τοῦ μέλλοντος* nonnulli, etiam BOSVELDIUS et WILKIUS [1]), Neutrius Generis esse putarunt. Et sane in N. T. Masculinum *ὁ μέλλων* nusquam absolute positum est, Neutrum vero *τὸ μέλλον* *Luc.* XIII: 9. 1 *Tim.* VI: 19, Plurale *μέλλοντα* tam sine Articulo quam cum eo *Rom.* VIII: 38. 1 *Cor.* III: 22. *Col.* II: 17. *Hebr.* XI: 20. Sic apud PINDARUM legimus: *οἶδεν τὸ μέλλον* [2]) et *τῶν μελλόντων φραδαί* [3]), et apud XENOPHONTEM [4]): *ὀλίγα δυνάμενοι*

---

[1]) Cum alibi, tum in *Clavi* v. *Μέλλω*.

[2]) *Olymp.* II. vs. 103 DISSEN.

[3]) Ibid. XII. vs. 13.

[4]) *Cyr. Disc.* Lib. III. cap. 2. § 15.

προορᾶν ἄνθρωποι περὶ τοῦ μέλλοντος. Sed si Pronomen *ὅς* refertur ad Vocabulum *'Αδάμ*, Genitivus *τοῦ μέλλοντος* Neutrum esse nequit, ne *persona* et *res*, i. e. aliena confundantur. Pronomen autem per Attractionem accipere non licet pro *ὅ*, quoniam sequens *τύπος* Masculinum est. Deinde Participium Masculinum habere iubet tota, quam PAULUS inter ADAMUM et CHRISTUM instituit, comparatio, quemadmodum CHRISTUS ab eo 1 *Cor.* XV: 45 *ὁ ἔσχατος 'Αδάμ* dicitur et Rabbinorum scripta eum *postremum* ADAMUM appellant. Recte igitur sic iudicant FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, REICHIUS, PHILIPPUS, MEIIERUS et omnes propemodum interpretes. Vocabulum *τύπος*, quamquam varias habet notiones, quas GATAKERUS [1]) docte exposuit, nullam parit difficultatem. Hoc loco ei sine dubio respondet Latinum *imago;* nec tamen plane idem significat ac Graecum *εἰκών*, quo HESYCHIUS illud explicat, sed *imaginem Divinitus constitutam*, quod satis multos fugisse REICHIUS aliique monent. Tertium autem comparationis non, ut cum AUGUSTINO haud pauci sumserunt, in *dissimilitudine* cernitur, sed, quae potestas vocabuli *τύπος* propria est, in *similitudine*, qua alter *τύπος*, alter *ἀντίτυπος* sit, quemadmodum Baptismi ritus 1 *Pet.* III: 21 *ἀντίτυπον* vocatur ratione habita liberationis NOACHI e diluvio aquarum [2]). Ad *dissimili-*

---

[1]) *Advers. Miscell.* cap. IV. p. 434.

[2]) Inverso ordine sacra terrestria *Hebr.* IX: 24 dicuntur *ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν*, sed ibi quoque *similitudinis* ratio habetur, non *dissimilitudinis*, ut apud GREGORIUM *Naz.*, quem SUICERUS in *Thes.* v. *ἀντίτυπον* reprehendit, *Orat.* XLV. cap. 22. Tom. I. p. 863. *Bened.* ubi serpens aenea dicitur *οὐχ ὡς τύπος τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν παθόντος, 'αλλ' ὡς ἀντίτυπος.*

tudinem vs. 15 demum transitum faciunt verba: ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα cet. Quatenus vero ADAMUM CHRISTI imaginem Divinitus constitutam haberet, Apostolus non enunciavit, similitudinem, ut ait KREHLIUS, lectori quaerendam relinquens. Et ad totam quidem ratiocinationem praecedentem attendendum videtur, ut mentem eius inde explicemus. Sed hoc ut recte fiat, animadvertere etiam debemus, eum scripsisse: ὅς ἐστι, non vero ὅς ἦν τύπος τοῦ μέλλοντος. Itaque sibi voluit: *qui in Literis Sacris imago est*, seu: *in quo cernimus imaginem*. Genitivus autem non significat: *qui aliquando futurus est*, ut cum FRITZSCHIO et WETTIO nonnulli contenderunt, sed: *qui inde ab* ADAMO *futurus erat*, quam BEZAE interpretationem multi probarunt, etiam PALMIUS, HODGIUS, VINKIUS, TURNERUS, BISPINGIUS, MEIIERUS. Iam quum haec, ut supra vidimus, orationem vs. 12, quasi Protasin contineat Apodosi carentem, non absolvant, adscripta sunt ad ratiocinationem vs. 13 et 14 praecedentem ita concludendam, ut simul lectores ad CHRISTUM reducantur. Viam, quam CHRYSOSTOMUS iam ingressus est, persequemur iis explicandis: *qui, morte peccantibus afferenda, imago Divinitus constituta* CHRISTI *est, inde ab* ADAMO *venturi, ut vitam afferret.* Si vero negligentiae sermonis a festinatione profectae ita succurrere volumus, ut implicitam, quam REICHIUS dicit, conclusionem faciamus explicatam, sensus huc redibit: *Ergo* ADAMUS, *decreto Divino, iis, qui peccaverant, auctor mortis fuit atque sic in eo cernimus imaginem* CHRISTI, *quippe qui credentibus futurus erat auctor vitae.*

Vers. 15.

Ab ADAMI et CHRISTI similitudine ad eorum dissimilitudinem transgressus, hanc PAULUS ita explicat, ut illa simul illustretur. Verba, a quibus incipit, haec sunt: *Ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα*, quae et cum HOMBERGKIO aliisque, a WOLFIO et MEIERO reprehensis, in interrogationem convertere, et cum CAMERONE Parentheseos notis includere non licet, ne proxime sequentibus vis inferatur et tollatur orationis perpetuitas. Neque ea, ut KREHLIO visum est, toti, quae vs. 15—21 legitur, disputationi summam praemittere, recte iam inde arguit MAIERUS, quod in vs. 16 eiusmodi effatum cetera praecedit. Imo Antithesin continent, antiquioris et recentioris memoriae eventa, priusquam enucleatius exponantur, attingentem. Illa autem popularis est, non philosopha vel ad scholae diligentiam exacta. Sed studiose PAULUS oblique opposita *παράπτωμα* et *χάρισμα* coniunxit, ut lectores *aeque ad mortem atque ad vitam ab origine repetendam* ducerentur. Breviloquentiae Grammaticae succurritur intelligendo Verbo *ἐστί* [1]. Si vero Logicae rationem habere volumus, oratio sic supplenda est: *Ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα τοῦ τύπου, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα τοῦ ἀντιτύπου (τοῦ μέλλοντος) ἐστί.* Quod Latine interpretor: *Sed longe abest, ut, quale peccatum* ADAMI *est, tale etiam beneficium* CHRISTI *sit.*

Discrimen breviter propositum explicant connexa: *εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέ-*

---

[1]) Cff. dicta in *Comment.* ad 1 *Cor.* XV: 46.

θανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε. Protasis intellectu quidem facilior est quam Apodosis, at nonnulla tamen continet, quae interpretatione indigeant. Primum exploretur oportet, quid sibi velit formula *οἱ πολλοί*. Nemini incognitum est, quod in *Thes.* monet STEPHANUS, eam apud Graecos nunc *plerosque* significare, nunc *vulgus*. Hoc imitati sunt Patres Ecclesiae, etiam IUSTINUS *Mart.* [1]) scribendo: *Οἱ πάνυ τῆς* [2]) *τῶν εἰδώλων θρησκείας νόμον τοῖς πολλοῖς παρέδοσαν.* Temere vero nonnulli [3]) hanc notionem in N. etiam T. reperiri putarunt. Ibi enim, et quidem *Matth.* XXIV: 12. 1 *Cor.* X: 53. 2 *Cor.* II: 17, formula *οἱ πολλοί* significat: *ii, qui multi sunt; Rom.* XII: 5 et 1 *Cor.* X: 17, ubi connexis *ἓν σῶμα* opposita est: *qui multi sumus.* Atque hanc explicationem non respuunt quam plurimi loci, in quibus VV. DD. formulae illi notionem *plerorumque* aut *vulgi* vindicare solent, ut apud ISOCRATEM [4]), ubi Graecis: *δεινὸν ἡγούμενοι τοὺς πολλοὺς ὑπὸ τοῖς ὀλίγοις εἶναι* nihil alieni obtrudemus Latine scribendo: *acriter improbantes, eos, qui multi sint, iis, qui pauci sint, subiectos esse.* Eam autem et hoc loco, et vs. 19 non aliter accipiendam

---

[1]) *De Monarch.* cap. 1.

[2]) Sic recte edidit OTTO pro antea recepto *τάς*, quod MARANUS etiam propagaverat.

[3]) PAULUS, *Phil. krit. und hist. Comment. über das N. T.* Tom. II. p. 283. Repetiit illud V. D. in *Exeg. Handbuch über die drei ersten Evangelien.* Tom. II. p. 198. Nec multo aliter GREVIUS, ut intellexi e libro: *Bibl. van Theol. Letterk.* Tom. VIII. p. 880.

[4]) *Panegyr.* cap. 30.

esse, ex Antithesi τοῦ ἑνός et τῶν πολλῶν apparet. Haec ipsa vero Antithesis iam labefactat commentum ORIGENIS multorumque post eum interpretum, utrumque πολλοί et πάντες ab Apostolo in ADAMI et CHRISTI comparatione permutatum esse. Nec BENGELIUM, quum Articulum οἱ vim relativam habere contenderet, verum dixisse, loci arguunt supra excitati, *Rom.* XII: 5 et 1 *Cor.* X: 17, quorum in altero Masculinum πάντες non exstat, in altero illud non praecedit, sed, et cum eodem quidem Articulo οἱ, demum sequitur. Nihil quoque ab iis agitur, qui ad loquendi usum provocant. Quamvis enim lubens agnosco, locos esse, in quibus πολλοί et πάντες plane iidem sint, falsissimum tamen est, vocabulo *multi* interdum *omnes* significari [1]). Hîc autem non intelligo, quomodo οἱ πολλοί significare possint πάντας, nisi formulae illi in Protasi, invita interpretandi lege, amplior notio quam in Apodosi tribuatur. Sed de industria PAULUS, sibi ab usu vocabuli πάντες cavens, in altera scripsit οἱ πολλοί, in altera τοὺς πολλούς, quoniam duas hominum recensebat classes numero maxime dispares. Idem discrimen vs. 19 ante oculos habuit. Utroque in loco nihil aliud proposuit, quam *multitudinem hominum uni* ADAMO *mortem, uni* CHRISTO *vitam debentium.* Quod si verum est, sine dubio falluntur, qui cum KÖLLNERO *omnes* tantum memorari putant, *qui ab* ADAMO *usque ad* MOSEM *vixerint.* Sed minus recte quoque plerique interpretes *totum genus humanum* intelligi iubent. Graeca Latine

---

[1]) Vehementer erravit MAIUS ad CICER. *de Republ.* Lib. I. cap. 36. Tom. I. p. 315 VILLEM. AUGUSTINUM *contra Iulian.* Lib. VI. cap. 80 et *de civit. Dei* Lib. XX. cap. 23 hoc perdocte demonstrasse aiens. Cff. FRITZSCHIUS, REICHIUS aliique ad h. l.

reddi possunt: *Si enim constat, uti constat, unius hominis peccato* [1]) *factum esse, ut hominum multitudo moreretur.* Per Particulam enim *εἰ*, quae orationi formam dat Hypotheticam, auctor e concessis ratiocinari perrexit. Verbo *ἀπέθανον mortem naturalem* denotavit, quam vs. 12 denotari vidimus. Ibidem quoque satis disputatum videtur ad dirimendam quaestionem, quomodo connexa *τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι* ab hoc verbo pendeant. Minus recte igitur MEIIERUS reprehendit EWALDUM aliosque interpretes, qui se PAULI in mentem penetrasse existimant sumendo mortem, cui ADAMI peccatum homines subiectos fecisset, quemque *suis* sibi *peccatis* contraxisse. Ita etiam OECUMENIUS aiens: *Ὁ θάνατος συνεργίαν ἔσχε καὶ τὴν ἡμῶν ἁπάντων ἁμαρτίαν.* Quo neutiquam hunc in locum plus importatur, quam ipsa verba ferant. Nam ex hac ipsa orationis Protasi satis perspicuum est, Apostolum, proxima mortis causa praetermissa, solam remotiorem seu primam notasse, quod extrema tantum eorum, quae vs. 12 proposuisset, repeteret lineamenta. Cur vero longus sim? Si concedendum est in Apodosi beneficium describi, cuius participes tantum facti sint homines *per fidem*, res ipsa loquitur in Protasi mortem intelligendam esse, in quam *suis* ipsi *peccatis* ruerint.

In Apodosi verba *πολλῷ μᾶλλον*, quum respondeant Particulae *εἰ* in Protasi, coniungenda et exponenda sunt: *multo magis constat* vel *multo certius est*, ut praeter

---

[1]) Cur pro Graeco *παραπτώματι*, quod proprie *lapsum* significat, scripserim *peccato*, vide ad Cap. IV: 25. Dativus autem instrumentalis est et quidem explicandus: *peccato ansam praebente.* Similiter infra vs. 17. Cff. WINER. p. 245. [Ed. VI. p. 193.] MATTH. Tom. II. p. 895.

THOLUCKIUM, FRITZSCHIUM, STUARTUM, WETTIUM, PHILIPPUM, EWALDUM, MEIIERUM iam vidit GROTIUS, diu ante GROTIUM CHRYSOSTOMUS, qui ait: *Τὸ μὲν γὰρ ἕτερον δι' ἕτερον κολάζεσθαι, οὐ σφόδρα δοκεῖ λόγον ἔχειν· τὸ δὲ ἕτερον δι' ἕτερον σώζεσθαι, καὶ πρεπωδέστερον μᾶλλον καὶ εὐλογώτερον.* Eandem interpretationem sibi haec verba postulant, ubicunque auctor iis usus est ad alteram ratiocinationis partem exordiendam, nempe vs. 10, 17. 2 *Cor.* III: 11, item 9, ubi etiam sequitur *περισσεύει*. Hunc vero loquendi usum negligunt BOSVELDIUS aliique a MEIIERO memorati, qui, Adverbium *μᾶλλον* cum Verbo *ἐπερίσσευσε* connectentes, PAULUM *maiorem abundantiam* praedicantem faciunt. Quod ad defendendum ROTHIUS argutius disputasse videtur. Recte vero ille contra FRITZSCHIUM aliosque probavit, vocabulum *δωρεά*, quamvis Articulus *ἡ* ei non adiectus sit, sine culpa cum sequentibus *ἐν χάριτι* coniungi posse. An haec structura fieri debeat, alia quaestio est. RÜCKERTUS, qui prius aientem ediderat sententiam, postea edidit negantem. Ab utraque autem parte varia afferuntur argumenta, quorum si unumquodque suo momento ponderare vellem, nae lectores diutius detinendi essent. Sed quidni brevitati consulam? Quaestio enim, nisi fallor, eo dirimitur, quod verba *εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε*, nisi aliis, et quidem praecedentibus: *ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, Ἰησοῦ Χριστοῦ*, quippe connexis, definiuntur, tam vaga sunt, ut remotioribus: *οἱ πολλοὶ ἀπέθανον* prorsus opponi nequeant. Ergo ut Antithesis et per eam tota ratiocinatio salva sit, una comprehendantur necesse est *ἐν χάριτι --- ἐπερίσσευσε*. Iam Nominativos, qui Subiectum orationis continent, *ἡ χάρις* et *ἡ δωρεά*

sic distinguendos esse, ut altero *causâ*, altero *effectus* denotetur, arguit etiam utriusque distinctio vs. 17. Aliis modis haec vocabula composita sunt *Eph.* III: 7 et in locis a WETSTENIO allatis. Dativum autem *χάριτι*, qui sequitur, Articulo carere puto, quod non in Abstracto significatur *gratia*, sed in Concreto *gratificatio*, sermone vernaculo *genadegifte*. Ita haec duo *ἡ χάρις* et *χάρις*, si eadem in orationis serie exstant, uti *Ioann.* I: 16, 17. 1 *Cor.* XV: 10. *Hebr.* IV: 16, distinguenda sunt, quamquam alibi *gratificatio* etiam *ἡ χάρις* vocatur. Hinc apparet, mihi placere non posse hanc Genitivi *τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου*, *Ἰησοῦ Χριστοῦ* explicationem, ut *gratiam* denotet *ipsius* IESU CHRISTI, qua ille permotus sit ad Dei gratiam et beneficium, secundum eius decretum, sacrificio mortis suae hominibus procuranda. Verbis utor MEIJERI, sed quocum summatim FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS aliique VV. DD. consentiunt. Dissentiendi vero argumentum mihi etiam ministrat Articulus *τῇ* vocabulo *χάριτι* subiectus, cuius vim BEZA ostendit scribendo: „per gratiam, quae *est* unius hominis," quod praeter alios secutus est TURNERUS. Nimirum plane supervacaneus est, si alter Genitivus *τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου* eodem modo a Dativo *χάριτι* pendet, atque alter *τοῦ Θεοῦ* a Nominativo *χάρις*. Contra huic orationi bene insertus est, si singularis Dei gratificatio, quam in CHRISTO praestitit, eo sic definitur, ut ab omni alia eius distinguatur gratificatione. Similiter eum ad vocabulum praecedens definiendum alibi inservire vidimus ad Cap. I: 15, 18. II: 14, 27. III: 24. IV: 11, 24. V: 5. Plura exempla afferre nihil attinet [1]).

---

[1]) Nihil in N. T. frequentius est, sed apud Graecos quoque exempla

Ergo Dativus *χάριτι gratificationem Dei* seu *Deo debitam* proponit, quemadmodum Nominativus *δωρεά donum Divinum.* Ita et in locis supra memoratis *Ioann.* I: 16 et *Hebr.* IV: 16, item *Rom.* I: 5. IV: 16. XI: 6 *Dei beneficium*, ut oratio contexta docet, *χάρις* dicitur. Huic autem interpretationi cave obstare putes sequentia: *τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Haud ignoro quidem, multos esse VV. DD. qui sibi persuasum habeant, verbis illis vim inferri, nisi exponantur: *cuius auctor unus homo*, IESUS CHRISTUS, *est.* Et huic suo iudicio fidem facere conantur ad varios locos provocando, in quibus Genitivum *Ἰησοῦ Χριστοῦ* similemve, a vocabulo *χάρις* pendentem, *gratiae* seu *beneficii auctorem* significari asseverant. Atqui nullus eorum cum hoc loco congruit praeter *Gal.* I: 6; ibi vero suadent circumiecta, ut media *ἐν χάριτι Χριστοῦ* interpretemur: *ad gratiam suam vos vocans, quae in* CHRISTO *est.* In plerisque, uti *Rom.* XVI: 20, quidni orationis esse potest sensus: *gratia illa Dei, quae est in Domino nostro*, IESU CHRISTO? Sed etiamsi iis insint nonnulli, in quibus *ἡ χάρις* cum Articulo *Genitivum auctoris* post se habeat, nonne hîc tamen, ubi legimus: *ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνός* cet. alia Genitivi potestas est? Nonne inepta ratiocinatio est, quae a laudatione gratiae Divinae progreditur ad aliam gratiam aut gratificationem, IESU CHRISTI nempe, ab ea discernendam? Nonne eum gratiae aut gratificationis *auctorem* habere vetat appellatio *τοῦ ἑνὸς*, non *Υἱοῦ*

---

non frustra quaeruntur. Cff. KÜHNER. Tom. II. p. 138. MADVIG. p. 12. ROTHIUS p. 69 verba affert HERODOTI: *Μιλτιάδην — — ἐδίωξαν τυραννίδος τῆς ἐν Χερσονήσῳ.*

τοῦ Θεοῦ, sed *ἀνθρώπου?* Hoc vocabulo Apostolus usus est, quoniam vs. 12 ADAMUM eo insigniverat, quemadmodum ei per Epexegesin adscripsit *Ἰησοῦ Χριστοῦ*, ut nomen ederet respondens nomini *Ἀδάμ* vs. 14 praecedenti. Sed intelligendam esse *gratificationem Dei*, *quae in communione* IESU CHRISTI *cernitur*, evidenter probat locus similis, 2 *Tim.* II: 1, in quo PAULUS mentem suam sic explicat: *ἐνδυναμοῦ ἐν τῇ χάριτι τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, i. e. *corroborare in gratia Dei*, *quae est* (cuius participes fimus) *in communione* CHRISTI IESU. Nec minus clare, ut 2 *Tim.* I: 9 aliosque locos mittamus, mentem eius 1 *Cor.* I: 4 explicatam reperimus verbis: *τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ τῇ δοθείσῃ ὑμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*. Quae quum continuo sequantur frequentatam formulam: *χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ*, indicio nobis sunt, quomodo hanc formulam vs. 3 ct alibi interpretari debeamus. Itaque Apodosin sibi velle putaverim: *multo certius est*, *gratiam Dei eiusque donum*, *gratificatione illa*, *qua in unius hominis*, IESU CHRISTI, *communione vitae participes fiamus*, *hominum in multitudinem abundasse.* Quemadmodum enim *ἡ δωρεά* vs. 17 exponitur *ἡ δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης*, sic sequentibus *vita* e dono illo proficiscens, quippe quae sola *morti* in Protasi memoratae opponi potest, denotatur, uti post THEODORETUM multosque alios monuit PHILIPPUS. Hic vero V. D. quum aiat, Verbo *ἐπερίσσευσε* non significari multitudinem beneficii *participem factam*, sed quae eius *particeps fieri posset* seu cui illud *paratum esset*, non animadvertit, Antithesin vi sua omnino privari, nisi multitudini, *quae mortem subiit*, multitudo opponatur *ad vitae usum perducta*, cuius causa PAULUS, ut supra

vidimus, non scripsit *πάντες* et *εἰς πάντας*, sed *οἱ πολλοί* et *εἰς τοὺς πολλούς.* Ceterum quam accommodatum ad loquendi usum Apostolo familiarem sit Verbo *ἐπερίσσευσε* subiicere connexa: *ἐν χάριτι – Χριστοῦ*, ostendit copia locorum, in quibus illud Praepositionem *ἐν* cum Dativo post se habet [1]), cuius generis sunt Cap. III: 7 et *Eph.* I: 8, ubi ei etiam Praepositio *εἰς* cum Accusativo adiuncta est.

Vers. 16.

Dissimili PAULUS aliud dissimile adiungit, illud eodem modo ac vs. 15 primum attingens, tum exponens. Attingitur verbis: *Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα.* Auctori enim debetur Participium *ἁμαρτήσαντος*, non vero Substantivum *ἁμαρτήματος*, quod ab antiquis aliquot librariis et interpretibus profectum est, sed manum adulterantem tam clare prodit, ut recentiori memoria paucissimi tantum fuerint, qui illud cum BOSVELDIO et REITHMAYRO probarent. Nusquam tamen VV. DD. acrius quam hoc vs. et vs. 18 dicendi brevitatem queruntur. Et sane talis tantaque ea est, ut mens Apostoli e verbis explicari nequeat absque coniectando et divinando, quid ille reticuerit. ERASMUS, ESTIUS, GROTIUS, KOPPIUS, BISPINGIUS desiderari mo-

---

[1]) *Rom.* XV: 13. 1 *Cor.* XV: 58. 2 *Cor.* III: 9. (secundum Edit. Rec.) Cap. VIII: 7. *Phil.* I: 9, 26. Nusquam Praepositio *ἐν* cum Dativo aliunde pendet quam a Verbo *περισσεύειν*, si excipimus 2 *Cor.* IX: 8; ibi vero non pendet a Nomine quodam, sed, ut vulgaris fert interpretatio, a Participio *ἔχοντες*.

nuere: ὁ θάνατος εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε vel simile; BENGELIUS et KÖLLNERUS: κρῖμα; REICHIUS et STUARTUS: κατάκριμα. Sed quaenam singulis his sententiis obstent, satis ostenderunt ROTHIUS, RÜCKERTUS, FRITZSCHIUS, WETTIUS. Rursus WETTIUS erravit, quum a vero prope abfuisse diceret BEZAM, qui post Particulam ὡς intelligi iussisset Articulum τό. Incredibile enim est, Articulum illum, si eo carere non posset oratio, omissum esse. Nec FRITZSCHIO largior, PAULUM sibi voluisse: καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ παράπτωμα ἐγένετο, οὕτω καὶ τὸ δώρημά ἐστι. Nam, ut plura mittam a RÜCKERTO iam allata, ab hoc loco, ubi alius generis discrimen quam vs. 15 proponitur, abhorret repetitio eiusdem: τὸ παράπτωμα, quod ibi priori in membro exstat. Deinde haud scio, an repetendis Particulis οὕτω καί haec orationis pars invito auctore in Protasin et Apodosin dividatur. Quod si verum est, simul etiam intelligi nequeunt verba ἐγένετο et ἐστί, sed relegato illo, hoc solum ferri et vocabulo δώρημα subiici debet, ut ROTHIO, THOLUCKIO, MEIERO, etiam VINKIO placuit. Et sane nihil reperi simplicitate sua magis commendatum. Quare hanc sententiam ceteris omnibus praeferens Graeca Latine interpretor: *Et non quasi per unum* (aliquem), *qui peccavit, donatio est*, i. e. *Neque id, quod donatur, perinde est, quasi per unum* (aliquem), *qui peccaverit, existat.* Ad sensum autem horum Verborum explicandum sequentia inserviunt. Tantum hîc iam apparet, nequidquam tempus perdidisse, qui cum FLATTO [1]), STUARTO aliis-

---

[1]) *Annot. ad loca quaed. Ep. P. ad Rom.* in *Opusc. Acad.* ed. a SÜSKINDIO. p. 379. Cff. *Vorlesungen* cet. ad h. l.

que Particulae *καί* notionem insolentem *nimirum*, *nam* aut *praeterea* vindicare conarentur. Particulam vero *ὡς* respondere Latinae *quasi* non solum produnt connexa *δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος*, sed sumendum etiam est, si huius membri tollitur divisio in Protasin et Apodosin. Quapropter contrariam in partem ad principium versus 15 quippe dissimile provocare nihil attinet. Et eiusdem notionis huic vocabulo tribuendae exempla reperiuntur *Act.* III: 12. XXVII: 30. *Rom.* IV: 17. 1 *Cor.* IV: 18. *Col.* II: 20. *Hebr.* XI: 27, quibus in locis illud itidem Participium praecedit aeque atque *Act.* XXVIII: 19, ubi exstat *οὐχ ὡς*. Ita legimus quoque apud PLATONEM [1]): *οἶσθ' ὅτι ἐν τούτοις μὲν ὡς διδακτοῦ οὔσης τῆς ἀρετῆς λέγει*, item [2]): *Μῦθόν τινα ἕκαστος φαίνεταί μοι διηγεῖσθαι παισὶν ὡς οὖσιν ἡμῖν*, quod MADVIGIUS [3]) interpretatur: *quasi pueri simus.*

Iam in posteriori membro PAULUS id, quod attigit in priori, exponit verbis, quae ipsa multum laboris non pariunt: *Τὸ μὲν γὰρ κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα· τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα.* Adiectivum *ἑνός* Masculini generis esse, quod respondeat proxime praecedenti, hac nostra aetate plerorumque interpretum sententia est. Neutro uti volens auctor in Protasi scripturus fuisse videtur: *ἐξ ἑνὸς παραπτώματος*, in Apodosi tantum *ἐκ πολλῶν*. Quod contra RÜCKERTUM disputans ROTHIUS quidem negavit, nec tamen argumento ullius ponderis refutavit. Iure

---

[1]) *Meno.* p. 95.

[2]) *Sophist.* p. 242.

[3]) P. 193. Cff. BERNH. p. 480, 481. KÜHNER. Tom. II. p. 373 sqq. ZEUN. *ad Vig.* p. 559, 560, ubi plura.

igitur suo cum RÜCKERTO, FRITZSCHIUS, WETTIUS, MAIERUS, MEIIERUS, alii, inter nostrates etiam VISSERINGIUS et MEYBOOMIUS, a multis dissentiunt, qui, AUGUSTINO, ut ERASMUS monstravit, variis in locis praeeunte, intelligi volunt παραπτώματος. Nihil autem impedit, quominus haec duo: ἐξ ἑνός scil. ἁμαρτήσαντος et ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων sibi invicem opponi possint. Neutrum enim eorum ita comparatum est, ut valde improbabilem sequi cogamur sententiam, quam nonnullis placuisse miror, Praepositionem ἐκ aliter in Protasi quam in Apodosi accipiendam esse. Nec tamen FRITZSCHIUM, quum eam in utraque Latinae *per* respondere contenderet, fidelem se praestitisse ducem, videbimus animadvertendo interpretationem stare non posse, quae PAULUM, et sine causa Praepositiones διὰ et ἐκ permutasse sumat, et dicentem faciat, *per multa delicta* τὸ δικαίωμα exstitisse, quod plane absurdum est. Atqui res in vado est, si Praepositionem ἐκ bis usurpatam esse arbitramur ad notionem *ansam dandi* enunciandam. Eandem notionem habet *Matth.* XXVII: 7. *Luc.* XVI: 9. *Act.* XIX: 25. *Rom.* X: 17. 2 *Cor.* I: 11 al. [1]). Vocabula κρῖμα et κατάκριμα aeque ac supra [2]) distinguenda sunt, ut alterum significet *sententiam iudicis* vel *iudicium*, alterum *condemnationem*. Postremum δικαίωμα a me impetrare non possum, ut hoc vs. aliter accipiam quam vs. 18. Id

---

[1]) MEIIERUS recte laudat KÜHNER. Tom. II. p. 272 et WINER. p. 440, 441. Cff. ALT. p. 186. MATTH. Tom. II. p. 1334. MADVIG. p. 45, 46, et exempla proposita a MAIERO. Nec dissimile videtur quod apud APOLLON. *Rhod. Argonaut.* Lib. III. vs. 345 legimus de nave: ἐξ ἀνέμοιο θέει.

[2]) Cff. disputata ad Cap. II: 1, 3

vero cavebimus sequendo MEIIERO, qui intelligi iubet *iudicium probans* aliasque interpretandi rationes refellit. Quamvis autem praesto non sunt loci similes hanc notionem vocabulo illi vindicantes, satis tamen confirmatur praecedente *κατάκριμα*, cui *δικαίωμα* oppositum est. Iam Protasi RÜCKERTUS Aoristum *ἐγένετο*, Apodosi Praesens *γίνεται* adiicit; utrique Aoristum *ἐγένετο* WETTIUS, Praesens *ἐστί* ROTHIUS. Et hoc quidem illis praeferendum videtur, utpote congruens orationi ita formatae, ut una cum praesentibus praeterita tanquam eadem in tabella repraesentet. Ergo Graeca Latine interpretanda videntur: *nam unus quidem ansam dedit sententiae iudicis tendenti in iudicium condemnans, sed multa peccata ansam dederunt beneficio gratiae tendenti in iudicium probans.* In Protasi vocabulum *κρῖμα* sententiam spectare videtur, quo ADAMUS (*Gen.* III) morti subiectus est, atque haec, quum simul decretum esset omnes homines peccato obnoxios mortis condemnans, tetendisse dicitur *εἰς κατάκριμα*. In Apodosi verbis *ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων* malo, *unius* ADAMI lapsum secuto, bonum, quod *multa peccata* secutum est, opponitur: ibi autem *χάρισμα* gratiae esse videtur annunciatio per CHRISTUM impetrandae, *δικαίωμα* effectus eius in omnes credentes, quo a Deo probentur. Plura ad mentem auctoris explicandam adscribere nolo, ne praemature occupentur, quae ipsa explicat oratio gradatim procedens. Perperam igitur nonnulli, quorum testimonio REICHIUS aures magis praebuit quam par erat, huic versui vocabulum *ζωῆς* adiecerunt.

Vers. 17.

Eodem ratiocinandi genere, quo vs. 15 usus est, PAULUS vs. 17 causam suam persequitur, secundum Editionem Receptam scribens: *Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς, πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Sed quaestio est, an haec ita ab auctore profecta sint. In Apodosi levioris ponderis sunt testimonia librorum, qui aut verba *τῆς δωρεᾶς*, aut sequentia *τῆς δικαιοσύνης* omittunt, aut inter haec duo Particulam *καί* orationi inserunt. In Protasi vero gravior disputandi causa est, utrum genuinum sit receptum *τῷ τοῦ ἑνός*, an aliud quid pro eo substitui debeat. Hactenus praeeunte BEZA cum TISCHENDORFIO consentiunt KÖLLNERUS, ROTHIUS, RÜCKERTUS, HOFMANNUS, MEIERUS, ut pro Genitivo *ἑνός* substituendum censeant Dativum *ἑνί*. Nec tamen hic maiori veterum auctoritate nititur quam ille, cui praeter Patres Graecos, etiam OECUMENIUM, fidem faciunt Codd. praestantissimi B et C, item Syrus et Vulgatus Lat. Et receptum altero propterea probabilius est, quod a librariis antiquis mutatum videtur, ne idem vocabulum bis hac in Protasi exstaret. Haud temere igitur recentiori memoria cum plerisque editoribus et interpretibus Genitivum Dativo praetulerunt REICHIUS, FRITZSCHIUS, WETTIUS, PHILIPPUS, BISPINGIUS. Dissimiles vero sunt loci, quibus horum nonnulli aliique probare conati sunt, eiusdem dictionis repetitionem apud veteres non inusitatam esse. Sed opinione quoque falluntur, qui

hanc orationem repetitione vel Tautologia laborare putant. Nam circumiecta verbis: ὁ θάνατος ἐβασίλευσε, sive ante vocabulum παραπτώματι Genitivus ἑνός, seu Dativus ἑνί legitur, respondent praecedentibus vs. 16: δι' ἑνός et ἐξ ἑνός et eodem modo distinguenda sunt. Itaque Protasis hanc sibi postulat explicationem: *Si enim constat, unius* ADAMI *peccatum morti ansam dedisse* [1]), *ut inter homines regnaret*, seu *homines sibi subiiceret*, *per unum illum.* Hoc autem probato sua sponte cadit ROTHII sententia, a WETTIO quoque refutata, vs. 17 cum 15 connectendum esse, vs. 16 in Parenthesi posito. Sed WETTIO etiam, MAIERO aliisque assentiendum non esse, ubi tertium inter ADAMUM et CHRISTUM discrimen hic ab Apostolo proponi aiant, ex orationis per Particulam γάρ cum praecedente connexae forma tam perspicue iam intelligimus, ut plura disputare non opus sit. Sine dubio in viam ducit interpretatio plerorumque, qui auctorem id egisse monent, ut confirmaret quae scripsisset supra. Mihi vero comparationem vs. 16 factam nunc ita confirmasse videtur, ut oratio, et in Protasi, et in Apodosi crescat. In Protasi enim ad *mortem* vs. 12, 14, 15 iam memoratam rediens totidem dicit verbis, *eam* PER UNUM ADAMUM *inter homines regnasse*: in Apodosi huic mortis propagationi *vitae*, nondum memoratae, sed inde a vs. 12 spectatae, propagationem per unum IESUM CHRISTUM opponit. Ne autem hinc exsculpatur placitum in auctoris mentem incurrens, probe animadvertendum est, eum utroque in membro διὰ τοῦ ἑνός, neutiquam vero διὰ τὸν ἕνα scripsisse.

---

[1]) Cff. notata de vocabulo παραπτώματι vs. 15, item de formula ἐξ ἑνός vs. 16.

In Apodosi orationis Subiectum alius generis quam in Protasi est, unde plura exorta sunt dissimilia. Quidni vero auctor illam ita ordinavit, ut huic accommodata esset? Quidni igitur scripsit: *πολλῷ μᾶλλον τῇ περισσείᾳ τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης ἡ ζωὴ βασιλεύσει διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ?* Sic structuram verborum, ut utroque in membro eadem sit, conformandam esse ostendit ROTHIUS, quocum multi interpretes in dissimilitudinis causam inquisiverunt, etiam CALVINUS, MUSCULUS, ESTIUS aliique antiquioris memoriae. Et bene animadverterunt VV. DD. hominem, quum mortis imperium a vitae imperio adeo differat, ut altera sibi nolentem subiiciat, altera volentem ducat, in Protasi quidem proponi debuisse *patientem*, sed in Apodosi *agentem*. Deinde si Dativum *τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι* Dativus *τῇ περισσείᾳ τῆς χάριτος* cet. exciperet, absurdam auctor commentus esset Antithesin, quandoquidem gratia Divina omnis *vitae fons et principium* est, ADAMI peccatum *morti* tantum *regnandi ansam dedit.* Praeterea vero, ne vitae imperium, quemadmodum imperium mortis, ad *omnes homines* pertinere censeretur, praecedentibus *ὁ θάνατος ἐβασίλευσε*, i. e. ut e vs. 12 et 14 intelligitur, *mors omnes homines sibi subiecit*, non opposuit: *τῇ περισσείᾳ — δικαιοσύνης ἡ ζωὴ βασιλεύσει*, sed: *οἱ τὴν περισσείαν — λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι*, quo *τὸ βασιλεύειν ἐν ζωῇ* finibus circumscribitur et ad eosdem refertur, de quibus vs. 15 legimus: *εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε*. In verbis: *οἱ τὴν περισσείαν — λαμβάνοντες* imitationem cerni praecedentium: *ἡ χάρις — ἐπερίσσευσε*, nemo unus negabit. Constat itidem, per vocabula *χάριτος* et *δωρεᾶς causam* et *effectum* enunciari. Nec dubitandum

est, quin Genitivo τῆς δωρεᾶς alter τῆς δικαιοσύνης adiectus sit ad naturam et indolem doni in luce collocandam. Et coniuncta illa respondent praecedenti δικαίωμα vs. 16. Recte autem REICHIUS totam huius membri ratiocinationem verbis οἱ τὴν περισσείαν – λαμβάνοντες tanquam fundamento niti monet. Comparandi vero vim hinc alienam, ut notavit RÜCKERTUS, vocabulo περισσείαν affingens, PAULUM laudantem facit gratiam seu favorem Dei *severitate maiorem.* Rursus vereor, ut RÜCKERTUS auctoris in mentem penitus introspexerit, quum plerosque sequens interpretes connexa τὴν περισσείαν τῆς χάριτος nihil aliud significare vellet quam *abundantiam* seu *insignem magnitudinem gratiae* vel *favoris.* Nimirum Participium λαμβάνοντες, a quo Accusativus περισσείαν pendet, tale est, ut *ipsius* et *gratiae* seu *favoris* et *doni* magis rationem haberi iubeat, quam *abundantiae* vel *magnitudinis* eius. Proinde hîc exstare videtur exemplum locorum, in quibus ex Hebraeorum more Substantivum pro Adiectivo positum est ad gravitatem Substantivi sequentis, utpote in oratione primarii, attollendam, uti Cap. VI: 4. VII: 6. 1 *Tim.* VI: 17 [1]). Et intelligenda quidem est *gratia donumque abundans*, ut VATABLUS, STEPHANUS, BEZA, GROTIUS iam interpretati sunt, recentiori aetate KREHLIUS aliique. Participium λαμβάνοντες BENGELIUS et Activam et Passivam notionem habere posse monet, sed utram utri hîc praeferret, distincte dicere neglexit. PHILIPPUS verba eius descripsisse videtur, ut hanc illi

---

[1]) Cf. WINER. p. 266. [Ed. VI. p. 210, 211]. Iam GLASSIUS. l. c. Tom. I. p. 23 sqq. hanc in classem retulit *Rom.* V: 17, sed exemplorum, quae coacervavit, pleraque hinc aliena sunt.

praestare significaret. Calculum vero adiicere noluit interpretibus, qui cum FRITZSCHIO formulam οἱ λαμβάνοντες Periphrasin Substantivi *acceptores* facere putant. Et sane, quamvis Participium praesens cum Articulo satis crebro sic explicandum est [1]), hîc tamen nullam reperi causam illius in Substantivum mutandi. Contra studiose Apostolum hoc Participio usum esse arbitror, ut ab *hominibus antiquioribus*, quibus gratia Divina per CHRISTUM nondum oblata esset, *aequales* suos distingueret. Activam autem *apprehendendi* notionem ei tribuendam esse, tam rei ipsius, quae proponitur, natura docet, quam connexum βασιλεύσουσι. Scita est annotatio BEZAE: "λαμβάνοντες, i. e. oblatam δεχόμενοι, Fidei videlicet manu." Similiter LUTHERUS, MELANCHTHON, GROTIUS, multi alii *fidei* actionem intelligunt. Et loquendi mihi favet usus, si formulam οἱ λαμβάνοντες interpretor: *qui apprehendunt.* Apud veteres enim praeeunte HOMERO [2]) Graecum λαμβάνειν saepissime ita usurpatur, ut Latinum *apprehendere*, vernaculum *aannemen*, ei respondeat. Ita in N. T. ubi ratio habetur rerum in sensus incurrentium, uti *Matth.* XXVI: 26. *Luc.* IX: 16. *Act.* IX: 25. 1 *Tim.* IV: 4, sed etiam, ut praeteream locos a ROTHIO ex Euang. Ioann. excitatos, *Gal.* III: 14. *Phil.* III: 12, ubi causa non plane dissimilis agitur. Itaque Apodosis sensum habere videtur huc redeuntem: *multo certius est, eos, qui abundantem gratiam Dei donumque, quo probi censeantur, apprehen-*

---

[1]) Exempla affert WINERUS p. 403, 404. [Ed. VI. p. 316, 317]. Quidni simillimum *Matth.* XVII: 24? Sed minus convenit *Hebr.* VII: 5, 9.

[2]) *Iliad.* XXIV. vs. 465, 478 al.

dant (seu *fide accipiant*), *vitae participes regnaturos esse per unum illum*, IESUM CHRISTUM. Recte FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, WETTIUS aliique se opponunt interpretibus, qui, neglecta *regnandi* notione, verba ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι explicant *vita beata fruentur*. Sed moveri potest quaestio, utrum regnandi munus, sectatoribus CHRISTI promissum, unice ad *vitam futuram*, an etiam ad *vitam praesentem* referendum sit. Alibi enim hac iam in terra regni Divini possessores et cum CHRISTO eius Principe imperii participes dicuntur, uti *Rom.* XIV: 17. *Col.* I: 13. 1 *Thess.* II: 12. *Hebr.* XII: 28. 1 *Pet.* II: 9. *Apoc.* I: 5. V: 10. Quod non incurrit in ea, quae exstant *Matth.* XIX: 28. *Luc.* XXII: 30. 2 *Tim.* II: 12 (huc non pertinent *Apoc.* XX: 4, 6. XXII: 5), item 1 *Cor.* VI: 2, 3, ubi cum Futuris κρινοῦσι et κρινοῦμεν Praesens κρίνεται permutatur et, uti ex adiunctis ἐν ὑμῖν apparet, *iudicium in facto positum* spectatur. Et nonne Verbum βασιλεύσουσι Futurum haberi potest *Logicum*, consequentiam eius significans, quod auctor in Protasi factum esse sumsit? Tale Futurum, quod tempus praesens non excludit, vs. 19 in verbo κατασταθήσονται cerni docet praemissum δίκαιοι. Similiter illud *Matth.* VII: 11. 2 *Cor.* III: 7, 8 coll. 9—11. *Hebr.* IX: 14 in altero membro ratiocinationis Hypotheticae sequitur, atque sic supra vs. 9, 10 [1]). Huic interpretationi quoque favent connexa ἐν ζωῇ. Alibi quidem ea nec cum Verbo βασιλεύειν, nec cum alio

---

[1]) Non longe hinc discrepant loci, quos comparavi supra ad Cap. III: 30. Hoc autem de loco WINERUS melius iudicavit in Ed. VI. p. 251, quam in Ed. V. p. 324. Sed cff. etiam ROST. p. 567. ZEUNIUS *ad Vig.* p. 212, imprimis HERMANN. ibid. p. 747.

iuncta reperi ideoque e loquendi usu cogere nequeo, quomodo intelligenda sint. Sed quum Articulo careant, mihi persuasum est, ea non comparari posse cum formulis *ἐν τῷ θανάτῳ* et *ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι*, quae vs. 21 et Cap. VI: 12 a Verbo *βασιλεύειν* pendent. Ergo frustra REITHMAYRUS aliique, ut iis *vitam futuram* ab hac vita distinguendam denotari efficiant, utuntur paulo inferius (vs. 21) sequentibus *εἰς ζωὴν αἰώνιον*, quae ne ipsa quidem alteram ab altera distinguunt. Utique si notio eorum ad Analogiae leges exigitur, cum KREHLIO explicanda sunt *ζῶντες*, i. e. *viventes* seu *vitae participes*, quod FRITZSCHIO etiam non displicuit. Ita primitiae vitae beatae, hac iam in terra hominibus Deo probatis destinatae, cum plena eius messe postea expectanda comprehenduntur. Nomen autem IESU CHRISTI, ADAMI nomine in Protasi suppresso, a PAULO Apodosi, ad conclusionis pondus augendum, adiectum esse, nemo est, qui ignoret.

Vers. 18.

Ad conclusionem PAULUM progredi apparet e principio orationis ita comparatae: *Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα· οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς.* Apud Graecos Particulas *ἄρα οὖν* praecedit Coniunctio *εἰ* vel alia. Si ab initio sententiae stant, scribendum est *ἆρα οὖν*, et sequitur interrogatio [1]). Hunc vero usum earum, ut conclusioni

---

[1]) Cff. HERMANN. *ad Viger.* p. 823, ubi provocat ad ea, quae

faciendae inserviant, recte BRUDERUS PAULI proprium dicit. Et in Epistolis eius, uti docent Cap. VII: 3. IX: 16, 18 aliique loci, haud secus ad unum aliquod dictum, cui subiectae sunt, quam ad ratiocinationem longioris seriei referri debent. Quare salvis illis quaestio esse potest, utrum conclusio totam spectet comparationem a vs. 12 exorsam, an eius tantum partem maiorem minoremve. Sed lectori molestus forem, si enarrare vellem, quaenam VV. DD. ad hanc quaestionem responderint. Mihi GROTII aliorumque, qui Apostolum ad vs. 12 rediisse putarunt, sententia sequenda videtur, ita tamen, ut eum vs. 18 et 19 explicasse existimem, quae verbis *διὰ τοῦτο ὥσπερ* involuta essent. Ergo vs. 18 e disputatis hanc facit conclusionem, omnibus hominibus patere gratiam Divinam, qua per IESUM CHRISTUM vitae fiant participes. Quomodo eam faciat, nunc videamus.

ERASMUM nemo increpabit dicentem orationem mutilam esse. GROTIUS tamen, quocum ROTHIUS aliique consentiunt, in Protasi nihil aliud ei addendum esse monet quam Aoristum *ἐγένετο*, Latine *res processit.* Eodem tendit Verbum *ἀπέβη*, quod cum WINERO [1]) illi praefert PHILIPPUS. Alterutrum MEIIERUS sufficere indicat. Iam vulgo Apodosis Praesens aut Futurum requirere censetur. Cur vero, si vs. 16 ROTHIO duce utroque in membro intelligimus verbum *ἐστί*, aliud huc arcessamus? Iterum enim auctor praesentia et fu-

---

alibi disputavit. Exempla locorum, in quibus Particulas *ἄρα οὖν* interrogatio sequitur, afferunt etiam MATTH. Tom. II. p. 1464. MADVIG. p. 233. Iam recte hac de re iudicavit BUDAEUS p. 1275.

[1]) L. c. p. 658.

tura una cum praeteritis tanquam in tabella ante oculos collocavit. Sed etiamsi uno Verbo orationi inserendo Grammaticae satisfactum sit, Logica tamen sibi plura postulat. Latet enim mens Apostoli, donec et in Protasi, et in Apodosi exhibeatur orationis Subiectum. Hoc autem e vs. 17 repeti nequit, nisi, cum PELAGIO *mortem* et *gratiam* intelligentes, Antithesin fingere velimus in PAULI, qui *morti vitam* opposuit, institutum incurrentem. Repetendum igitur est e vs. 16 proxime praecedente, ut in altero membro intelligamus *sententiam iudicis*, τὸ κρῖμα, in altero *beneficium gratiae*, τὸ χάρισμα. Quae quidem agendi ratio, a plerisque interpretibus probata, ut leviora sunt, quae ei obiiciuntur, ita sua se simplicitate commendat. Vocabulum ἑνός, duce Vulgato Lat. qui habet *per unius delictum*, Masculinum fecerunt multi a MEIJERO memorati, etiam GROTIUS, BENGELIUS, STUARTUS, HODGIUS, TERROTUS, SHUTTLEWORTHUS, BISPINGIUS. Atqui illud Neutrum esse, cum sequenti παραπτώματος coniungendum, DRUSIUS et BEZA iam inde probarunt, quod Articulo τοῦ caret. Recte igitur de eo inter se consenserunt REICHIUS, ROTHIUS, RÜCKERTUS, WETTIUS, MEIJERUS, tum REITHMAYRUS, MAIERUS, PEILIUS, alii. Hoc autem qui agnoscere nolit, concedat necesse est, auctorem ambiguitati mirifice studuisse. Minus elegans usus Praepositionis εἰς, quo et ad *Dativum commodi*, et ad *consilium Dei* enunciandum inserviat, ut ROTHIO offensioni fuit, ita neminem fugiet. Nec dubitabit quis, quin PHILIPPUS verum assecutus sit Vocabulo κατάκριμα adscribens Genitivum θανάτου. Ceterum in Protasi, si de verbis eius recte disputavi, nihil inest, quod huic obstet interpretationi: *quae quum ita sint*,

ab altera parte per unum peccatum est, ut iudicis feratur sententia, omnes homines spectans, qua peccantes ad mortem condemnentur.

Protasi sic constituta sequitur, Apodosin interpretandum esse: *ab altera parte, per unum iudicium probans est, ut beneficium gratiae detur, omnes homines spectans, quo credentes probationis Divinae vitaeque participes reddantur.* Sed quid haec sibi velint et quomodo cum Apostoli verbis conveniant, operae pretium est exponere. Vocabulum δικαίωσις aeque ac Cap. IV: 25 *actionem* significat *probantis Dei* vel *probationem eius*, τὸ δικαιοῦσθαι, et quidem *per fidem*, ut e vs. 1 huius Cap. intelligimus. Hinc distinguendum esse praecedens δικαίωμα, communis fere interpretum sententia est. Quid mihi interesse videatur ad vs. 16 iam indicavi; hîc vero in rem penitius inquirere debemus propter contradictiones multorum, qui aliter illud vs. 18 interpretantur quam supra, aut ei utroque in loco falsam notionem affingunt. Vulgo VV. DD. vocabulo δικαίωμα proponi putant CHRISTI *meritum* [1]), at vel sic tamen, et de eius notione, et de re, cuius ratio habenda sit, inter se discrepantes. Nonnulli cum GROTIO et RÜCKERTO *totam* CHRISTI *vitam Deo dicatam* spectari sumunt; sed ad quaestionem, quomodo haec vita uni illi lapsui ADAMI, quem praecedens παραπτώματος denotat, opponi possit, frustra respondere conantur. Alii, uti FRITZSCHIUS et REICHIUS, *voluntariam*

---

[1]) COCCEIUM et ab eo laudatum CORNELIUM A LAPIDE vocabulum δικαίωμα perperam interpretatos esse CHRISTI *meritum*, non opus est ut ostendam; quemadmodum refutari non merentur, qui *satisfactionem* scribi volunt.

eius, quae dicitur, ἐνσάρκωσιν in memoriam revocant, sed perversa, quod WETTIUM non latuit, interpretatione verborum *Phil.* II: 5 sqq. decepti. Prudentius plerique *mortis eius in cruce* mentionem fieri aiunt, Graecum Latine aut *iusta actio*, aut *recte factum*, aut *perfecta legis observatio*, aut aliter reddentes; sed hi quoque se tueri nequeunt. Primum vehementer dubito, an in CHRISTUM, qui ab omni parte fuit δίκαιος, quadret vocabulum δικαίωμα [1]). Deinde illud ad CHRISTUM vix aut ne vix quidem referri potest, quum affinia δικαίωσις et δίκαιοι κατασταθήσονται significent id, quod ad *Deum* pertinet, quemadmodum Verbum δικαιοῦσθαι et Substantivum δικαιοσύνη per totam hanc Epistolam. Praeterea supra cum ADAMI peccato nusquam CHRISTI meritum, sed gratia seu beneficentia *Dei* per CHRISTUM comparatur. Perspicue enim ei opponuntur χάρις καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ Θεοῦ et ἡ περισσεία τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης. Anthithesis igitur τοῦ παραπτώματος et τοῦ δικαιώματος tantum abest, ut faveat interpretibus, qui CHRISTI *meritum* intelligi volunt, ut summopere commendet MEIIERI sententiam, ab EWALDO quoque probatam: *iudicium Dei probans* vs. 18 aeque ac vs. 16 intelligendum esse. Nec multorum opinione, vocabula δικαίωμα et ὑπακοή vs. 19 inter se permutari, haec sententia, ut videbimus infra, labefactatur. Ceterum alia, quae ei obiiciantur, argumenta me legere non

---

[1]) BENGELIUS aliique locum attulerunt ARISTOTELIS, *Ethic. Nicom.* Lib. V. cap. 10. Opp. Tom. II. p. 1135 BEKK., ubi *δικαίωμα* dicitur *τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος;* sed recte PHILIPPUS FRITZSCHIUM secutus est, hoc loco nihil probari monentem.

memini. Ne autem quis suspiciose roget, quomodo *iudicium Dei probans* dici possit ἓν δικαίωμα, animadvertendum est, *generalem* eo ideoque *unam* denotari *iudicandi normam*, qua Deus pro gratia sua in CHRISTO adspectabili fidem probitatis loco censeat. Contra *multiplex* est ἡ δικαίωσις, quippe *huius normae usus* ad singulos homines fidem in Deo ponentes probandos. Summo quoque iure cum KREHLIO MEIIERUS reprehendit interpretes, qui hac in Apodosi orationi Futurum γενήσεται aliudve inserunt. Postrema enim εἰς δικαίωσιν ζωῆς tempus demum futurum spectant, praesenti tamen non excluso. Vocabulo vero δικαίωμα, si unam generalem Dei normam proponit, nullum aliud convenit Verbum quam ἐστί, quod COCCEIO placuit. De Genitivo autem ζωῆς quid multa disputem? Genitivus Obiecti est, isque *probationis* non consequentiam, sed *effectum* significans, ut *Ioann.* V: 29. Et vitam non tantum spectat futuram, sed *quidquid vitae vere vitalis est*, quod Deus probatione sua homini credenti impertiat.

Restat quaestio, quid sibi velit formula εἰς πάντας ἀνθρώπους. Negari nequit, quod iam vidit ARISTOTELES [1]), Adiectivum πάντες saepe ita usurpari, ut plures paucioresve excipiendi sint. Nonnullis item in locis exceptio admittenda est, ubi πάντες ἄνθρωποι memorantur. Sed ubique ei aut argumentum, quod tractatur, indicio est, aut oratio contexta. Exemplum capiamus ex ISOCRATIS [2]) verbis: πάντες ἄνθρωποι

---

[1]) *Art. Poët.* cap. 25. l. l. p. 1461, ubi ait: Τὸ πάντες ἀντὶ τοῦ πολλοὶ κατὰ μεταφορὰν εἴρηται. Locum iam excitarunt REICHIUS aliique.

[2]) *Plataic.* Cap. 1. l. c. p. 297.

πειθομένους νομιοῦσιν ὑμᾶς ὁσιωτάτους καὶ δικαιοτάτους εἶναι τῶν Ἑλλήνων, ubi *omnibus hominibus* certe annumerandi non sunt Lacedaemonii et Thebani. Similiter in N. T. haec formula haud raro suis finibus circumscripta est, uti *Act.* XXII: 15. *Rom.* XII: 17, 18. 1 *Cor.* VII: 7, ubi *omnes* spectat *homines, ad quod id, de quo sermo est, pertinet.* Sed absolute posita, uti 1 *Cor.* XV: 19, neutiquam restringi potest. Multo minus, si eadem in sententia bis exstat, quemadmodum hoc loco, in quo lex interpretandi eam aliter in Apodosi accipere vetat quam in Protasi. Quare sua sponte cadit commentum, quod ESTIO etiam placuit, Adiectivum *πάντας* hîc *omnes*, illic *multos* significare. Cadit item, quod GROTIUS, HODGIUS, PHILIPPUS, MEIJERUS, multi alii contenderunt, *omnibus hominibus* opponi *sectatores* CHRISTI, i. e. *credentes.* Quod reprehendens STUARTUS strenuum se vindicem praestitit sententiae *πάντας ἀνθρώπους* aeque in posteriori atque in priori membro *omnes homines* esse. Hactenus tantum distinguendi sunt, ut altera series iam ab ADAMI tempore, altera demum a CHRISTI tempore initium ceperit. Neque aliam distinctionem facere cogunt verba *εἰς δικαίωσιν ζωῆς*, quibus, si promissionem continere censentur, omnes probationis Divinae et vitae participes fore, sensus alienus affingitur, ut evidenter docent praecedentia: *οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες.* Proinde, ut bene etiam viderunt FRITZSCHIUS, ROTHIUS, KREHLIUS, nihil quoque habent, quo placitum, quod Graece *Ἀποκατάστασιν* dicunt, commendetur. Sed hoc sibi voluit PAULUS, per CHRISTUM factum esse, ut Deus gratiam suam explicaret, qua omnes homines, fide in eo ponenda, pro-

bationis Divinae vitaeque fierent participes. Aliis verbis eandem doctrinam proposuit ac 1 *Tim.* II: 1, 4. IV: 10. *Tit.* II: 11, item infra Cap. XI: 32. Et sic oratione accepta alteri membro cum *Ambrosiastro* addere possumus *peccantes*, alteri *credentes*. Si vero a *credendo* ἡ δικαίωσις ζωῆς pendet, sequitur Antithesin vitiosam esse, nisi praecedens κατάκριμα a *peccando* pendeat. Novo igitur argumento confirmantur ea, quae ad vs. 12 contra HODGIUM aliosque disputata sunt. Apostolum autem, uti supra, omnes homines peccato obnoxios esse scribens, infantes et pueros praeterierit, ita hoc loco, quum salutem *fidei* ope impetrandam proponeret, nullam eorum rationem habere potuisse, res ipsa loquitur. Similiter hinc alienam duxit quaestionem, quid sentiendum esset de hominibus adultis, quorum ad notitiam CHRISTUS nondum pervenisset. Neque id quoque egit, ut doctrinam universae posteritati prospicientem explicaret, aut *Theodicaeam* ederet decreta Dei omnibus omnium aetatum hominibus salutaria comprehendentem. Quidquid in medium afferebat, accommodatum erat ad consilium, quo eum totam hanc disputationem iniisse CHRYSOSTOMUS testatur aiens: *Πρὸς Ἰουδαῖον ἡ μάχη τὸν ἀμφιβάλλοντα καὶ καταγελῶντα τῆς διὰ τοῦ ἑνὸς δικαιοσύνης.* Itaque Iudaeorum errores redarguens lectoribus suis de eo persuadere conatus est, hanc gentem ceterasque omnes apud Deum eiusdem numeri esse. Quod quo clarius in oculos incurreret, non solum supra *omnes homines* memoravit, sed hoc etiam loco πάντας ἀνθρώπους sibi invicem opposuit. Etenim utrumque probare studuit, et Iudaeos haud secus quam gentes exteras peccatorum causa morti obnoxios esse, et gentibus ex-

teris haud secus quam Iudaeis per fidem gratiam Dei vitamque patere.

Vers. 19.

Cum praecedenti sententia arcte cohaeret quod proxime sequitur: *Ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ, οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί.* Multorum opinioni, PAULUM hîc aliis verbis praecedentia repetere, quam inter nostrates quoque BOSVELDIUS professus est, optimo iure REICHIUS et STUARTUS se opponunt, ut Particula *γάρ* etiam declarat. Meliora iam viderunt CALVINUS, ESTIUS, BEZA. Sed de nexu orationis ne sic quidem discrepantia sublata est. Mihi Apostolus praecedentia confirmare videtur explicando effectu, quem id, quod omnibus hominibus per Dei iudicium probans paratum est, in hominum habet multitudinem. Nec valde dissentiunt ROTHIUS, THOLUCKIUS, alii.

Incipiamus ab explicandis formulis *διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου* et *διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνός.* PALMIUM errare puto et plerosque interpretes, qui non solum vocabula *δικαίωμα* et *ὑπακοή*, sed etiam *παράπτωμα* et *παρακοή* inter se permutari contendunt. Quod falsum esse ipse, nisi fallor, auctor iam ostendit, quum non scripserit *διὰ μιᾶς παρακοῆς* et *διὰ μιᾶς ὑπακοῆς.* Gravius vero argumentum praebet potestas vocabulorum *ὑπακοή* et *παρακοή.* Neutiquam enim *facta* significant, quorum alterum bonum, alterum malum est, sed *obediendi* et *renitendi habitum*, generatim

virtutem et *vitium* e regione ei oppositum. Quod ad probandum e loquendi usu exempla aliunde conquirere non opus est, quum domestica nihil desiderii relinquant. In N. T. alterum, *παρακοή*, ter exstat, alterum, *ὑπακοή*, quindecies. At nusquam iis aliud quam *ipsum contumaciae vitium* et *ipsa obedientiae virtus* generatim denotatur. Nonnullis autem in locis, uti Cap. I: 5. XV: 18. XVI: 19 (coll. I: 8), 26 al. cum vocabulo *ὑπακοή* connexus est Genitivus, unde luculenter apparet *obedientiae qualitas*, eam, nempe, in *fide* cerni. Opposito *παρακοή Hebr.* II: 2 *fidei recusationem* significari, propter circumiecta incredibile non est. Praesertim ratio habenda est verborum 2 *Cor.* X: 5, 6, ubi non solum utrumque *παρακοή* et *ὑπακοή* per Antithesin ita usurpatum legimus, ut *fides* spectari deprehendatur, sed Euangelii praecones etiam dicuntur *αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ*, quod si interpretamur: *captiva ducentes omnia hominum studia ad obedientiam illam fidei, cuius auctor* CHRISTUS *est*, satisfieri videtur et verborum notioni, et imagini propositae, et orationis argumento [1]). Nihil igitur obstare puto, quominus formulae illae explicentur: *per renitendi vitium, cuius peccato suo auctor fuit unus ille homo*, et *per obediendi virtutem, cuius fide sua auctor fuit ille unus.*

Haec si recte se habent, connexa: *ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί* et *δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί* aliter accipienda sunt, quam plerumque fit.

[1]) De *Genitivo auctoris* dixi ad Cap. III: 22. Cff. ibid. disputata ad vs. 25, 26, item in libro *de betrekking van het gevoel* cet. p. 169, 170.

Verum assecutus ORIGENES scripsit: „Aliud est peccare, aliud peccatorem esse." Ergo vim vocabuli ἁμαρτωλός extenuat interpretatio PELAGII, aliis etiam de causis improbanda: „Sicut exemplo inobedientiae Adae peccaverunt multi, ita et Christi obedientia iustificabuntur multi." Supra ad Cap. III: 7. V: 8 vidimus, *homines peccato deditos* ἁμαρτωλούς esse, quod convenit disputationi de misera gentium exterarum et Iudaeorum conditione ab Apostolo habitae. His autem opponuntur δίκαιοι, *probi*, scilicet *Dei in oculis*. De formula οἱ πολλοί ad vs. 15 satis dictum est. Et hinc quoque apparet, graviter lapsos esse, qui cum CASTALIONE, ESTIO, BENGELIO, quam plurimis, τοὺς πολλούς eosdem esse contenderent ac vs. 18 πάντας ἀνθρώπους. Consulte PAULUS *multitudinem*, quae salutis viam ingressa erat, ab iis distinxit, quibus Deus viam illam paraverat, i. e. *omnibus hominibus*. Nec sane, quum haec etiam multitudo innumerabilis esset, inde, quod longe plures erant homines ἁμαρτωλοί, offensionis cum CLERICO capiendae causa est. De verbis quidem κατεστάθησαν et κατασταθήσονται magis inter se discrepant VV. DD. sed aliena commentos esse, qui Passivum καθίστασθαι interpretarentur *tractari*, aut *declarari*, aut *deprehendi* praeter alios evidenter docuit STUARTUS, ipse scribi iubens *constitui*, quam primam Verbi notionem post CALVINUM, BEZAM, GATAKERUM[1]) recentiori memoria haud pauci retinendam censuerunt. Itidem vero lapsi sunt, quotquot hoc eodem redire putabant atque *existere* vel *fieri*. Recte FRITZSCHIUS:

---

[1]) *De Nov. Instr. Stylo.* cap. 8. l. c. p. 52.

„Verbum *καθίστημι* nusquam in N. T. *sistendi* notione deposita *reddere* designat." Quid? quod Passivum *Hebr.* V: 1. VIII: 3 aliter explicari non potest quam Latino *constitui*. Ita apud interpretem Al. *Exod.* V: 14. *Num.* III: 32. 1 *Reg.* IV: 5, 7, 27. 2 *Reg.* XXII: 9. 1 *Chron.* IX: 29. 2 *Chron.* XXXI: 13. XXXIV: 10 verbum *existere* vel *fieri* admitti nequit. Imprimis comparandi sunt loci, in quibus Verbo *καθίστασθαι* adiunctus est Nominativus, uti etiam *Psalm.* II: 6. *Ierem.* XX: 1. 2 *Macc.* III: 4, item *Iac.* IV: 4. Ibi vero, quum illud ad *classem alicuius* proponendam inserviat, temere quoque ab eius notione vulgari disceditur. Et frustra ad notionem illam deserendam VV. DD. Graecorum in libris quaesiverunt praesidium. Frustra cum haud paucis [1]) RAPHELIUS provocavit ad ISOCRATEM, cuius verba integra sunt [2]): *γιγνώσκοντες, ὅτι καὶ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν Βαρβάρων οἱ μεγίστας ἐπ' ἀρετῇ δόξας ἔχοντες πλείστων ἀγαθῶν δεσπόται καθίστανται.* Iam non inficior quidem, haec aptum praebere sensum, si postrema Latine reddantur: *plurimorum bonorum possessores existunt* vel *fiunt;* sed nullam reperio causam, cur non scribatur *constituuntur*, ut dicere velit auctor: *in classe eorum collocantur, qui plurima bona possident.* Nihil igitur obstat, quominus PAULUM etiam dicentem faciamus: *constituti sunt* et *constituentur*, atque haec cum PHILIPPO et MEIJERO exponamus: *in classe collocati sunt* et *collocabuntur.* Cur vero Apostolus non scripsit: *ἁμαρτωλοὶ ἐγένοντο*

---

[1]) Ita iam BUDAEUS. p. 673. STEPH. in *Thes.* alii.

[2]) *Nicocl.* cap. 12. l. c. p. 33.

et *δίκαιοι γενήσονται*, sed formulis *ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν* et *δίκαιοι κατασταθήσονται* usus est? An fortasse earum usu iam indicare voluit, *Divino decreto* deberi utrumque illud, quod proponeret? Vel an in Protasi scripsit *κατεστάθησαν*, ut in Apodosi scribendo *κατασταθήσονται* homines significare posset, qui fidei suae causa *a Deo probi censeantur* vel *probentur?* Hoc certe PAULI doctrinae accommodatius est sententia, quam FRITZSCHIUS nugatoriam appellare non veretur, in priori membro intelligendum esse: ADAMI *facinore iis imputato;* in posteriori: CHRISTI *sanctitate in eos collata.* Sed de *imputationis*, quae dicitur, placito, cui egregios interpretes nimis favere doleo, suis in scholis disputent Theologi [1]). Si in altera orationis parte Apostolus sibi voluit: *sicut enim iudicio Divino factum est, ut per contumaciae vitium, cuius unus* ADAMUS *peccato suo auctor fuit, hominum multitudo in peccatorum classe collocaretur;* altera explicari debebit: *sic iudicio Divino fiet, ut per obedientiae virtutem, cuius unus* IESUS CHRISTUS *fide sua auctor fuit, hominum multitudo in proborum classe collocetur.* Atque hoc, nisi fallor, monuit PAULUS, ut in *multitudine hominum* cernerent lectores, gratiam Dei, quae fidem probitatis loco censeret et ad vitam duceret, *omnibus hominibus* paratam esse. Futurum autem *κατασταθήσονται* quomodo accipiendum sit, indicio est connexum *δίκαιοι*, quippe id denotans, quod fidem non demum post hanc vitam aut iudicii supremi

---

[1]) Data opera hoc egit STUARTUS l. c. praesertim *Exc.* VI. p. 583 sqq. ubi afferuntur etiam, quae ad HOFMANNUM aliosque refellendos adhiberi possunt.

tempore secuturum est, sed hac iam in vita continuo sequitur. Futurum igitur eodem modo explicandum est ac *δικαιώσει* Cap. III: 30, ut omnem multitudinis significet collocationem in proborum classe, quandocunque fiat.. Similiter iudicarunt BEZA, GROTIUS, alii. Vulgaris interpretatio, quam MEIIERUS etiam tueri conatur, propterea quoque improbabilis est, quod PAULUS secundum eam, vacuo tanquam spatio facto, salutem praeteriit e CHRISTI communione in sectatores eius iam suo tempore redundantem et assidue redundaturam. Sed idem fere aliis obstat interpretibus, ORIGENEM sequentibus, cuius verba sunt. „Iustos constituendos esse multos ad futurum transtulit tempus, sciens sine dubio, quod processu praedicationis Euangelicae iustorum multitudo maior accresceret."

Vers. 20, 21.

Comparationis ADAMI et CHRISTI conclusione absoluta PAULUS in legis, quam vs. 13 attigerat, memoriam redit, ut lectores doceat, eam ad augendam gratiae Divinae ubertatem contribuisse. Primum igitur scripsit: *Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*. Vocabulum *νόμος* sine dubio *legem Mosaicam* spectat, nec tamen, quum careat Articulo, uti TURNERUS etiam animadvertit, plus significat quam generatim *legem*, sermone vernaculo: *eene wet*. Singulare *τὸ παράπτωμα* recte FRITZSCHIUS et RÜCKERTUS collectivum esse, sed minus recte sequens *ἡ ἁμαρτία* cum eo permutari putarunt. Sic enim distinguenda videntur, ut illo significetur malum morale in *Concreto*,

i. e. in homine legem Divinam violante, hoc vero malum morale in *Abstracto.* Ita MEIERUS, qui varios itidem correxit errores in Verbo *παρεισῆλθεν* interpretando commissos. Cuius notae etiam esse puto sententiam KÖLLNERI, RÜCKERTI, PHILIPPI, BISPINGII, intelligi debere *introitum intermedium.* Frustra enim loci quaerentur ad probandum, eam loquendi niti usu. Nihil verisimilius est quam Apostolum sibi voluisse; *lex vero iuxta* (scil. *iuxta peccatum*, cuius auctor ADAMUS fuit) *in mundum intravit.* Similiter REICHIUS, WETTIUS, KREHLIUS, MAIERUS, qui recte monet, Verbum *παρεισῆλθεν* inde explicandum esse, quod respondet praecedentibus vs. 12: *ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε.* Exemplo nobis sit dictum *Iudae* [1]): *Ἐὰν πίνητε μὴ αἰδούμενοι καὶ ἀποστῇ ὁ τοῦ Θεοῦ φόβος, λοιπὸν γίνεται μέθη καὶ παρεισέρχεται ἡ ἀναισχυντία.* Quo *iuxta ebrietatem impudentia apud hominem intrare* dicitur. Eandem notionem Verbum *παρεισέρχεσθαι* habet apud PLUTARCHUM, de MUCIO narrantem [2]): *Ἐπιβουλεύων δὲ τὸν Πορσήναν ἀνελεῖν παρεισῆλθεν εἰς τὸ στρατόπεδον*, ubi Aoristus *παρεισῆλθεν* explicandus est: *itidem ut Etrusci* vel *iuxta Etruscos intravit*, minime vero *clam intravit*, quod non ferunt subiecta: *Τυρρηνίδα φορῶν ἐσθῆτα καὶ φωνῇ χρώμενος ὁμοίᾳ.* Eadem interpretatio quadrat in alios locos, in quibus multi *clandestinum introitum* intelligi volunt [3]). Quod BEZA iam monuit ex usu Praepositionis *παρά* derivari

---

[1]) *Test. Iud.* cap. 16. l. c. p. 607, 608.

[2]) *Poplicol.* cap. 17. Tom. I. p. 216. SINTEN.

[3]) PLUTARCHI *Moral.* p. 964 B. 980 B. POLYB. Lib. I. cap. 7, 8. PHILO *de mundi opific.* Tom. I. p. 36. *de ebriet.* ibid. p. 381.

non posse [1]). Et si ipsi Verbo *παρεισέρχεσθαι* haec notio inest, quis non miratur, ei aut affini plus semel adiunctum esse vocabulum *λάθρᾳ* aliudve simile [2])? Praefracte negare nolo locos esse, in quibus interpretari oporteat *clam intrare.* Unus instar omnium sit *Gal.* II: 4, ubi Graeca *οἵτινες παρεισῆλθον* vix aliter exponere ausim quam Latinis: *ut qui clam* CHRISTI *intrarunt societatem.* Sed an recte vidit MEIIERUS, Verbum *παρεισέρχεσθαι*, ubicunque hoc requiratur, *clandestini introitus* notionem accipere ab oratione contexta? Quidquid huius rei est, notio illa non quadrat in *legem publice promulgatam*, nec convenit reverentiae, qua PAULUS hanc legem utpote Divinam prosecutus est. Falluntur autem RÜCKERTUS aliique VV. DD. qui Apostolum, si dicere vellet: *lex vero iuxta* (peccatum in mundum) *intravit*, usurum fuisse aiunt Verbo cum Praepositione *πρός* aut *ἐπί* composito. Scribere enim non potuit *προσεισῆλθεν*, quod nemini cognitum erat. Scribendo vero *ἐπεισῆλθεν* minus significasset *iuxta*, quam *praeterea* aut *insuper intravit*, quorum alterum BEZAE, alterum FRITZSCHIO placuit. Iam additur consilium, quo lex iuxta peccatum intravit: *ut multiplicarentur delicta* [3]).

---

[1]) Aliter BORGERUS ad *Gal.* II: 4 et ZEUNIUS ad *Vig.* p. 651, 652. Sed cf. IRMISCH *ad Herod.* Tom. I. p. 182, item VOORST. *Animadv. de usu verb. comp. in N. T.* Spec. I. p. 59, 60.

[2]) Apud POLYBIUM, Lib. II. cap. 55 legimus: *Παρεισῆλθε διὰ τούτων* (scil. *τῶν ἐκ Μεσσήνης φυγάδων*) *λάθρᾳ νυκτὸς ἐντὸς τῶν τειχῶν.* Nihil notavit SCHWEIGH. sed in *Lexico*, quod POLYBII Editioni Vindob. ann. 1763 subiectum est, notatum vidi: *Unde patet, verbum ipsum non indicare clandestinum ingressum.* Dissimile non est quod exstat 2 *Macc.* VIII: 1: *παρεισπορευόμενοι λεληθότως εἰς τὰς κώμας.*

[3]) Ita hoc loco vocabulum *παράπτωμα*, pro quo supra scripsi *pec-*

Particulam enim ἵνα hodie fere omnes interpretes, quos gravissimi viri, CALVINUS et GROTIUS praecesserunt, τελικῶς accipi iubent. PELAGIUM aliosque, qui eam ἐκβατικῶς acceperunt, decepit studium curandi, ne PAULUS impietatis accusandus esset. Atqui orationi eius, si bene intelligitur, nulla inest impietas. Non a priori inquirit in voluntatis Divinae arcana, sed a posteriori, experientia teste, ostendit, quaenam Providentiae Divinae via et ratio fuisse deprehendatur. Neque aliud profecto Deus egit, quam ut hominibus, quo magis increbrescerent peccata, eo firmius persuaderetur, ad salutem consequendam legem Mosaicam sibi non sufficere.

Benignissimum Dei consilium ante oculos ponunt verba posterioris membri: οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις, quae Latine reddenda videntur: *ubi autem multiplicatum est peccatum, admodum abundavit gratia* (Divina). Si Verbum ἐπλεόνασεν aliter quam in priori membro interpretari et scribere liceret: *incrementa cepit*, in connexis ἡ ἁμαρτία clarius se proderet Prosopopoeia. Particulam οὗ *tempus* notare et Latinae *cum*, vel *postquam*, aliive simili respondere putavit GROTIUS, quem cum FRITZSCHIO nonnulli secuti sunt, nuperrime BISPINGIUS. Sed quamquam ea in N. T. saepe legitur, ibi tamen, uti etiam *Ezech.* XXI: 16, *locum* tantum significat, *ubi res facta est.* Nec VV. DD. quantum mihi compertum est, e Graecorum libris alius usus exempla attulere [1]). Frustra FRITZSCHIUS, ut absoluto

---

catum, reddere debui, ne discrimen utriusque παράπτωμα et ἁμαρτία occultaretur interpretando.

[1]) Cff. praeter STEPHANI *Thes.* aliaque Lexica, BERNHARD. p. 157. MATTH. Tom. II. p. 1076. KÜHNER. Tom. II. p. 171, 532.

οὗ tempus etiam notari probaret, ad verba provocavit EURIPIDIS [1]):

Οὗ δὴ τὸ δεινὸν παρακέλευσμ' ἠκούσαμεν,
Πυλάδη, θανούμεθ'· ἀλλ' ὅπως θανούμεθα
Κάλλισθ', ἕπου μοι φάσγανον σπάσας χερί.

Nihil enim obstat, quominus, praeeunte RÜCKERTO, haec interpretamur: *Ubi terribilem vocem audivimus*, PYLADES, *moriendum* (ibi) *est; sed ut pulcherrime moriamur, me sequere gladium destringens manu.* PHILIPPUS, MEIERUS aliique, qui, alteram interpretationem ferri posse concedentes, e formulis *ἀφ' οὗ* et *ἐξ οὗ* argumentantur, cum Pronomine, nisi fallor, confundunt Adverbium ab eo caute distinguendum [2]). Sine scrupulo igitur plerisque assentior, etiam STUARTO, KREHLIO, REITHMAYRO, MAIERO, qui *loci*, non *temporis* notationem hîc reperiri monuerunt. Eandem orationis formam legimus supra Cap. IV: 15, item 2 *Cor.* III: 17 [3]). Et Particula *ubi* orationi egregie accommodata est ad gentem Israëlitarum a ceteris gentibus hoc nomine distinguendam, quod inter eam, et peccatum per legem Mosaicam maiora cepit incrementa, et uberrima gratiae Divinae documenta exstiterunt. Posterius nempe membrum cum priori ita cohaeret, ut RÜCKERTUS recte dixisse videatur, comparationem plane ex-

---

[1]) *Iphigen. in Taur.* vs. 321 sqq. MUSGR. vs. 313 sqq. HERMANN. qui vocabulo *κάλλισθ'* Colon postposuit, dubito an recte.

[2]) Adeatur STEPH. *Thes.* Tom. V. p. 2267 coll. 2358, 2359, item BUTTMANN. Tom. II. p. 277.

[3]) Similia vide apud SOPHOCL. *Philoct.* vs. 1005. BOTH. XENOPH. *Exped. Cyr.* Lib. V. cap. 7. § 33, ubi legatur nota BORNEMANNI.

cludi non posse. Sententiam vero, a LUTHERO etiam probatam, ipsum Verbum *ὑπερεπερίσσευσεν* comparationi faciendae inservire, haud sine causa ROTHIUS aliique improbarunt. Nec male contrariam in partem excitarunt *Marc.* VII: 37. 2 *Cor.* VII: 4, ubi extra comparationem legimus *ὑπερπερισσῶς* et *ὑπερπερισσεύομαι.* Addere lubet quod alibi [1]) narratur de CAIO: *Τῶν ἑταίρων τοὺς μὲν ὑπερεκολάκευε, τοὺς δὲ ὑπερύβρισεν.* Sed quoniam ubique ad quaestionem dirimendam ratio habenda est orationis contextae, cum FRITZSCHIO gravius argumentum inde petemus, quod PAULUS comparationem facere volens scribere debuisset *ὑπερεπλεόνασεν*, quo Verbo 1 *Tim.* I: 14 usus est. Huic autem Apostolus Verbum amplioris notionis *ὑπερεπερίσσευσεν* praetulit, quod *abundantiam* significat, dum altero tantum *incrementum* significatur, ut apparet quoque ex 1 *Thess.* III: 12, ubi coniuncta reperimus: *πλεονάσαι καὶ περισσεῦσαι.*

Consilii Divini propositionem auctor vs. 21 sic persequitur: *ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, οὕτω καὶ ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.* Hunc vs. ROTHIUS cum priori membro praecedentis connectens, posterius membrum in Parenthesi posuit. Quod quum factum sit sine ullo Parentheseos indicio, quin etiam invito loquendi usu, mirandum non est, neminem ei calculum adiecisse. Formulam *ἐν τῷ θανάτῳ* interpretantes *per mortem*, FRITZSCHIUS et RÜCKERTUS Praepositioni *ἐν* haud secus alienam notionem affingunt, quam ERASMUS aliique,

---

[1]) DIO *Cassius.* Lib. LIX. cap. 4.

qui PAULUM, per abusum vocabuli, *ἐν τῷ θανάτῳ* pro *εἰς τὸν θάνατον* scripsisse contenderunt. Minus recte VV. DD. provocant ad verba *διὰ δικαιοσύνης*, quae ad Antithesin nihil conferunt, quum opposita tantum sint *ἐν τῷ θανάτῳ* et *εἰς ζωὴν αἰώνιον*. Falsissima autem est interpretandi regula, Antithesin postulare, ut Praepositionum altera alterius accipiat notionem. Quod, si illud nusquam sumere licet, maxime hunc in locum incurrit, ubi sine Articulo legimus *εἰς ζωὴν αἰώνιον*, quemadmodum *Matth.* XXV: 46. *Ioann.* IV: 14. *Act.* XIII: 48. 1 *Tim.* I: 16 al. Studiose vero Apostolus, non *διὰ τοῦ θανάτου*, sed *ἐν τῷ θανάτῳ* scripsit ad *regionem*, in qua mors regnavit, aeque ac formula simili Cap. VI: 12, significandam, quae MEIJERI etiam est sententia, a WETTIO iniuste improbata. PAULUS id egisse videtur, ut una cum regni peccato subiecti amplitudine fines eius ostenderet, quippe extra mortis regionem non excedentes. Dicere igitur voluit: *ut quemadmodum regnavit peccatum in mortis regione.* Iam ad alterum huius vs. membrum magis accommodatum esset alterum, si exordiretur a verbis: *οὕτω καὶ ἡ δικαιοσύνη βασιλεύσῃ*. Atqui uti supra vs. 15 et 17 *τὸ παράπτωμα* et *ἡ χάρις* opposita sunt, sic Apostolus, ut sibi constaret, hoc loco *τὴν χάριν τῇ ἁμαρτίᾳ* opposuit. Tum vero ad orationis argumentum quam formam intentior Verbo *βασιλεύσῃ* addidit *διὰ δικαιοσύνης*. Cavere igitur voluit, ne gratia Divina regnare videretur in animis hominum, qui peccati servitute nondum liberati essent. Sententiam autem sic concludens: *διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ Κυρίου ἡμῶν*, repetiit quidem Praepositionem *διά* cum Genitivo, sed hoc minus ingratum est quam *Col.* I: 20. Duo

enim ei subiecit, sed alterum ut viae, quam gratia tenet, commemoratio praecederet, alterum, ut auctoris, cuius interventu ea actuosa est, laudatio sequeretur. Hoc ad totam pertinet Apodosin, illud, uti ROTHIUS ostendit, ad solum Verbum *βασιλεύσῃ*. Recte quidem CHRYSOSTOMUS: *Μείζων ἡ δικαιοσύνη τῆς ζωῆς· ἐπεὶ καὶ μήτηρ αὐτῆς*, sed inde non apparet, interposita *εἰς ζωὴν αἰώνιον* a formula *διὰ δικαιοσύνης* pendere. Quod qui contendunt, Antithesin enervant Verbo *βασιλεύσῃ* iis privando, quae praecedentibus *ἐν τῷ θανάτῳ* respondeant. Et quia vocabulum *δικαιοσύνης* Articulo caret, valde dubito an haec structura per loquendi usum ferri possit. Interposita autem illa non interpretanda sunt: *ut homines aliquando*, sed: *ut eos iam nunc vitae aeternae participes faceret*. Nimirum si in Verbo *βασιλεύσῃ* Aoristum cernimus, uti recte MEIERUS contra REICHIUM monuit, et Aoristum quidem ab alio, *ὑπερεπερίσσευσεν*, pendentem, vita praesens excludi nequit. Ad hanc quoque pertinet probitas illa, quae *probitas fidei* est, ut vocabulum *δικαιοσύνης* KREHLIUS, PHILIPPUS multique alii explicant. Ergo PAULUS vitam futuram non proponit a vita illa separatam, sed cum ea coniunctam, uti 1 *Tim.* I: 16 *πιστεύειν εἰς ζωὴν αἰώνιον* dicitur. Nec sine causa Substantivo *ζωὴν* Adiectivum *αἰώνιον* adiecit, sed ut ostenderet, regnum gratiae Divinae regno peccati longe praestare: hoc nempe extra cancellos mortis non egredi, illud vero eiusdem amplitudinis esse atque ipsam aeternitatem.

CAPUT VI.

Vers. 1, 2.

PAULUS adhuc probaverat, Iudaeos et gentes exteras pariter peccati iugo subiectos et poenae Divinae obnoxios esse, sed CHRISTO auctore fide in Deo ponenda gratiae Divinae vitaeque aeternae pariter fieri participes. Hac disputatione absoluta nihil aliud nunc restabat quam eam ad animum vitamque applicare. Atqui illius reminiscens mox animadvertebat Apostolus valde metuendum esse eius abusum ad nequitiam. Imprimis ipsius ante oculos obversabantur calumniatores, quales Cap. III: 8 memoraverat. Hos autem eorumve similes praevidebat e conclusione Cap. V: 20, 21 petituros, quod comparatum esset ad omnem religionem una cum morum honestate evertendam. Istiusmodi igitur hominibus occurrere cupiens incipit a quaestione sibi familiari: *Τί οὖν ἐροῦμεν;* eique, secundum Editionem Receptam, continuo hanc alteram adiungit: *ἐπιμενοῦμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ;* Atque hoc recentiori memoria genuinum habuerunt MATTHAEUS, KOPPIUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS, GLÖCKLERUS, REITHMAYRUS, etiam HUGENHOLT-

ZIUS [1]). Sed in Codicibus fere omnibus, qui literis maioribus exarati sunt, pro Futuro *ἐπιμενοῦμεν* legimus Coniunctivum *ἐπιμένωμεν*, pro quo etiam testantur libri, in quibus exstant corrupta *ἐπιμείνωμεν* et *ἐπιμένομεν*. Et quamvis certo dici nequit, quomodo ex *ἐπιμένωμεν* profectum sit *ἐπιμενοῦμεν*, hoc tamen illud longe probabilius est secundum regulam, verbum difficilius faciliori praeferendum esse. Sine scrupulo igitur cum plerisque horum dierum interpretibus, etiam STUARTO, KREHLIO, PHILIPPO, MAIERO, BISPINGIO, LACHMANNUM et TISCHENDORFIUM sequor, qui ediderunt *ἐπιμένωμεν*, quod TURNERO quoque non displicuit.

Iam Coniunctivum *ἐπιμένωμεν* vulgo VV. DD. *deliberativum* esse aiunt, ut explicandus sit: *an permaneamus oportet?* Quod nuperrime etiam probavit MEIIERUS, ad WINERUM [2]) provocans. Exempla tamen, quae afferuntur, mihi videntur dissimiliora, non excepto illo, quod praebet *Marc.* XII: 14, ubi Coniunctivus in verbis: *δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν; deliberandi* notionem accipit a praecedenti quaestione: *ἔξεστι κῆνσον Καίσαρι δοῦναι ἢ οὔ;* Quidquid vero huius rei est, iam supra ad Cap. III: 5 aliam me iudice viam ingrediendam esse indicavi. Nec GROTIO, quem WETSTENIUS secutus est, largior, Futura *ἐροῦμεν* et *ἐπιμενοῦμεν* (quod ille retinuit) vim habere Praesentium, ut mens PAULI sit: *Quid ergo est quod dicimus? An ista dicimus, quae Iudaei illi de nobis spargunt?*

---

[1]) *Disp. inaug. de Cap. VI Ep. Pauli ad Rom.*

[2]) L. c. p. 330, 331. [Ed. VI. p. 255]. Grammaticis ibi laudatis adde HERM. ad *Vig.* p. 742.

Sicuti enim haec interpretatio, Apostolum redeuntem faciens ad Cap. III: 8, cohaerentiam disputationis tollit, sic temere, et Futura pro Praesentibus usurpari potuisse sumit, et per loquendi usum licere, ut alterum Plurale: *ἐροῦμεν* ad *Euangelii praecones*, altera: *ἐπιμένωμεν* (*ἐπιμενοῦμεν*), *ἀπεθάνομεν* et *ζήσομεν* ad CHRISTI *sectatores* referamus. Hactenus GROTIO, quidquid in contrariam partem disputant FRITZSCHIUS aliique, assentiendum est, ut repetatur Verbum *ἐροῦμεν*, quam repetitionem commendant aut ferunt omnes loci, in quibus formula *τί ἐροῦμεν* vel *τί οὖν ἐροῦμεν* exstat, et omnino postulat, Cap. IX: 30, subiecta Particula *ὅτι* [1]). Eadem repetitio requiritur apud ARRIANUM [2]), cuius verba, a RAPHELIO et WOLFIO memorata, haec sunt: *Τί οὖν ἐγὼ λέγω; ὅτι ἄπρακτόν ἐστι τὸ ζῷον; Μὴ γένοιτο.* Hoc autem loco alteram quaestionem: *τί οὖν ἐροῦμεν;* altera *ἐπιμένωμεν* cet. incommode sequitur, nisi repetitum *ἐροῦμεν* ei cogitando praeponatur. Si Coniunctivus *deliberativus* esset, pro *τί οὖν ἐροῦμεν* legi deberet: *τί οὖν ποιήσομεν*, cuiusmodi formula *Luc.* XII: 17. XVI: 3 et alibi deliberationem praecedit, ubi aliquid agendum aut fugiendum est. Itaque mentem auctoris assecutus est SLICH-

---

[1]) Cff. disputata ad Cap. III: 5. IV: 1, ubi iis iam occurritur, qui hanc etiam orationem sic distinguunt, ut vocabulis *τί οὖν* signum interrogandi subiiciant, uti PALMIUS, SHUTTLEWORTHUS aliique apud BOWYERUM et HUGENHOLTZIUM.

[2]) *Epictet.* Lib. I. cap. 10. Tom. I. p. 60 UPT. Aliud exemplum praebet LUCIAN. *Deor. Dial.* 23. Tom. I. p. 273, ubi cum HEMSTERHUSIO legendum est: *Τί ἂν λέγοιμεν; ὁμομητρίους ἀδελφοὺς εἶναι;* cet. FRITZSCHIUS etiam excitavit verba CICER. *Tusc. Quaest.* Lib. III. cap. 32: *quid dicemus*, CLEANTHE? cet.

TINGIUS adscribens: „Intellige hoccine dicemus et consequenter faciemus?" Similiter aut non longe aliter MUSCULUS, STENGELIUS, TERROTUS, PEILIUS. Quibus ducibus satis fidenter Graeca Latine interpretor: *Quid igitur dicemus? Dicemusne: adhaerescamus peccato, quo amplior* (Dei) *gratia sit, cuius participes fiamus?* Ergo Coniunctivus *ἐπιμένωμεν* vim habet *cohortandi*, uti 1 *Cor.* XV: 32 et quam plurimis in locis [1]). Formulam *ἐπιμένειν τῇ ἁμαρτίᾳ* plerique reddunt *permanere* vel *perseverare in peccato*, sed alibi [2]) me monere memini, Dativo Verbum illud sequenti, si careat Praepositione *ἐν*, *adhaesionem* significari. Quod uti postea plus uno loco confirmatum vidi, ita hîc orationis contextae causa probe, nisi fallor, tenendum est. Per Prosopopoeiam enim, ut BOSVELDIUS etiam et HUGENHOLTZIUS ostenderunt, peccatum denuo personam gerit tyranni, homines imperio suo subiicientis. CHRISTI autem sectatores, quibus iugum illud excussum est, dici quidem possunt peccato adhaerescere, i. e. cum eo colludere, in eius vero potestate permanere non item.

Responsio: *Μὴ γένοιτο* vs. 2, si exponitur: *Longe absit, ut ita dicamus*, nihil reprehendendum est. Nam, ut SLICHTINGIUS bene monuit, intelligi *et peccato adhaerescamus*, res ipsa loquitur. Quare cadit etiam quod FRITZSCHIUS GROTIO obiicit, PAULUM operam non dare, ut homines Christiani dicant: *ἐπιμένωμεν*, sed ne in

---

[1]) Cff. WINER. p. 330. [Ed. VI. p. 255] aliique.

[2]) *Comm. perp.* ad *Phil. I:* 24. Sententiam meam non improbabilem habuit censor in *Ergänzungblätter zur allgem. Literaturzeitung.* Julio 1840. p. 443. Cf. c. MULLER. p. 23. Vide etiam *Col.* I: 23. 1 *Tim.* IV: 16 et, praeter varios locos in STEPH. *Thesauro*, *Test. Lev.* cap. 4. p. 549.

male agendo perseverent. Iam negationi suae auctor continuo addit: *οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ;* i. e. *tales, qui demortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?* Sed his unum alterumque inest, quod explicatione indigeat.

In Protasi Pronomen *οἵτινες*, Emphaseos causa, ut MEIIERUS monet, cetera praecedens, inservit ad proponendam *qualitatem* eorum, quos spectat Verbum *ἀπεθάνομεν*. Qui Dativum *τῇ ἁμαρτίᾳ*, ab hoc Verbo pendentem, interpretandum censent *propter peccatum* aut *peccati causa*, a REICHIO aliisque satis refelluntur. Vulgo Dativus ille habetur *commodi*, quod iam CHRYSOSTOMO placuit scribenti: *τὸ πρὸς μηδὲν ὑπακούειν αὐτῇ λοιπόν*, et neutiquam improbari potest. Sed paulo difficilior est quaestio, quomodo cum eo ipsum cohaereat Verbum *ἀπεθάνομεν*. Equidem non amplius [1]) a me impetrare possum, ut credam, formulam *ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ* aliter explicandam esse quam vs. 10 similem *τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν*. Hoc vero ut evitetur, ea referenda non est ad *sectatores* CHRISTI *in eius societate viventes*, sed ad *homines Iudaeorum aut gentium exterarum societate egressos*. Neque intelligi debet *assidua animi vitaeque emendatio*, sed *semel facta recessio e regione peccati imperio subdita*. Eandem enim PAULUS persequitur Prosopopoeiam, qua supra usus est. Mens igitur eius esse videtur: *quum nos* CHRISTI *sectatores tales simus, qui, Iudaeorum gentiumque exterarum societate relicta, peccati tanquam Domini imperio exierimus.* Quam interpretationem vs. 10 admittere quoque verba *τῇ ἁμαρ-*

---

[1]) Corrigatur igitur, quod monui in libro: *de leer van den doop* cet. p. 10 sqq. aliud Apostolum sibi voluisse vs. 2, aliud vs. 10.

τίᾳ ἀπέθανεν infra videbimus, dummodo ibi *proprie* sumatur, quod hîc *figurate* dicitur. Et primum huius interpretationis probitas apparet ex usu Aoristi *ἀπεθάνομεν*, quo, ut cum KOPPIO, KREHLIO, PHILIPPO monuere multi, *id* significatur, *quod semel factum est*, nempe quum homines exteri per baptismi ritum transgrediebantur ad CHRISTUM profitendum. Sic Apostolus suam ipse sententiam explicat vs. 3, 4; quare inter verba illa et praecedentia THEODORETUS nihil aliud interponit quam quaestionem: *καὶ πῶς ἀπεθάνομεν;* Ibi autem quum *Passivo ἐβαπτίσθημεν Activum* inclusum sit, minus recte RÜCKERTUS Verbo *ἀπεθάνομεν Passivam* tantum notionem inesse contendit. Hoc ipso igitur Composito, uti propter connexum Dativum potius reddendum est *demortui sumus*, quam *mortui sumus*, ita quoque indicatur quod CHRISTI sectatores *egerunt*, quum baptismi ritum subibant. Quare hinc aliena est formula *ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ*, Cap. VII: 4, ab haud paucis comparata. Deinde hanc interpretationem insigniter commendant similia *Gal.* II: 19. *Col.* II: 20, quae recte MEIIERUS etiam excitavit. Et probitatem eius ostendit Singulare *τῇ ἁμαρτίᾳ* (non Collectivum, ut FRITZSCHIUS putavit), quo Abstractum, quod extra hominem est, denotatur, uti vs. 6, 7, 10, 11 cet. Plurali 1 *Pet.* II: 24, quod etiam non fugit KREHLIUM, denotantur *peccata* hominum, qui societatem cum CHRISTO nondum contraxerunt, item Cap. VII: 5. 1 *Cor.* XV: 3.

Apodosis: *πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ* se ipsa fere explicat. Dissimilis non est quaestio apud EZECHIELEM, Cap. XXXIII: 10: *ἐν αὐταῖς* (praecedunt *πλάναι* et *ἀνομίαι*) *ἡμεῖς τηκόμεθα, καὶ πῶς ζησόμεθα;* Verbum

ζῆν, ubi post se habet Praepositionem ἐν cum Dativo, proprie *locum* aut *tempus, in quo vivitur* significat, unde ad *personae* vel *rei communionem* refertur, uti *Act.* XVII: 28. *Rom.* VI: 11. X: 5. *Gal.* II: 20. *Col.* III: 7 [1]). Ita hîc postrema ἐν αὐτῇ sibi volunt *in communione eius.* Particula πῶς sequente Futuro *id, quod fieri nequit*, denotat, ut praeter alios GROTIUS monuit et vidimus Cap. III: 6. Ergo aliis verbis PAULUS dicit: *non amplius fieri potest, ut in peccati communione vitam agamus.* Quo quidem dicto perspicue docuit, non opus esse, ut data opera occurreret quaestioni: *dicemusne: adhaerescamus peccato?* quippe absurdae et sua sponte cadenti.

Vers. 3.

Ad ipsos lectores, quo magis a peccando absterreantur, PAULUS orationem convertit hanc iis proponens quaestionem: *Ἢ ἀγνοεῖτε, ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν.* Incipit igitur, aeque ac Cap. VII: 1, a dicendi formula, quae praecedere solet illud, quod extra controversiam positum est et ab uno tamen alteroque in dubium vocari potest. Particulam ἤ, uti Cap. II: 4. III: 29, sic alibi, apud antiquissimos etiam scriptores [2]), eodem modo usurpatam reperimus. Scri-

---

[1]) Cf. WETSTEN, qui aliunde quoque exempla collegit. Proprii usus exempla iam praebet HOMER. *Odyss.* XVII. vs. 391. XXII. vs. 222. Vide etiam 2 *Sam.* XVIII: 14. *Col.* II: 20. *Tit.* II: 12.

[2]) Illustre exemplum vide apud HOMERUM, *Iliad.* XV. vs. 504, 506.

bens autem: *vel an nescitis*, auctor dicere voluit: *vel an tam hebetes estis, ut nesciatis?* Vocabulum Ἰησοῦν, quo carent nonnulli libri veteres, FRITZSCHIO suspectum fuit, sed gravioribus nititur testimoniis, quam ut fides eius in dubium vocari possit. Neque insolenter, ut ex *Act.* XIX: 3—5 apparet, βαπτίζεσθαι εἰς Ἰησοῦν dicitur, quod KREHLIUS alienam manum prodere opinatus est. Ex eo autem, quod huic nomini proprio, ut multis in locis, appellativum Χριστόν praepositum est, *dignitatem*, qua IESUS ille ab aliis distinguatur, in censum maxime venire intelligimus. Verbum βαπτίζεσθαι in N. T. ubicunque ad homines refertur CHRISTI sacris initiatos, *baptismi ritum* significat. Inter sensum vero Nominum, quae cum Praepositione εἰς hoc Verbum sequuntur, multum interest pro orationis diversitate. Ergo locis, quos FRITZSCHIUS aliique VV. DD. compararunt, duo tantum insunt, qui huic loco lucem praebeant: 1 *Cor.* X: 2 et *Gal.* III: 27. Ibi breviter enunciata: εἰς τὸν Μωυσῆν et εἰς Χριστόν explicanda sunt *ad communionem* MOSIS et *ad communionem* CHRISTI, ut illic, nisi fallor, docet argumentum, quod ab auctore tractatur, hîc connexum Χριστὸν ἐνεδύσασθε. Iam si hac tanquam trutina examinantur verba: ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, sensus huc redibit: *quotquot baptismi ritu perducti sumus ad communionem* CHRISTI IESU. Aoristum ἐβαπτίσθημεν BENGELIUS interpretatur: *baptismum admisimus*. Quod quamquam minus probo, RÜCKERTO tamen, OLSHAUSENIO, PHILIPPO assentiri nequeo Passivi notionem adeo urgentibus, ut Activa plane excludatur. Aliud profecto in N. T. multi suadent loci, uti *Luc.* VII: 29, 30. *Act.* II: 38, 41. IX: 18. [1 *Cor.* X: 2.] *Gal.* III: 27,

quorum ad interpretationem adiuvant *Matth.* III: 6. *Marc.* I: 5. *Ioann.* III: 23. 1 *Cor.* XV: 29, item 2 *Reg.* V: 14. *Iudith.* XII: 7. *Sir.* XXXI: 25. Et quis ignorat, baptismi ritum subiisse neminem, nisi prius ipse fidem suam profitens accessisset pedibusque in aquam descendisset? Pronomen ὅσοι, *quotquot*, vulgo tantumdem valere dicitur, quantum Adiectivum *omnes*. Mihi vero auctor non inconsiderate Pronomine, quod exceptionem ferebat, usus esse videtur, quoniam Romana sectatorum CHRISTI societas ei invisitata nec plane cognita erat. Ante triennium fere *Ephesi* (*Act.* XIX: 1—3) ab hominibus quibusdam, *discipulorum* (μαθητῶν) nomen gerentibus, quos rogare coactus erat: *Εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε;* responsum acceperat: *Εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα:* quidni *Romae* inter *discipulos* fuisse potuerunt, quibus baptismus quidem administratus esset, nec tamen εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν? Et Pronomine ὅσοι alios ab aliis distinguere solet, uti supra Cap. II: 12, infra VIII: 14, item *Gal.* III; 10. VI: 12, 16 cet. Sed hac quaestione ad vs. 17 denuo occupabimur. Nunc quaestio agitur, *cuiusmodi* hîc spectetur *communio.* Apostolus ipse hoc non declarat: si vero ille sibi nullam aliam proponere potuit quam congruentem cum proxime sequentibus εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ, neutiquam communio intelligenda est, CHRISTI *exemplum imitans*, quod summo iure CALVINUS et BEZA iam refutarunt, nec CHRISTI *doctrinam profitens*, quod GROTIO etiam minus recte placuit, sed *qua quis* CHRISTUM *quasi induat et in eum totus quasi transeat.* Verba sunt VITRINGAE [1]), quocum hodie praeter HUGENHOLTZIUM

---

[1]) *Quid sibi velit Phrasis Scripturae Novi Testamenti*, BAPTIZARI IN NOMEN *alicuius* cet. *Observ. Sacr.* Tom. I. p. 822.

summatim consentiunt PHILIPPUS, TUKKERUS, BISPINGIUS, MEIERUS aliique. Atque hanc suam mentem ipse PAULUS explicat infra vs. 6. *Gal.* II: 20. III: 27, ubi Protasi: ὅσοι γὰρ εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε subiici vidimus Apodosin: Χριστὸν ἐνεδύσασθε. Sed loci illi opem quoque ferunt interpretationi alterius orationis partis: ὅτι — — εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν, quae nunc aggredienda est. Nonnulli, uti RÜCKERTUS et GLÖCKLERUS hîc propriam *immergendi* notionem Verbo ἐβαπτίσθημεν vindicare studuerunt, sed recte FRITZSCHIUS aliique hoc improbarunt, quum figurata notio per totum N. T. ubicunque sectatorum CHRISTI ratio habetur, sibi constet et Praepositio εἰς in posteriore membro aliter quam in priori accipi non possit. Inconsulte tamen agunt, quotquot in aquam descendendi morem, hominibus, qui baptismum subirent, a rerum Christianarum incunabulis inde usitatum, Apostolo ante oculos fuisse negant. Contra BOSVELDIUS noster enucleate ostendit, quantum moris illius consideratio iuvet ad illustranda, quae vs. 3 et maxime vs. 4 leguntur [1]). Quid, quod ea iam illustrant loci veterum, in quibus Verbum βαπτίζεσθαι, Praepositionem εἰς post se habens, proprie *immersionem* significat, ut apud PLUTARCHUM [2]) legimus: βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν, et apud CLEMENTEM *Alex.* [3]): ὁ μὴ εἰς σοφίαν ἐγρηγορῶν dicitur ὑπὸ μέθης βαπτιζόμενος εἰς ὕπνον. Quemadmodum enim ibi cum Verbo βά-

[1]) Minus opportune multi tamen provocant ad SUICERUM. Tom. I. p. 259 sqq. Verba enim ἀναδύω et καταδύω, quae ibi memorantur, recentioris aetatis sunt.

[2]) *Moral.* p. 166 A.

[3]) *Paedagog.* Lib. II. cap. 2. Tom. I. p. 182 POTT.

πτισον et Participio *βαπτιζόμενος* arctissime cohaerent subiecta, et cuncta hanc sibi postulant interpretationem: *immerge te in mare* et *se immergens in somnum;* sic in PAULI oratione ab Aoristo *ἐβαπτίσθημεν* praecedentia *εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ* non separanda et explicanda sunt: *ut cum eo moreremur*, quod haud pauci fecere a CHRYSOSTOMO aliisque Patribus decepti; sed omnia coniunctim sumenda et hunc in sensum exponenda sunt: *nos per baptismum mortis eius participes factos*, seu *cum eo mortuos esse.* Similiter MEIIERUS aliique iudicarunt, iam *Ambrosiaster* scribens: „Cum baptizamur, commorimur CHRISTO. Hoc est in morte eius baptizari." Huic autem interpretationi, qua mors CHRISTI symbolice ad sectatorum eius mentem et vitam transfertur, fidem faciunt quae vs. 6. *Eph.* IV: 22. *Col.* III: 9 de *exuto veteri homine peccati servo* leguntur. Atque sic demum Apostolus in luce ponere deprehenditur, quam recte supra scripserit: *οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ;* siquidem inde, quod *veterem hominem exuissent*, sequitur, *eos peccato demortuos esse.*

Vers. 4.

Quum sepultura mortem sequi soleat, PAULUS praecedenti sententiae novam adiicit, cuius prima pars est: *Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον*, i. e. *sepulti igitur cum eo sumus per baptismum in mortem.* His vero verbis non usus esset, nisi indiguisset iis ad proponendam doctrinam, sectatores CHRISTI tamquam e sepulcro suscitatos esse, quo novam vitam agerent. Quare mirandum non est, tota

hac in oratione vs. 5 sqq. quamvis *mortem* et *vitam* comparare pergat, nullam amplius *sepulturae* mentionem fieri. Multo minus cum STUARTO aliisque hinc argumentum petere licet contendendi, *immersionem* hominum, qui baptismum subirent, *in aquam*, ad mentem auctoris explicandam, cuius rei causa ab antiquo adhibita est, in censum non venire. REICHIUS, utraque sententia suo momento ponderata, tandem vulgarem non omnino improbandam esse concludit. Et sane tum demum dictio, homines baptismum subeuntes cum CHRISTO in sepulcrum descendisse, audacior esse desinit, si ansam ei dedisse existimamus imaginem inde profectam, quod Apostolus ad ritus illius administrandi morem, suo tempore, ut in multis Novi Testamenti locis traditum est, usitatum attenderit animum. Reapse tamen haec imago nihil continet, quod differat a praecedentibus: *εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν*. Quod quum ipse concedat MEIIERUS, verba eius minus intelligo, ubi hominem, quum baptismum subeat, proponit cogitantem; *Nunc in mortis* CHRISTI *communionem venio;* quum in aquam immergatur: *Nunc cum* CHRISTO *sepelior;* quum ex aqua erigatur: *Nunc cum* CHRISTO *ad novam vitam suscitor*. Utut enim harum cogitationum prima et tertia probabiles sunt, in media certe nihil aliud quam merus ingenii lusus cerni videtur. Rursus vero V. D. rem acu tetigit, WETTIO, PHILIPPO, HUGENHOLTZIO aliisque assentiens interpretibus, qui verbis *συνετάφημεν αὐτῷ* non *similitudinem*, sed *communionem* significari monuerunt. Verumtamen ad vs. 6. Cap. VIII: 17. *Gal.* II: 20. *Col.* II: 12. III: 1. 2 *Tim.* II: 11, quibus STUARTUS ad contrariam sententiam tuendam usus est, minus provocare auderem, nisi locis

illis ad quaestionem dirimendam pondus adiiceret comparatio verborum συνεζωοποίησεν (ὑμᾶς) σὺν αὐτῷ *Col.* II: 12, ubi repetitio Praepositionis σύν ostendit, quomodo praecedentia συνταφέντες αὐτῷ ceteraque exempla, in quibus ea semel tantum legitur, accipere debeamus. Sicuti autem sensus, quem verbis: εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν vindicavi, hîc aliam non patitur interpretationem quam: *cum eo sepulti sumus;* sic frustra MAIERUS aliique hoc negandum esse cogunt e Particulis ὥσπερ οὕτω, quippe ad posterioris membri comparationem pertinentibus, ad prioris membri imaginem non item. Ceterum Coniunctio οὖν, *igitur*, non *atque adeo*, ut scripsit KOPPIUS, ad *consequentiam* denotandam inservit. Neque in adiunctis εἰς τὸν θάνατον diu moremur necesse est. Quod BAUMGARTEN-CRUSIUS ait, paucos tantum fuisse, qui ea connecterent cum proxime praecedentibus: διὰ τοῦ βαπτίσματος, fortasse in antiquiores quadrat interpretes; hodie vero vix unus et alter est, a quo connectantur cum remotioribus: συνετάφημεν αὐτῷ. Nec levi de causa FRITZSCHIUS et MEIIERUS, quibus hoc primum placuerat, mentem postea mutarunt. Si PAULUM enim dicentem facimus: *ad communionem mortis eius cum eo sepulti sumus*, oratio eius vertitur in absurdum [1]). Quod tam clare elucet, ut ulterior disputatio supervacanea sit. Obiter tamen monere lubet, structuram nunc vulgarem confirmari eo, quod Apostolus sine Pronomine

---

[1]) Qui hoc evitare cupit, in orationem Tautologiam ingratam importare cogitur, ut fecit WILKIUS, *Hermeneut.* Tom. II. p. 92 interpretans: „in den Todt hinein begraben, d. h. wir sind mit ihm Todte geworden."

αὐτοῦ scripsit εἰς τὸν θάνατον. Itaque sibi voluisse videtur: *Ergo quum per baptismum mortem subiissemus,* seu *mortui essemus, cum eo sepulti sumus.*

Quonam consilio haec sepultura facta sit, posteriori in membro PAULUS sic exponit: *ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν.* In Protasi interpretum ingenia maxime exercuit formula *διὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρός.* THEOPHYLACTUS eam explicat: *διὰ τῆς οἰκείας θειότητος*, addens: *δόξα γὰρ τοῦ Πατρὸς ὁ υἱός.* Similiter THEODORETUS, OECUMENIUS aliique veteres. Praepositionem *διά* pro *εἰς* accipiendam censentes, BEZA, ESTIUS, BOSVELDIUS interpretati sunt *in* seu *ad gloriam Patris*, quod iam PELAGIO et longe ante *Syro* placuit. Utrumque satis refutavit FRITZSCHIUS. Recte itidem per loquendi usum non licere ostendit, ut vocabulo *δόξα*, ac si permutatum sit cum *δύναμις*, notionem *potentiae* tribuamus, aut Latine scribamus: *per potentiam gloriosam Patris*, quae VATABLI, LUTHERI, CALVINI, GROTII fuit sententia, ab haud paucis postea probata. Ipse V. D. PAULUM sibi voluisse putavit *per maiestatem Patris.* Atque ita omnino aut summatim REICHIUS, KÖLLNERUS, GLÖCKLERUS, MICHELSENIUS, KREHLIUS, MEIJERUS. Sed quomodo hoc cum circumiectis cohaereat, equidem minus intelligo, nisi veterem in errorem recidere velimus ad *potentiae* notionem appellationi *maiestatis* subiiciendam, quod ab interpretum illorum plerisque factum video. Quid igitur superest? An fortasse comparatio formulae *διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς*, Cap. II: 27, similiumque, in quibus Praepositionem *διά* cum Genitivo ad *transitum per conditionem quandam* ante oculos collocandum

inservire vidimus? Ergone Graeca, quamquam vertendo reddenda sunt *per gloriam Patris*, hunc habent sensum: *gloriae Patris particeps factus?* Ita certe me non tangit, quod MEIERUS ad reprehendendam interpretationem CASTALIONIS: *in gloria Patris* disputavit. Sed aequis iudicibus dirimendam relinquo litem, quae paulo minoris ponderis est. Quare nihil amplius notandum habeo, quam Nomen *Χριστός* vice Pronominis *αὐτός* fungi. At studiose et gravitatis quidem causa ita scriptum esse, docent alii loci, uti *Gal.* II: 16. *Eph.* II: 13. *Phil.* III: 8, ubi itidem duabus appellationibus *Χριστὸς Ἰησοῦς* una *Χριστός* respondet. Inde apparet etiam, quam imprudenter FRITZSCHIUS ex eo, quod hîc tantum *Χριστός* legitur, argumentum petierit Nominis *Ἰησοῦν* vs. 3 delendi. Satis igitur illustrata est Protasis: *ut quemadmodum* CHRISTUS *de mortuis suscitatus est per gloriam Patris.* Hanc autem si sequitur Apodosis: *ita etiam nos in novitate vitae ambulemus*, paucissima tantum sunt, quae explicatione indigeant. Participium *ἐγερθέντες*, quod STUARTUS Pronomini *ἡμεῖς* cogitando addidit, in CHRISTI sectatores quidem quadrat, sed PAULUS eo uti noluit, quippe incommodo orationi lectores docenti, quid agere deberent, postquam baptismum subiissent. Satis quoque illi, se ad reviviscendum e peccati tanquam morte suscitatos esse, intelligebant e Verbo *περιπατήσωμεν*, quod ex Hebraeorum more in N. T. ad *vitae rationem* indicandam usurpatur. Ab eo igitur 2 *Cor.* IV: 2. *Eph.* II: 2, 10. IV: 17. *Col.* IV: 5 al. Praepositio *ἐν* cum Dativo pendet ad hanc rationem quasi *regionem, in qua versandum sit*, proponendam. Sermonis Latini proprietati consultum erit hoc loco scribendo: *ita etiam nos in novi-*

tate vitae assidue versemur. Cum formula *ἐν καινότητι ζωῆς* comparari solet similis *ἐν καινότητι πνεύματος* Cap. VII: 6. Hinc vero iam apparet errasse LUTHERUM, BEZAM, GROTIUM et quotquot formula illa *novam* tantum *vitam* significari putarent. At valde tamen dubito, an FRITZSCHIUS aliique, contrariam in partem disputantes, id, quod verum est, assecuti sint. Equidem Apostolum aliud egisse crediderim, quam ut vitae Christianae *novitas* emineret, quod iam curare potuisset Adiectivum Substantivo proponens et scribens: *ἐν καινῇ ζωῇ.* Sed, ut supra Cap. V: 17 vidimus, Substantivum pro Adiectivo positum esse videtur ad gravitatem Substantivi sequentis, utpote in oratione primarii, attollendam. Hinc haud longe differt, quod MAIERO placuit, in vocabulo *ζωῆς* Genitivum Appositionis cerni et coniuncta *ἐν καινότητι ζωῆς* explicanda esse: *in novo rerum statu, quae vita est.*

Vers. 5, 6.

Quantum necessitudinis inter hanc vitae rationem et communionem mortis CHRISTI sit, PAULUS lectores docere incipit vs. 5 scribendo: *Εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα.* In Protasi VV. DD. a MEIIERO memorati aliique inter se discrepant, utrum Adiectivum *σύμφυτοι* connectendum sit cum sequentibus *τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ*, an vero sibi constet, intellecto sive Dativo *αὐτῷ*, i. e. *Χριστῷ*, seu Genitivo *αὐτοῦ*, i. e. *Χριστοῦ.* Ipse MEIIERUS

illam structuram orationi apprime accommodatam esse et bonum sensum praebere ait, hac vero sumi vocabuli omissionem, quae ambiguitatem pariat. Atqui utramque opinionem eum fefellisse puto. Quamquam enim coniecit ERASMUS, Praepositionem σύν pertinere ad Iudaeos et gentes simul in unum CHRISTUM collectos, huic tamen coniecturae nemo facile applaudet, quia *solam* CHRISTI *communionem* ea indicari luculenter ostendunt omnia vs. 3, 4 praecedentia et vs. 6 Verbum συνεσταυρώθη. Quin etiam hoc Verbo auctor satis superque docuit, se supra, quamvis vocabulo σύμφυτοι Pronomen αὐτῷ vel αὐτοῦ non addidisset, CHRISTUM intellexisse: quemadmodum vocabulum illud *Zach.* XI: 2 sine Pronomine legitur. Altera vero structura, et interiecto Verbo γεγόναμεν quodammodo impeditur, et ingratum quendam inducit Pleonasmum, et cum Substantivo ὁμοιώματι connectit Adiectivum σύμφυτοι, quod notione caret ei consentanea, quaecunque tandem praefertur aliis. Sed quo accuratius legi, quae LOESNERUS, FRITZSCHIUS, PHILIPPUS, MEIIERUS, alii ad notionem illam constituendam attulerunt in medium, eo incertior factus sum propterea, quod vocabulum apud veteres, ut iam ex ASTII *Lexico Plat.* intelligimus, πολύσημον est nec finibus suis circumscriptum. Et quidem utrum illud *coniuncti*, an *concreti* interpretari praestet, animi pendeo. Ergo nihil aliud mihi relictum est, quam ut Latine scribam: *si enim coniuncti* (aut *concreti*) *facti sumus similitudine mortis eius.* De eo enim mihi persuasissimum est, Dativum τῷ ὁμοιώματι *Instrumentalem* esse, qualem supra Cap. V: 17 verba τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι continere vidimus. Coniuncta autem τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανά-

του αὐτοῦ cum MAIERO explicanda esse: *ἀποθανόντες ὁμοίως, καθὼς ὁ Χριστὸς ἀπέθανε*, negari nequit. Haec ipsa vero sufficiunt ad refellendos interpretes, quotquot cum CHRYSOSTOMO putarunt, PAULUM praecedenti *σύμφυτοι* haud secus *sepulturae* quam *mortis* rationem habuisse. Sed opinioni illi quoque obstat Perfectum *γεγόναμεν*, quippe, ut STUARTUS recte monet, *id* significans, *quod ita factum est, ut perpetuo valere pergat.* Itaque Protasis, quidquid in ancipiti manet, sensum certe habet huc redeuntem: *si enim nostra cum* CHRISTO *communio haec est, ut* (per baptismum peccato) *mortui simus, quemadmodum ille mortuus est* (in cruce).

Difficultates, quibus Apodosis laborat, minus molestae sunt. Particulis *ἀλλὰ καὶ* quin respondeant Latina *sed etiam*, hodie nemo paulo prudentior in dubium vocabit. Similiter Adversativa *ἀλλά* in sententia Hypothetica ab initio Apodoseos stat apud XENOPHONTEM [1]), ubi dicit: *Εἰ δὲ τοῦτο ψεύδονται, ἀλλ' ὅτι γε τῶν ἀνθρωπίνων πεζῇ πορειῶν αὕτη ταχίστη, τοῦτο εὔδηλον.* Atque ita apud veteres saepissime [2]). PHILIPPUS hunc attulit HOMERI locum [3]):

Εἴπερ γάρ σ' Ἕκτωρ γε κακὸν καὶ ἀνάλκιδα φήσει,
Ἀλλ' οὐ πείσονται Τρῶες cet.

Sed sola ex *Iliade* dicere non ausim, quot peti possint exempla [4]). Imitati hoc sunt scriptores Ecclesiastici,

---

[1]) *Cyr. Disc.* Lib. VIII. cap. 6. § 18. Similiter Lib. I. cap. 3. § 6.

[2]) Cff. HARTUNG l. c. Tom. II. p. 40, 41. KYPK. ad 1 *Cor.* IV: 15.

[3]) *Iliad.* VIII. vs. 153, 154

[4]) Vide e. c. *Iliad.* X. vs. 111—114. XVI. 36—38. XIX. 164, 165. XXI. 576, 577. XXII. 191, 192. XXIV. 768—771.

uti CLEMENS *Alex.* [1]) scribendo: *Εἰ γαρ καὶ τὰ μάλιστα ἀποφεύγειν οἴονται τῆς πλάνης, ἀλλ' εἰς ἑτέραν κατολισθαίνουσιν ἀπάτην.* FRITZSCHIO quidem largior, ita scripsisse veteres, quo graviorem Apodosin opponerent concessis in Protasi; sed quomodo hic usus Particulae ἀλλά cum vera eius notione conveniat, nondum satis patet, nisi explicetur e Breviloquentia, cui succurrendum sit repetendis verbis, quae in Protasi legantur. Et haec quidem repetitio ita fieri debet, ut iis nunc unum vocabulum *μέν*, nunc duo *οὐ μόνον* adiungamus. Utriusque rationis exempla tam in N. T. quam in locis veterum supra memoratis exstant. Illud igitur ad *Marc.* XIV: 29. 1 *Cor.* IV: 15. IX: 2. 2 *Cor.* V: 16. XI: 6 applicetur, hoc vero ad 2 *Cor.* IV: 16. XIII: 4. *Col.* II: 5. Atque ita praeter alios locum, in quo versamur, explicuerunt REICHIUS et MAIERUS, qui minus recte tamen ait, similia in N. T. frustra quaeri. Praecessit magnus CAMERARIUS, cuius gravitate fretus me perturbari non patior a FRITZSCHIO hoc „opportunum commentum" vocante, „quo e difficultatibus facile te expedias." Ille enim orationem *ἐλλειπτικῶς* accipi posse monet, ut sensus sit: *non hoc modo, sed conseremur etiam in similitudinem resurrectionis.* Sed quae alii VV. DD. in medium attulere [2]), satis probare videntur, me nihil sumere a loquendi usu alienum. Quid? quod hanc repetitionem ipse nobis praeiit Apostolus scribendo tantum *τῆς ἀναστάσεως*, qui Genitivus pendet a praecedentibus *τῷ ὁμοιώματι*, quemad-

---

[1]) *Protrept.* cap. V. Tom. I. p. 56, 57 POTT.

[2]) Cff. BOS l. c. p. 788 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 440. WINER. p. 520, 521.

modum Cap. III: 27 Genitivus τῶν ἔργων a vocabulo νόμου. Sic alibi quoque *compendiariae*, quam dicunt, *comparationi* succurrendum esse, MEIIERUS aliique ostendunt. Quod enim putarunt nonnulli, uti RÜCKERTUS, OLSHAUSENIUS, WETTIUS, KREHLIUS, Genitivum τῆς ἀναστάσεως ad Adiectivum σύμφυτοι pertinere, etiamsi eadem in sententia probabilis sit unius vocabuli connexio cum duobus casibus, vel sic tamen sua sponte cadit, si supra mihi effecisse contigit, illud Adiectivum ad Dativum τῷ ὁμοιώματι referri non posse. Neque audiendi sunt, qui cum ERASMO et CALVINO Genitivum τῆς ἀναστάσεως a Verbo ἐσόμεθα pendentem faciunt, quippe quod, et posteriori membro formam affingit a prioris membri forma omnino discrepantem, et orationis perpetuitatem tollit. Genitivo autem illo *reditum* CHRISTI *in vitam* significari, tam evidenter docent praecedentia τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ut recentiori etiam aetate fuisse mirer, qui aut *mortuorum reditum in vitam*, aut *novae vitae instaurationem hac in terra*, aut aliud hinc aeque alienum intelligerent. Si quis obiicit fortasse, sine Pronomine αὐτοῦ tantum legi τῆς ἀναστάσεως, quid tandem est, cur non videat, Pronomen illud e Protasi repetendum esse? Exemplum simile dant verba IUSTINI *Mart.* [1]): Ἀκούσατε δὲ πῶς καὶ περὶ τῶν κηρυξάντων τὴν διδαχὴν αὐτοῦ καὶ μηνυσάντων τὴν ἐπιφάνειαν (scil. αὐτοῦ) προερρέθη. Ergo mens auctoris esse videtur: *non solum coniuncti* (*concreti*) *cum eo facti sumus similitudine mortis eius, sed etiam similitudine reditus eius in vitam erimus*, i. e. *quemadmodum per baptismum eo, quod ad novam*

---

[1]) *Apol.* II. p. 78. C. Col. 1686.

vitam erigebamur, *similes* CHRISTI *in vitam revocati facti sumus*, *sic novam vitam agemus*, nimirum, *si*, *ut oportet*, *nobis constabimus*. Similiter BEZA, GROTIUS, BENGELIUS aliique. Futuro ἐσόμεθα denotari *id*, *quod necesse est*, recte quidem cum HODGIO monet RÜCKERTUS, sed quum nulla alia necessitas in censum veniat quam *moralis*, reapse non dissentiunt, qui *id*, *quod fieri debet*, intelligi volunt. Praeter locos a STUARTO excitatos: *Lev.* XIX: 17, 18. *Deut.* VI: 5 sqq. *Iud.* XIII: 13, 14. *Matth.* IV: 10. XXII: 37, 39, conferri merentur 2 *Sam.* XIII: 12. *Matth.* XIX: 5. 1 *Tim.* VI: 8. Et hunc Futuri usum Graecis familiarem fuisse, exemplorum copia VV. DD. probant [1]). Ipsa autem Futuri notio, quod etiam PHILIPPO et MEIJERO non displicet, retinetur verbo *erimus* sic circumscribendo: *si*, *ut oportet*, *nobis constabimus*. Plura vero disputare nihil attinet; absurda enim sunt proxime sequentia: τοῦτο γινώσκοντες, nisi praecedere sumamus officii admonitionem.

Quid vero haec: τοῦτο γινώσκοντες vs. 6 significant? Haud dubie erravit FRITZSCHIUS ea interpretans: καὶ τοῦτο γινώσκομεν, *neque hoc non reputabimus*. Ita enim nexus orationis tollitur. Quod ut avertatur, cum plerisque interpretibus explicanda sunt: *quippe qui hoc novimus*. Si quis vero rogat, quid hoc sibi velit, statim se offert quaestio, cur PAULUS Participio γινώσκοντες uti maluerit quam εἰδότες, quo vs. 9 usus est. Atque sic ad quaestionem multo graviorem ducimur, an veteres Verba γινώσκειν (vel potius γιγνώσκειν) et εἰδέναι distinxerint, et, si hoc verum esse

---

[1]) ZEUN. et HERM. *ad Viger.* p. 198, 199, 740. BERNH. p. 378. KÜHNER. Tom. II. p. 82, 83. WINER. p. 323, 324. [Ed. VI. p. 250].

deprehenditur, quid inter utrumque apud eos interfuerit. Vehementer autem doleo, quod in Lexicis et alibi responsionem frustra quaesivi. Sed simul doleo, quod hinc aliena est copiosa disputatio, sine qua res in luce, quae requiritur, poni nequit. Ergo compendium faciens eorum, quae animadvertisse mihi videor, breviter tantum dicam: haec Verba, me iudice, revera distinguenda esse et haud raro ita differre, ut alterum, *εἰδέναι*, *notitiam quamvis, praesertim per corporis sensus, aut certe ab aliis acceptam* denotet, alterum, *γινώσκειν*, *cognitionem mentis actionibus acquisitam:* propterea illud, utpote latissime patens, saepissime comprehendere quod huic proprium sit; hoc vero, utpote circumscriptum, cum illo non permutari: tale discrimen in Graecorum libris passim se prodere: [1]) exemplum iam apud HOMERUM reperiri, quum HECTOREM uxori suae dicentem faciat: [2])

Εὖ μὲν ἐγὼ τόδε οἶδα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν·
Ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή cet.

et Troianorum alacritatem excitantem verbis: [3])

Γιγνώσκω δ', ὅτι μοι πρόφρων κατένευσε Κρονίων
Νίκην καὶ μέγα κῦδος, ἀτὰρ Δαναοῖσί γε πῆμα:

idem in N. T. multifariam cerni, in locis etiam haud paucis, ubi haec Verba conveniant, uti *Matth.* XXIV:

---

[1]) Cff. THUCYD. Lib. VI. cap. 64. PAUSAN. *Graeciae descript.* Lib. IX. cap. 40. Sed legatur SIEBELIS *Vol.* IV. *Annot.* p. 136, 137.

[2]) *Iliad.* VI. vs. 447, 448.

[3]) *Iliad.* VIII. vs. 175, 176.

43. *Luc.* XII: 39. *Rom.* VII: 7, 14, 15. *Gal.* IV: 8, 9. 1 *Thess.* III: 3—5. 1 *Ioann.* II: 29—III: 2. V: 20, et hac de causa *Eph.* V: 5 legi, ut a GRIESBACHIO aliisque editum est: *τοῦτο γὰρ ἴστε γινώσκοντες*: eum tamen me non esse, qui in locos incidi posse negem, in quibus aut nulla distinctio facienda sit, aut alia: sed CYRILLUM iam Alex. discrimen Verborum *εἰδέναι* et *γινώσκειν* observasse quum scriberet [1]: *Ἔθος τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ, τὴν διὰ πείρας αὐτῆς εἴδησιν, τὴν ἐφ' ὅτω οὖν* (l. *ὁτῳοῦν*) *τῶν πρακτέων, ἐσθ' ὅτε, τῷ τῆς γνώσεως ὀνόματι δηλοῦν:* mihi denique nullum subesse dubium, quin hoc certe loco Apostolus *cognitionem mentis actionibus acquisitam* significaverit, ut verba eius: *τοῦτο γινώσκοντες* dicere velint: *quippe qui hoc compertum habemus.* Quod ut a MEIJERI aliorumque interpretatione non longe discedit, ita luculenter ostendit, quomodo cohaereant praecedentia et sequentia [2].

Sequentia illa sunt: *ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ.* Horum vero pleraque nos minus morabuntur. Verbosam FRITZSCHII legere taedet disputationem de formula *ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος*, cuius ad explicationem nec Iudaeorum Theologia, nec Rabbinorum scriptis opus est, quum ex *Eph.* IV: 22 et *Col.* III: 9, ut RÜCKERTUS etiam monet, satis appareat, PAULUM significasse *veterem sentiendi rationem*, quam habuissent

---

[1]) *Contra Iulian.* Lib. III. p. 91, 92. SPANH.

[2]) His iam typo excusis SCHOLTENIUM nostrum vidi Verba *γινώσκειν* et *εἰδέναι* similiter distinxisse in *Godgeleerde Bijdragen voor* 1855. Part. V. p. 323.

Romani aliique CHRISTI sectatores, priusquam baptismum subiissent. Hanc sentiendi rationem ut *animis excussam esse* indicaret, scripsit συνεσταυρώθη, *una*, i. e. ut quisque sua sponte intelligit, *cum* CHRISTO *cruci affixa est*, quo *communionem mortis* tantum *crucis*, non *doloris huius mortis* denotavit, quemadmodum *Gal.* II: 19, 20, ubi formulam: διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον excipiunt verba Χριστῷ συνεσταύρωμαι. Lectorum igitur in memoriam revocavit mutationem, qua intus *principio* sensuum externorum cupiditatibus et voluptatibus se totos tradendi liberati essent, quum se CHRISTO devoverent. Illam autem mutationem eo consilio, ut corpus peccati imperio subesse desineret, factam esse monet verbis: ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας. Sed acerrimas lites peperit formula τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, quam, ut iam notavit ORIGENES, alii proprie, alii figurate acceperunt. Et VV. DD. quidem, qui hoc illi praeferebant, eam *peccati*, aut *essentiam*, quam dicebant, aut *substantiam*, aut *massam* significare putarunt, aut ad imaginem tantum continuandam inservire, ut nuper etiam MULLERUS [1]), KREHLIUS, PHILIPPUS. Sed sine dubio iis obstant loci, in quibus vocabulum σῶμα similem Genitivum post se habet, uti Cap. VII: 24. *Phil.* III: 21, praesertim vero verba, quibus vs. 12, 13 concluditur praecedens disputatio. Deinde admitti nequit interpretatio, quae sumere cogit, singula huius orationis membra, quamvis auctor ea perspicue distinxerit, eodem vel eodem fere redire [2]). Hactenus igitur

---

[1]) *Die Lehre* cet. Tom. I. p. 455 sqq.

[2]) Iure meritoque hoc quoque improbasse video PARAVIUM, *Hermeneut. Cod. Sacr.* p. 379. Nihil autem magis absonum est, quam quod GLASSIUS l. c. Tom. I. p. 645 coll. 851 contendit, *veterem ho-*

verum assecuti sunt VV. DD. a MEIJERO laudati, qui propriam interpretationem defendebant. Nec plausum tamen ferre merentur, qui cum FRITZSCHIO contendunt, *corpus* ab Apostolo *peccati sedem* vocari. Hoc enim neutiquam consentaneum est Verbo καταργηθῇ, cui, quum respondeat praecedenti συνεσταυρώθη, alia notio quam *tollendi* tribui nequit. Quis vero inter homines, quamdiu hac in vita versatur, *corpore peccati sede* exutus est? Recte igitur ipse MEIJERUS interpretes sequitur, qui *corpus* intelligunt *peccati imperio subiectum*. Ita τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, ut acute animadvertit WETTIUS, eodem modo explicatur atque ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος. Quemadmodum enim ibi id, quod sublatum est, non *hominem* spectat, sed *veterem hominem*, sic hoc loco *corpus* tantum, *quatenus peccati imperio subiectum est*, sublatum esse dicitur, *ipsum* vero *corpus* non item. Similiter autem *Genitivus possessoris* [1]) exstat Cap. VII: 24. *Phil.* III: 21, item *Col.* I: 22. II: 11, ubi CHRISTI sectatores *non ipso corpore exuti* dicuntur, sed *corpore carni subiecto* [2]). Et hoc nomine se illa commendat interpretatio, quod Prosopopoeiae favet vocabulo ἁμαρτία per totam hanc PAULI disputationem propriae. Itaque aliis verbis Apostolus dicit: *ut membra corporis non amplius peccati imperio subiecta sint*. Quomodo vero hoc *in vita hominum cerni* debeat, explicat verbis: τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ, i. e. *ut nos non amplius peccato serviamus*, scil. ad

---

minem, *corpus peccati* et *peccatum* idem esse, sed non sine Emphasi repeti.

[1]) Cf. WINER. p. 215 [Ed. VI. p. 170], 699.

[2]) Vide GRIETHUYSENIUM l. c. p. 79 sqq.

voluntatem eius cogitando, loquendo, agendo. Atque sic oratio ab interna sentiendi ratione ad corporis habitum, a corporis habitu ad totam vitam transgreditur. Articulus autem τοῦ ad *consilium* denotandum, aeque ac *Phil.* III: 3—10, Particulam ἵνα excipit [1]).

Vers. 7.

Quae sequuntur: *Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας*, ad confirmanda praecedentia, ut quisque sentit, inserviunt. Quaestio maxime est, utrum Participium *ἀποθανὼν naturalem*, an *moralem* mortem significet. Et huic quidem illud plerique praetulerunt, quamquam vel sic tamen et de orationis sensu et de notione Verbi *δεδικαίωται* inter se discrepantes. CAMERARIO monente „credibile videri potuit, PAULUM allusisse hoc loco ad iudiciorum capitalium sententias, quibus condemnati ad mortem non magis deinde delinquunt." Atque ita sane non negligitur notio *τῆς δίκης*, quam observarunt PLATO aliique veteres, quum Verbum *δικαιοῦν* interpretarentur *punire* [2]). Sed huic similive interpretationi, quamquam aliis quoque placuit, in N. T. refragatur loquendi usus. Vulgo VV. DD. qui Verbum *δεδικαίωται* proprie accipiendum esse censent, illud exponunt *absolutus* vel *liberatus est*, eorumque haud pauci, uti REICHIUS, RÜCKERTUS, BOSVELDIUS, PAULUM sibi voluisse putant, *non amplius peccare*

---

[1]) Cf. FRITZSCHIUS, *Euang. Matth.* cet. p. 845, 846.

[2]) Cf. praeter HESYCH. SUID. POLLUC. TIMAEI *Lexic.* p. 85 ibique RUHNK.

mortuos. Praeivere iam CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, Verbum reddentes *ἀπήλλακται, ἀπολέλυται, ἠλευθέρωται.* BASILIUS [1]), BEZA iudice, pulchre explicuit: *ἀπήλλακται, ἠλευθέρωται, κεκαθάρισται,* quae tamen inter se differunt. Ad hanc autem interpretandi rationem tuendam multi comparant quod infra vs. 18, 22 legitur: *ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας,* item quod 1 *Pet.* IV: 1 exstat: *ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ πέπαυται ἁμαρτίας.* Atqui sic similibus, quasi eadem sint, abutuntur ad id, quod suum est, Verbo *δεδικαίωται* adimendum. Nam uti illud nusquam *probandi* notione caret, ita *Act.* XIII: 39 ex iis, in quae oratio desinit: *ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται,* luculenter apparet praecedentibus: *ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωυσέως δικαιωθῆναι* vim inferri, nisi notio illa retineatur. Eiusdem numeri est dictum *Sir.* XXVI: 29: *οὐ δικαιωθήσεται κάπηλος ἀπὸ ἁμαρτίας,* utpote respondens alii supra vs. 28 proposito: *ἐπανάγων ἀπὸ δικαιοσύνης ἐπὶ ἁμαρτίαν.* Nec longe differt quod SIMEON [2]) ait: *Προείρηκα ὑμῖν πάντα, ὅπως δικαιωθῶ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας τῶν ψυχῶν ὑμῶν.* Utique negari nequit orationem PAULI praegnantem esse, ut sic resolvenda sit: *a peccato,* i. e. secundum Prosopopoeiam hîc regnantem, *a peccati imperio liberatus et probatus est.* Quod cum propria illa notione Participii *ἀποθανών,* ut ad homines haud secus a CHRISTO alienos quam CHRISTO devotos referatur, nullo modo in concordiam redigi potest. Multo minus hoc feliciter tentatur, quum Passivo *δεδικαίω-*

---

[1]) *De baptismo.* Lib. I. Tom. II. p. 640 GARN.
[2]) *Test. Sim.* cap. 6. p. 540, 541.

ται ad cogitandum de eo, *quod Divinitus factum est*, nvitemur. Sed in totam huius Capitis disputationem nihil magis incurrere videtur quam *mortis naturalis* commemoratio. Unum tantum est, quod huic interpretationi faveat, Articulus ὁ Participio ἀποθανών praefixus. Hinc enata est opinio, PAULUM *sententia* uti *communi*, ad homines quoscunque generatim applicanda. Nec sine causa hoc urgent MEIERUS aliique. Quid vero, si probare possim, Traditionem Exegeticam his interpretibus fraudem fecisse? Nimirum ingens, ut apud scriptores exteros, ita in N. T. locorum copia est, in quibus Articulus cum Participio longe absit a *sententia communi* inducenda, aut *quoscunque* denotando *homines*, sed *eum* spectet, *qui supra commemoratus est*. Exemplo nobis sint *Matth.* XIII: 20, 22, 23. XXV: 20. *Luc.* X: 29. *Rom.* VIII: 11. 1 *Cor.* V: 2. *Gal.* II: 8 *Hebr.* II: 11. Iam nonne secundum hunc loquendi usum verba ὁ ἀποθανών ad Subiectum orationis proxime praecedentis: ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος referre et hunc versum explicare licet: *ille enim, in quo vetus homo mortuus est, a peccati liberatus est imperio et Divinitus probatus?* Sic nulla superesse videtur causa, quominus in figurata notione Participii, quam PHILIPPUS nuper etiam defendit, sine scrupulo acquiescamus. Haec autem interpretatio eo nititur, quod Verbum συνεσταυρώθη, ut supra vidimus, non ad *hominem*, sed ad *veterem hominem* pertinet. Nec Articulo ad Subiectum versus praecedentis relato, Tautologia, quae obiicitur, orationem amplius deformat. Quare eorum quoque in partes ire non cogimur, qui veluti medium tenentes verba ita explicant, ut coalescat proprium cum figurato. Quod ab OLSHAUSENIO, STUARTO, MAIERO et quam

plurimis factum est, qui ceterum *mortem naturalem* intelligi volebant, praeeuntibus CHRYSOSTOMO, GROTIO, aliis.

Vers. 8, 9.

Ab eo, in quo vetus homo mortuus est, auctor ad lectores suos, quatenus mortui sunt *cum* CHRISTO, transiens vs. 8 ait: *Εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ, πιστεύομεν, ὅτι καὶ συζήσομεν αὐτῷ.* In Protasi Emphasin habent postrema *σὺν Χριστῷ*, quae *communionem mortis* CHRISTI expresse memorant, ut *communio vitae* CHRISTI ei in Apodosi opponatur. Ceterum nihil hîc in lite est nisi Verbum *συζήσομεν*, cuius triplex exstat interpretatio. Nonnulli illud pariter proprie et figurate accipiunt, *vitam probam hac in terra* et *futuram post mortem* intelligentes. Haec vero Dilogia in omnem interpretandi legem incurrit nec habet in circumiectis, quo commendetur. Nobis igitur optio tantum datur alterutrum eligendi. Et primo certe adspectu Verbum *πιστεύομεν* postulare videtur, ut sequens *συζήσομεν* ad *vitam futuram* referamus. Mirandum igitur non est, hoc CHRYSOSTOMO, THEODORETO, GROTIO, REICHIO, MAIERO, aliis placuisse. Rursus vero his partibus minus favent circumiecta, inde a vs. 2 usque ad 11. Et figuratam notionem Verbi *συζήσομεν* commendat oppositum *ἀπεθάνομεν*, quod contradicente nemine *mortem moralem* denotat. Itaque *vitam* quoque *moralem*, i. e. *omnis pietatis et virtutis studiosam*, hodie plerique, etiam MEIERUS, intelligi iubent. Quomodo utrimque VV. DD. argumenta, et sua premere, et aliena di-

luere conentur, quid quaeso memorem, quum neutra interpretandi ratio mihi omnino satisfaciat? Si comparamus omnia, quae supra Cap. V: 17, 18, 21. VI: 2, 4, 5 de *vita* dicuntur, nunc eius *beatitatem*, quatenus *morti* opposita sit, nunc eius *probitatem*, quatenus *peccati* opposita sit *servituti*, eminere videmus. Deinde animadvertimus, non hanc, sed illam in censum venire, ubi vocabula *δικαιοσύνη* et *δικαίωσις* eadem in sententia legantur. Quae quum ita sint, nonne Verbum *δεδικαίωται*, quod vs. 7 exstat, nos ducit ad Apodosin vs. 8 sic explicandam: *credimus, nos vitae illius vere vitalis, qua* CHRISTUS *fruatur, deinceps participes fore?* Propriam igitur notionem Verbi *συζήσομεν* nec cum figurata confundo, nec desero, sed retineo locis etiam confisus, in quibus Verbo *πιστεύειν* Particula *ὅτι* subiecta est, uti *Act.* XXVII: 25. *Rom.* X: 9. 1 *Thess.* IV: 14 cet. An simile quid iam placuerit THEOPHYLACTO interpretanti: *πιστεύομεν, ὅτι καὶ τὴν ἐν καινότητι ζωῆς ἀνάστασιν ἕξομεν ἀεὶ παροῦσαν ἡμῖν*, neque affirmare, nec negare ausim. Quoniam vero res ipsa loquitur, vitae christianae beatitatem cogitari non posse eius probitate, in qua beatitatis fons cernitur, exclusa, cadant, nisi fallor, necesse est, quae figuratae notionis patroni ex oratione circumiecta CHRYSOSTOMO aliisque, qui eum sequuntur, non sine causa opponunt.

Cur CHRISTI sectatores hoc credant, vs. 9 arguunt verba: *Εἰδότες, ὅτι Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκει· θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυριεύει,* i. e. *quippe qui scimus,* CHRISTUM *de mortuis suscitatum non amplius mori: mors in eum non amplius dominatur.* Participium *εἰδότες* eodem redire ac *γινώσκοντες* vs. 6

interpretes vulgo sumunt, nonnulli, uti GROTIUS, HUGENHOLTZIUS, STUARTUS, aperte dicunt; sed si ibidem bene disputavi, PAULUS eo studiose usus esse videtur ad *notitiam* significandam, a lectoribus *aliunde quam e sua experientia acceptam.* Ita Cap. V: 3. XIII: 11. 1 *Cor.* XV: 58. 2 *Cor.* I: 7. IV: 14. V: 6 al. Illud autem a Verbo πιστεύομεν pendere, luce meridiana clarius est. Interiecta ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν non tam late patent, ut sibi velint, *non amplius mori quisquis de mortuis suscitatus sit*, sed id proponunt quod CHRISTI proprium est, *hunc*, nempe, *quum semel a Deo in vitam revocatus sit, morti non amplius subiectum esse.* Hoc vero quum PAULUS gravitatis causa repetierit verbis: θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυριεύει, gravitatem illam imminuere non licet iis cum eadem Particula ὅτι, cui praecedentia subiecta sunt, connectendis. Imo animi fervore commotus Apostolus ita scripsit, ut *Asyndeton* cum *mutatione orationis obliquae in rectam* conveniret. Utriusque digressionis a vulgari norma VV. DD. [1]) multa attulerunt exempla, sed locum, ubi alterum alteri quemadmodum hîc comitetur, me legere non memini. Argutior agitata quaestio est, quomodo PAULUS scribere potuerit, *mortem in* CHRISTUM, omni vitiositatis macula vacuum, *dominatam esse.* Hanc enim dominationem, ut bene monet MEIIERUS, ostendit crucis supplicium. Sed regioni illi, cui mors imperat, subductus est, postquam subductus erat imperio peccati.

---

[1]) ALT. p. 239, 240, 255 sqq. WINER. p. 629 sqq. 682, 683. Cff. VIGER. p. 217 sqq. 547. MATTH. Tom. II. p. 1223 sqq. 1529. KÜHNER. Tom. II. p. 459 sqq. aliique.

[illegible]

[illegible] ut Latine vertatur peccato mortuus est semel, [illegible] mortuus. Sed nonne multo probabilius est eandem [illegible] eodem modo interpretari? Atque sic nos, ut ad vs. 2 monui, constare possumus, dummodo id proprie notatur, quod in figurate dicitur. Ergo quae ad alteram notant: *peccato demortuus est*, explicentur: *morte sua peccati imperio subductus est*. Quam egregie autem haec quadrent in personam Christi, [illegible], qui in memoriam revocet acerrimi certaminis, ab eo non [illegible] quibusdam temporibus (Matth. IV: 1 sqq. XXVI: 36 sqq. *Hebr.* V: 7—9), sed per totam vitam contra peccatum peracti. Sic nempe Christus, quamquam

illo e certamine semper gloriose et absque ulla clade egrediebatur, hoc tamen cum ceteris hominibus commune habuit, ut dominantis illius peccati vim experiretur. Et hac interpretatione admissa non opus est cum RÜCKERTO,* KÖLLNERO et WETTIO in generalioribus notionibus subsistere. Multo minus Dativus τῇ ἁμαρτίᾳ explicandus est: *ut peccata expiaret*, aut *ut peccati servitutem tolleret*, aut *ut peccati poenam lueret*, qualia plerisque interpretibus placuerunt. Sed ne MEIIERO quidem concedendum arbitror, *peccata hominum* in censum venire. Hoc enim vetat, nisi fallor, Prosopopoeia, a domino vel tyranno petita, quam Apostolum hoc loco continuasse, quis est, qui negare ausit? Deinde toto in Capite VI ratio non habetur *meritorum*, sed tantum *personae* CHRISTI. Neque hîc revera eodem modo ac vs. 2 intelliguntur verba τῇ ἁμαρτίᾳ, si ad *aliorum hominum peccata* referuntur. Quid? quod probari nequit interpretatio ita comparata, ut priori membro non respondeat posterius. Lubens quidem verum esse largior, quod aiunt VV. DD. Dativos τῇ ἁμαρτίᾳ et τῷ Θεῷ potestate inter se differre. Sed quaenam haec differentia est? Nonne *rerum* consideratio hîc tam manifesta est, ut errare deprehendantur, qui Parallelismum cum PHILIPPO tantum *formalem* habeant? Nonne nulli alii Dativorum discrimini locum patere videmus, quam quod e discrimine Verborum ἀπέθανεν et ζῇ oriatur? Atqui haec ita distinguenda sunt, ut alteri subiungatur *id quod remotum est*, alteri *id quod permanet.* Ergo Antitheseos legibus me nihil derogasse puto, quum supra Apodosin prioris membri: τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν explicarem: *morte sua peccati imperio subductus est.* Nunc quaestio movetur, quomodo Apodosis

posterioris membri: *ζῇ τῷ Θεῷ* explicari debeat. Ad litem, quae de eo quoque agitata est, componendam WETSTENIUS, REICHIUS, alii e scriptorum exterorum libris similia congessere. Mihi accommodata videntur verba DEMOSTHENIS [1]): *οἳ οὐκ αἰσχύνονται Φιλίππῳ ζῶντες καὶ οὐ τῇ ἑαυτῶν πατρίδι.* Sed praesertim comparandum est quod in libro *de Maccabaeis* [2]) scriptum legimus: *εἰδότες* (scil. *ἦσαν*), *ὅτι οἱ διὰ τὸν Θεὸν ἀποθνήσκοντες ζῶσι τῷ Θεῷ, ὥσπερ Ἀβραὰμ, Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, καὶ πάντες οἱ πατριάρχαι.* Ibi *ζῶσι τῷ Θεῷ*, nisi fallor, significat, homines, qui Dei causa moriantur, *apud Deum vitam immortalem vivere.* Quod *Luc.* XX: 38 confirmatur simillimo dicto IESU de Patriarchis: *πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν.* Hoc enim eodem modo explicandum esse, e tota oratione praecedente apparet, imprimis vero ex iis, quae exstant vs. 36: *Οὐδὲ γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται, ἰσάγγελοι γάρ εἰσι καὶ υἱοί εἰσι Θεοῦ, τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες.* Itaque in coniecturam incidi, formulam *ζῆν τῷ Θεῷ* IESU et Apostolorum aetate usu receptam esse ad *vitam apud Deum immortalem* denotandam. Iam si verba PAULI: *ζῇ τῷ Θεῷ* interpretamur: *vitam apud Deum vivit immortalem*, haec Apodosis sensum habet e regione oppositum sensui alterius: *morte sua peccati imperio subductus est.* Vitae autem *immortalitatem* verbis illis inesse luculenter prodit Adverbium *ἐφάπαξ*, quod alio consilio priori membro adiici non potuerit, quam ut id, *quod aeternum permanet*, ab eo, *quod semel remotum est*, distingueretur. Una restat quaestio de Pronomine ὅ

---

[1]) *De Halon.* p. 80. Tom. I. p. 52 SCHAEF.

[2]) Cap. 16 fin. apud FLAV. IOSEPH. *Opp.* Tom. II. p. 518 HAV.

utrumque membrum praecedente. Plerique, maxime inter veteres, hoc per Ellipsin scriptum esse putarunt pro καθ' ὅ, ut respondeat Latinis: *quod attinet ad.* FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, OLSHAUSENIUS, WETTIUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, MAIERUS, TURNERUS, quibuscum nostrates: BOSVELDIUS, VINKIUS, VISSERINGIUS consentiunt, in eo, praeeuntibus LUTHERO aliisque, Accusativum cernunt pendentem ab Intransitivis ἀπέθανεν et ζῇ. MEIJERUS, quamquam se quaestionem dirimere nolle profitetur [1]), hoc tamen illi praefert. Et recte quidem, nisi me fallit opinio. Ut enim in lubrico omnis versatur interpretatio, quae ad priscum redit morem Praepositionis κατά, tamquam per Ellipsin omissae, verbis expressis sexcenties addendae, ita hodie constat ab Intransitivis haud secus atque a Transitivis Accusativum pendere [2]). Illud ipsum autem hoc loco fieri testatur dictum simillimum *Gal.* II: 20: ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκί, ubi in Pronomine ὅ, uti arguunt sequentia: ἐν πίστει ζῶ cet. itidem Accusativus cernitur nihil aliud quam *quod* significans. Si vero quis lectis REICHII, OLSHAUSENII aliorumque disputationibus fortasse roget, cur PAULUS non scripserit: Τῇ γὰρ ἁμαρτίᾳ ἀπέθα-

---

[1]) Similiter anceps haeret WINERUS p. 193. [Ed. VI. p. 551.]

[2]) MATTH. Tom. II. p. 944, 945. KÜHNER, Tom. II. p. 206 sqq. ROST. p. 485. BERNH. p. 107. MADVIG. p. 25, 26, quorum nonnulli formulam ζῆν βίον memorant. Exempla autem huius Accusativi tam e soluta quam e ligata oratione petita sunt. De N. T. vide ALT. p. 110, 111. WINER. p. 253 sqq. [Ed. VI. p. 198 sqq.] STUART. *Gramm.* p. 173, 174. TROLLOPE. p. 90, 91. Locorum quoque haud pauci, quos MATTH. p. 1062, 1063 attulit, eodem modo explicari possunt. Uno alteroque eorum FRITZSCHIUS ideo ad suam sententiam tuendam usus est.

νεν ἐφάπαξ, τῷ δὲ Θεῷ ζῇ, sed orationem ita partitus sit, ut in altero membro Protasis esset: ὃ γὰρ ἀπέθανεν, in altero ὃ δὲ ζῇ; idem dictum nobis monstrare puto, quid responderi debeat. Nimirum indicare voluisse videtur Apostolus, CHRISTUM illum, qui hac in terra versatus esset, nec totum mortuum esse, nec totum vivere, sed mortuum esse, quod terrestre et mortale esset, vivere, quod coeleste et immortale sit (cf. 1 *Cor.* XV: 42 sqq.): ad illud enim peccati imperium pertinere, hoc unice vitae apud Deum comparatum esse. Itaque, quamquam Pronomen ὅ vertendo reddendum est *quod*, ad hoc tamen explicandum nullus sequi dubito CAMERARIUM, qui scripsit utroque in membro *quatenus*.

Vers. 11.

E doctrina proposita PAULUS hanc cogit admonitionem: *Οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* In Editione Recepta Particulae *μέν* adiectum est Verbum *εἶναι* et sententiam concludit formula: *τῷ Κυρίῳ ἡμῶν*: utrumque vero pravae librariorum sedulitati deberi hodie nemo facile negabit. Rursus hanc Editionem temere deserunt nonnulli, qui cum GRIESBACHIO Pronomen *ὑμεῖς* a Verbo *λογίζεσθε* Colo seiungunt, quod orationis progressum sine causa retardat et locis obstat similibus *Matth.* VII: 12. *Luc.* XVII: 10. Hi enim soli comparandi sunt, alii, uti *Marc.* XIII: 29. *Luc.* XXI: 31. 1 *Cor.* XIV: 12, non item. Vulgo Imperativum habent Verbum *λογίζεσθε*, atque ita, mente

mutata, quoque MEIJERUS. Rectissime. Quamquam enim nihil definit loquendi usus, quoniam praecedentia: οὕτω καὶ ὑμεῖς haud secus *Matth.* XXIII: 28. *Marc.* VII: 18. *Gal.* IV: 3 (ubi Pronomen ἡμεῖς exstat) Indicativus atque alibi Imperativus sequitur; Indicativus sine dubio hinc alienus est. Nimirum salvo suo consilio, in omni circumiecta oratione, etiam vs. 15, conspicuo, auctor de lectoribus suis testari non potuit, eos se in CHRISTO mortuos et viventes ducere. Deinde ad hoc testimonium edendum, ut bene notavit PHILIPPUS, prima Pluralis λογιζόμεθα, quae Cap. III: 28 etiam legitur, usus esset. Transitu vero ad secundam Pluralis λογίζεσθε perspicue indicavit Imperativum, quo procederet ad Romanos cohortandos. Latine igitur scribendum esse: *existimate* seu *censete*, res ipsa loquitur [1]). Porro Particulae μέν et δέ, uti sexcenties, respondent Latinis *non solum, sed etiam.* Verba autem νεκροὺς τῇ ἁμαρτίᾳ et ζῶντας τῷ Θεῷ ad literam sonant: *mortuos peccato* et *viventes Deo.* Horum vero sensus a sensu vs. 10 differat necesse est, quatenus id, quod de CHRISTO *proprie* dictum est, ad eius sectatores *figurate* convertatur. Itaque convenienter iis, quae supra de vocabulo ζωή et de Verbo ζῆν disputavi, hunc locum interpretor: *sic etiam vos existimate, vos non solum imperio peccati demortuos esse, ne amplius ei serviatis, sed etiam vitam vere vitalem nactos esse, quo Deo placeatis, et hoc quidem utrumque communione* CHRISTI IESU. Formula enim ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ non, ut FRITZSCHIUS aliique voluerunt, reddenda est *per* CHRISTUM IESUM, sed, quemadmodum in omnibus Novi Testamenti locis, *in* CHRISTO

---

[1]) Cff. disputata ad Cap. II: 3.

IESU, i. e. *in communione* CHRISTI IESU, quod iam vidit CALVINUS hoc nomine ab HODGIO laudatus. Eam autem tam cum remotioribus: *νεκροὺς τῇ ἁμαρτίᾳ*, quam cum proxime praecedentibus: *ζῶντας τῷ Θεῷ* copulandam esse contra WETTIUM aliosque FRITZSCHIUS, REICHIUS, PHILIPPUS, MEIIERUS, etiam BOSVELDIUS et HUGENHOLTZIUS monuere. Quod quin recte se habeat, dubitabit nemo, qui animadverterit, utraque et per Particulas *μέν* et *δέ* arcte cohaerere, et beneficium proponere aequaliter CHRISTO tribuendum, et propter nexum inter vs. 10 et 11 intercedentem ad eundem auctorem referri debere, sicuti vs. 4, 5, 8 ad illum referantur.

Vers. 12, 13.

Viam, quam ingressus est, PAULUS vs. 12, secundum Editionem Receptam, persequitur his verbis: *Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι, εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ.* Perperam GRIESBACHIUM hunc versum ita distinxisse, ac si novae Pericopae exordium ei inesset, intelliget quisquis eo admonitionem, ut vulgaris fert sententia, contineri viderit cum praecedente arcte cohaerentem. Docentur nempe Romani, quid cavere debeant, si se peccato mortuos Deoque viventes existimare velint. Peccatum denuo per Prosopopoeiam cum tyranno comparatur. Quid vero sibi voluit auctor scribendo: *Ne igitur peccatum regnare sinite* (sic enim Graeca: *Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία* intelligenda sunt) *ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι?* Vocabulo *σῶμα*

corpus humanum significari contra REICHIUM probavit RÜCKERTUS. Hic vero quaestionem, cur illud dictum esset *θνητόν*, tam difficilem habuit, ut nihil certi ad eam respondere sciret. Similiter iam ORIGENES aliique fluctuarunt animo. Id quidem, quod *mortale* est, Adiectivo denotari, e N. T. tam luculenter apparet, ut neque exemplis opus sit a WETSTENIO allatis, nec Patrum testimoniis, quae SUICERUS [1]) commemorat. Sed quanam de causa PAULUS *corpus* vocaverit *mortale*, alii aliter explicare conati sunt, ut nuperrime etiam MEIERUS ostendit. Quod ille sibi placere professus est, nec simplicitate, quantum video, se commendat, nec perspicuitate. Sed plerorumque sententiae longe quaesitae esse videntur. Ceteris vero probabilius disputare crediderim, qui, uti KÖLLNERUS et STUARTUS, *animi* quoque rationem habeant. Dicam quod sentio. Id certe non egit Apostolus, ut *mortalitatis* nota corpus a corpore distingueret; sed Capitis VIII: 11, ubi *τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν* legimus, nos docet comparatio, eum *corpus*, utpote *mortale*, quatenus *σαρκικόν* erat, ab *ipso homine*, utpote *immortali*, distinguere voluisse. Illud autem hinc alienum non iudicabit, qui Verbo *ὑπακούειν* mecum cogitando addiderit Pronomen *ὑμᾶς* e proxime praecedenti *ὑμῶν* petendum. Breviloquentia se ipsa manifestat, si et ad Reciprocum *ἑαυτούς* (vs. 13), quod hîc habere debet, cui respondeat, nec vocabulo *σώματι*, ut nonnulli arbitrati sunt, respondere potest, attendimus animum, et nobiscum reputamus,

---

[1]) *Thes.* Tom. II. p. 1211, 1212. Ita quoque PLATO, *Tim.* p. 69 scripsit *θνητὸν σῶμα* ad *corpus mortale* ab *animo immortali* distinguendum.

Apostolum non secundum id, quod Cap. V: 14, item *Luc.* I: 33. XIX: 14, 27 legimus, scripsisse: *ἐπὶ τὸ θνητὸν ὑμῶν σῶμα*, sed: *ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι*, quod, *praetermissa eorum commemoratione, qui peccato serviunt, sedem* et quasi *regionem* tantum proponit, *in qua illud dominatur.* Eandem Breviloquentiam reperimus 2 *Cor.* VII: 3. *Hebr.* XII: 10, nec dissimilem 1 *Pet.* II: 11, 15 [1]). Itaque sine scrupulo hunc orationi constituo sensum: *Ne igitur corpus vestrum, quod morti destinatum est, sedem esse sinite, in qua peccatum ita dominetur, ut vos cupiditatibus eius serviatis.* Sed ut libri veteres vario modo ab Editione Recepta deflectunt, sic valde inter se dissentiunt editores et interpretes. LACHMANNUS, GOESCHENIUS, TISCHENDORFIUS vocabula *αὐτῇ ἐν* deleverunt. Contra MILLIUS [2]), HARWOODUS, SCHOLZIUS, SHUTTLEWORTHUS, GREVIUS, FRITZSCHIUS, VISSERINGIUS, amotis sequentibus: *ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ*, retinendum tantum censuerunt Pronomen *αὐτῇ*, quod TERTULLIANO [3]) iam placuisse videtur. GRIESBACHIUS hoc quoque ex oratione expulit, nihil aliud edens quam *εἰς τὸ ὑπακούειν.* Cum GRIESBACHIO consenserunt KOPPIUS, BOEHMIUS, FLATTUS, KLEEIUS, REICHIUS, KREHLIUS. Nihil definire ausi sunt BOSVELDIUS, STENGELIUS, BAUMGARTEN-CRUSIUS, STUARTUS, TURNERUS. Equidem ante duodecim et quod excurrit annos cuncta: *αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυ-*

---

[1]) Hunc locum debeo BOSII *Ellipsibus.* p. 508.

[2]) *Prolegom.* § 452. p. 46 KUST. ubi verba: *ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ* commentarium esse dicit, non textum. Illa tamen edidit et ipse, et eum sequens BASKERVILLIUS.

[3]) *De resurrect. carn.* cap. 47. Tom. III. p. 303. SEML.

μίαις αὐτοῦ spuria esse conieci [1]). Cuius coniecturae quum me nondum poeniteat, breviter argumenta proferre lubet, quibus illa nitatur. Ergo ratiocinatio mea, ab eo incipiens, a quo REICHIUS etiam incepit, haec est: Sine dubio falsa est Praepositio *ἐν*, quam nec veterum tuentur testimonia, nec recentiorum hominum iudicia. Hac vero expulsa expellatur quoque necesse est alterutrum, sive *αὐτῇ*, seu *ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ*. Atqui hoc, quamquam altero testatius est, retineri nequit, quoniam, secundum PAULI doctrinam, *cupiditates* quidem *carni* tribuendae sunt, *corpori* non item, uti RÜCKERTUS etiam aliique concedunt, et inde quoque apparet, quod vs. 13 *membra corporis* *ὅπλα δικαιοσύνης* esse posse dicuntur. Ergo nobis restat tantum Pronomen *αὐτῇ*. Hoc vero tam perspicuum, tam consentaneum versui 6 aliisque Novi Testamenti locis est, ut veteres librarii neutiquam censendi sint illud, si in exemplis, quibus uterentur, exstitisset, aut suo arbitratu omisisse, aut verbis *ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ*, quasi eo indigerent, addidisse. Contra ab antiquo homines, aeque ac multi horum dierum interpretes, opinantes, Verbum *ὑπακούειν* postulare, ut Dativum post se haberet, exempli sui margini aut *ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ*, aut *αὐτῇ* adiecerunt. Utrumque postea alii in orationem receperunt, Praepositionem *ἐν*, sine qua componi non poterant, iis inserentes. Atqui sic Glossema: *αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ*, cuius falsitatem nec CALVINUS, nec GROTIUS suspicatus est, nec MATTHAEUS vidit, se ad haec nostra propagavit tempora. Temere autem FRITZSCHIUS aliique contende-

[1]) *Bijdragen tot bev. van Bijb. Uitlegkunde.* Tom. II. p. 149, 150.

runt, Verbum ὑπακούειν sine Dativo stare non posse. In N. T. nobis praesto sunt exempla: *Act.* VI: 7. *Rom.* VI: 17. *Phil.* II: 12. *Hebr.* XI: 8, ut iam alibi indicavi [1]. Nec frustra quaeruntur in V. T. uti *Iob.* II. 16. *Prov.* I: 24. *Ies.* L: 2. LXV: 12. *Sir.* XLII: 23. Ita et copia eorum, auctore STEPHANO in *Thes.* exstat apud veteres Graecos, praeeunte HOMERO, apud quem de ULYSSE legimus: [2]

— — — — ὁ δ' ἄρ' ἐμμαπέως ὑπάκουσε,

i. e. *ille vero statim aures praebuit.* PAULI igitur oratio plena est: εἰς τὸ ὑπακούειν ὑμᾶς αὐτῇ, i. e. *ut vos ei aures praebeatis*, seu *ei serviatis.*

Ad vs. 12, a quo inepte avulsa est, WETTIO auctore, reduci debet admonitio vs. 13, cum proxime praecedenti arctissime cohaerens: μηδὲ παριστάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας τῇ ἁμαρτίᾳ. Duplicis enim interdicti, cui duplex praescriptio opponitur, haec altera pars est. Ad errores autem fovendos haud parum contulit prava orationis divisio. Nihil magis reprehendendum quam opinio ERASMI aliorumque, vocabulis τὰ μέλη ὑμῶν *corporis* indicari *animique vires.* Imo *corporis* tantum *membra*, ut post GROTIUM monuere FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS, WETTIUS, MEIJERUS, intelligenda esse ex eo sequitur, quod vocabula illa praecedenti σώματι omnino respondent. Similiter Plurale μέλη infra vs. 19. Cap. VII: 5, 23 omnibusque in locis Novi

[1]) *Comm. perp. ad Phil.* II: 12. Cff. quae supra disputavi ad Cap. I: 5.

[2]) *Odyss.* XIV. vs. 485. Cf. *Hymn. in Vener.* vs. 181.

Testamenti accipiendum est, in quibus corporis humani ratio habetur. Neque huic interpretationi obstat *Col.* III: 5, ubi neutiquam *vitia*, ut cum REICHIO nonnulli putant, vocantur *τὰ μέλη τὰ ἐπὶ τῆς γῆς*, sed his verbis pro Commate Colon subiiciendum est, ut dictum insolentius auctor per Epexegesin sic corrigat: *scortationem volo, impudicitiam* cet. Sequens *ὅπλα* alii interpretari malunt *instrumenta*, alii *arma*. Qui huic illud praeferunt, imaginem, quae a militia petita est, hinc alienam habent. Qui contrariam partem tuentur, provocant ad *Ioann.* XVIII: 3. *Rom.* XIII: 12. 2 *Cor.* VI: 7. X: 4, i. e. ad omnes Novi Testamenti locos, in quibus hoc vocabulum exstat, et quidem ad *arma* denotanda. Ita praeter alios nuper REITHMAYRUS, PHILIPPUS, MEIIERUS, CHRYSOSTOMO, THEODORETO, THEOPHYLACTO ducibus. Atque his ego assentiri non dubito, quoniam nullum argumentum gravius esse novi, quam quod loquendi usu nitatur. Praesertim me movet simile: *διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν* 2 *Cor.* VI: 7, in quo Proprium et Figuratum coalescunt. Tantum autem abest, ut militiae imago longe quaerenda sit, ut in verbis *βασιλευέτω* et *ὑπακούειν* velut ante pedes iaceat. Verbum quod attinet *παριστάνετε*, si BEZAE morem gerere volumus, interpretabimur illud *sistite*. Quod commodum etiam est infra vs. 16, 19. Cap. XII: 3 al. Genitivi denique *ἀδικίας* et *δικαιοσύνης* quum propter Antithesin eandem vim habere debeant, huius alterius interdicti sensus esse videtur: *neque membra corporis vestri sistite peccato, ut velut arma sint, quibus id, quod pravum est, patretur.* Quae non vana prioris interdicti repetitio est, sed explicatio, quid caveant homines necesse sit, ne pecca-

tum ad ei serviendum suo in mortali corpore dominari sinant.

Duo negantia nunc duobus excipiuntur aientibus, et ita quidem, ut priori oppositum sit: *ἀλλὰ παραστήσατε ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας*, posteriori: *καὶ* (scil. *παραστήσατε*) *τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ.* Quod observasse iuvabit ad unum alterumque errorem interpretum sine multo labore corrigendum. In posteriori membro Verbum *παραστήσατε* repeti iubent repetita *τῷ Θεῷ.* Haec vero bis scripta sunt, ut bis *peccato* opponeretur *Deus.* De eo, quod recte monent WETTIUS, KREHLIUS, PHILIPPUS, Pronomen *ἑαυτούς totum hominem* significare, sibi firmius persuasum habebit, quisquis mecum Verbo praecedenti *ὑπακούειν* cogitando addendum esse sumserit *ὑμᾶς.* Sic pariter in negantibus atque aientibus orationis partibus *homo* distinguitur a *corpore eiusque membris.* Huic distinctioni favet quoque loquendi usus, cuius exempla se produnt supra vs. 11, infra vs. 16 et alibi, praesertim 2 *Cor.* VII: 1. Ad formulam autem *ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας* illustrandam cum nonnullis excitare *Eph.* II: 1, 5 nihil attinet. Satis superque, ut praeter alios vidit HODGIUS, eam illustrant praecedentia Cap. V: 17 sqq. VI: 2 sqq. ubi CHRISTO auctore sectatores eius, qui olim mortis tantum imperio subiecti erant, ad vitam vere vitalem perducti dicuntur. Hoc igitur loco Apostolus Romanos beneficii accepti commonefacit, dicere volens, ut ait CHRYSOSTOMUS: *Ἐννοήσατε τίνες ἦτε καὶ τί γεγόνατε.* Particula *ὡς* comparandi quidem vim non amittit, sed asseverationi tamen inservit, ut explicari debeat: *quippe.* Ita saepissime, quum Participio praeposita est, in Graecorum scriptis, ut apud

DIODORUM *Sic.* [1]) ubi legimus de ALEXANDRO: *Σωθεὶς παραδόξως τοῖς θεοῖς ἔθυσεν, ὡς μεγίστους ἐκπεφευγὼς κινδύνους*, i. e. *quippe qui maxima effugerat pericula.* Similiter PAULUS scripsit 1 *Cor.* VII: 25: *ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι*, i. e. *quippe cui Deus misericordia sua dedit, ut fidelis sim.* Mecum praeter alios consentire video MEIIERUM. Itaque aientes orationis partes explicandae videntur: *sed vosmet sistite Deo, ut praestemini, quales estis, e mortuis ad vitam perducti, et membra corporis vestri sistite Deo, ut velut arma sint, quibus id, quod probum est, efficiatur.* Superest tantum quaestio, quare Aoristus *παραστήσατε* Praesens *παριστάνετε* excipiat. Nonnulli alterum cum altero populariter permutatum esse putarunt, sed in hac permutatione seu potius confusione popularitatem non reperio. Nec declarare tamen possum, in utroque distinguendo mihi satisfecisse interpretes, non exceptis FRITZSCHIO, PHILIPPO, MEIIERO. Grammatici [2]) Particulae *μή* plerumque Praesentis Imperativum subiici monent, at vel sic quidem Aoristi Imperativum Particulam haud raro sequi concedunt, neque ipsi differentiam ita explicant, ut omne desiderium expleatur. Utinam sumere liceret, hoc loco praepositum esse Imperativum Praesentis *παριστάνετε*, quia spectetur cura servitutis statim excutiendae, postpositum vero Imperativum Aoristi, quia spectetur cura probitatis sine

---

[1]) Lib. XVII. cap. 97. Alia exempla praebent PLATO, *de Republ.* Lib. I. p. 329. XENOPH. *Exped. Cyr.* Lib. I. cap. 2. § 19. Cff. MATTH. Tom. II. p. 1322 sqq. WINER. p. 701, 702.

[2]) MATTH. l. c. p. 1156 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 80. ROST. p. 647, 648. MADVIG. p. 154, 155. Cf. WINER. p. 366, 367. [Ed. VI. p. 280, 281.]

ullo temporis discrimine observandae. Sed etiamsi negari non possit, Viros Doctos hunc Aoristum ab Aoristo historico minus accurate distinxisse, exstat tamen copia locorum, qui distinctionem illam neutiquam ferre videantur. Ergo cum RÜCKERTO ignorantiam meam fateri malo, quam in penitioribus cupidius rimari.

Vers. 14.

Ne quis prae se ferret, peccati vim tantam esse, ut admonitionem acceptam observare non posset, Apostolus adscripsit: Ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει· οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν, i. e. ad literam: *Peccatum enim in vos non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Futuro κυριεύσει haud pauci notionem Imperativi tribuerunt, etiam BOSVELDIUS, quem data opera BROUWERUS refutavit. Utique vix aut ne vix quidem credibile est, PAULUM Imperativis βασιλευέτω, παριστάνετε et παραστήσατε subiecisse verba οὐ κυριεύσει ad docendum, *quid fieri non oporteret.* Deinde in posteriori membro memoratur quidem causa, cur peccatum in CHRISTI sectatores *non dominaturum sit*, neutiquam vero causa, cur *non oporteat ut dominetur.* Praeterea huius interpretationis fautores sumere debent, et Tertiam Personam κυριεύσει locum Secundae occupasse, et inepte hîc repeti admonitionem iam supra vs. 12 datam, et Particulam γάρ, quae ratiocinationi inservire solet, hoc loco vim suam vulgarem amittere. At qui mecum de eo consentiunt, a Futuri notione discedendum non esse, idcirco mentem auctoris eodem modo non explicant. FRITZSCHIUS

aliique eam explicari iubent: *non enim peccatum in vos potestatem exercere vos concessuros esse confido.* CHRYSOSTOMUS vero, CALVINUS, GROTIUS et plerique, quorum partes etiam tueri conati sunt RÜCKERTUS, PHILIPPUS, MEIJERUS in Editione altera, summatim conspirant in verbis interpretandis: *Fieri enim non poterit, ut peccatum in vos dominetur.* Hoc autem illi longe praeferendum est, si nihil alieni in orationem importare eamque circumiectis consentaneam facere volumus. Minus vero animadverterunt VV. DD. PAULUM de industria sine Articulo scripsisse ἁμαρτία, ut *peccatum quodcunque* in Concreto proponeret, non in Abstracto *peccati* tanquam *personam*, quam supra per Prosopopoeiam proposuisset. Verbo κυριεύειν hîc aeque ac vs. 9 et alibi *dominatio* significatur, cui resisti nequeat. Ergo Apostoli sententia huc redire videtur: *Nam* CHRISTI *communione factum est, ut nullum in vos dominaturum sit peccatum, vos suae potestati subiiciens.* In altero membro auctor itidem vocabulis νόμον et χάριν sine Articulis usus est, ut generatim *legem*, non *legem Mosaicam*, multo minus *Veteris Testamenti institutum*, et *gratiam*, non *gratiam Dei supra laudatam*, multo minus *gratiae Divinae doctrinam* denotaret. Sermone vernaculo non inepte illa explicabuntur *wetsbedeeling* et *genadebedeeling.* PAULUS Romanos commonefactum egit beneficii in eos collati, quo non subessent egi Domini instar iis imperanti, sed gratiae, qua Deus eos tamquam paterna manu duceret. Praepositionem autem ὑπό cum sequente Accusativo minus intelligunt PEILIUS aliique, qui *motum* ea significari putant. Nihil aliud significat quam *statum, in quo quis versatur.* Ita *Matth.* VIII: 9. *Rom.* III: 9. 1 *Cor.* X: 1. *Gal.* III:

10, 25. IV: 2, 21. V: 18. 1 Tim VI: 1. Alibi [1]) locum reperi, in quo Genitivus Accusativum eiusdem notionis sic praecedit: *Πᾶσα ἀλήθεια ὑπὸ τοῦ φωτός ἐστι, καθὼς τὰ ὅλα ὑπὸ τὸν Θεόν ἐστι.* Bis talis Accusativus exstat *Deut.* XXXIII: 3. Et similia exempla satis multa sunt in Graecorum libris, uti apud XENOPHONTEM [2]) legimus: *οἱ ὑπὸ βασιλέα βάρβαροι* et apud THUCYDIDEM [3]): *Αἴγυπτος πάλιν ὑπὸ βασιλέα ἐγένετο.* Crebrius tamen Graeci ad *statum alicuius* indicandum Dativo usi sunt, quemadmodum apud ARRIANUM [4]) formula: *ὑπὸ τοῖς βαρβάροις εἶναι* Latine sonat: *sub barbarorum potestate esse.* Sed Praepositioni *ὑπό* Dativum nusquam subiecerunt Novi Testamenti scriptores [5]).

Vers. 15.

Huc usque PAULUS responsum duxit ad quaestionem vs. 1 propositam. Ostendit igitur, quum in homines, qui CHRISTI communionem inierint, peccatum non amplius dominetur, perperam agere Romanos, si aures peccato praebeant. Nunc contradictioni, ab iis peccari

---

[1]) *Testam. Aser.* Cap. 5. p, 693.
[2]) *Cyr. disc.* Lib. VI. cap. 2. § 11.
[3]) Lib. I. cap. 110.
[4]) *De exped. Alex.* Lib. I. Cap. 18. § 2.
[5]) Plura dabunt VIGER. p. 670 sqq. MATTH. Tom II. p. 1395 1396. WINER. p. 483, 484. Cff. quae dixi in *Proeve van Grondslagen* pag. 113, 114.

posse, quod sub gratia, non sub lege sint, sic occurrit: *Τί οὖν; ἁμαρτήσωμεν, ὅτι οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν;* Quid hanc inter quaestionem et praecedentem vs. 1 intersit, MAIERUS exploravit. Pro Futuro Editionis Receptae *ἁμαρτήσομεν*, ad Codicum antiquorum fidem, substitui Aoristi Coniunctivum *ἁμαρτήσωμεν*, quem, GROTIO praeeunte, recentiori memoria cum plerisque interpretibus probarunt LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS. Qui cum PHILIPPO putant, librariis hoc loco fraudem facere potuisse Coniunctivum *ἐπιμένωμεν* vs. 1, uti antea MEIIERUS quoque putavit, dubito an animadverterint, Codices etiam esse, qui ibi habeant *ἐπιμενοῦμεν*, hîc vero *ἁμαρτήσωμεν*. Imo homines Aoristum *ἁμαρτήσωμεν* propterea, quod in eius explicatione haerebant, in Futurum *ἁμαρτήσομεν* mutasse videntur. Nulla profecto de causa. Breviloquentiae enim satis succurrit loquendi usus, cuius exempla praesto sunt Cap. III: 9. XI: 7, item *Ioann.* I: 21 al. Itaque GROTIO, STUARTO aliisque ducibus orationem, convenienter supra ad vs. 1 disputatis, sic supplendam censeo: *Τί οὖν ἐροῦμεν; ἁμαρτήσωμεν, ὅτι οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν;* i. e. *Quid igitur dicemus? Dicemusne: peccemus, quia non sub lege sumus, sed sub gratia?* Quod tamen cum vs. 14 non ita cohaeret, ut Particula *οὖν*, monente etiam RÜCKERTO, postulat. Quare existimaverim, Apostolum ad hanc quidem quaestionem verbis *οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν* usum esse, sed quaestionis vs. 1 praecedentis eam rationem habuisse, ut sibi vellet: *Ergo si dici nequit: adhaerescamus peccato, quo amplior gratia sit, dicemusne: peccemus, quia non sub lege sumus, sed sub gratia?* Respondet *μὴ γένοιτο,*

i. e. *Longe absit, ut ita dicamus atque*, uti intelligendum est, *peccemus*.

Vers. 16.

Quare quaestionem praecedentem detestatus sit, PAULUS demonstrare incipit simili a rebus humanis petito: *Οὐκ οἴδατε, ὅτι ᾧ παριστάνετε ἑαυτοὺς δούλους εἰς ὑπακοὴν, δοῦλοί ἐστε ᾧ ὑπακούετε, ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θάνατον, ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην;* Temere huic versui nonnullis in libris, et praeponi Particulam *ἤ*, et verba *εἰς θάνατον* demi, REICHIUS, FRITZSCHIUS, RÜCKERTUS probarunt. Tota vero prodit oratio, se ab auctore profectam esse festinanter dictante, quod alius calamo exciperet. Minus offendor verbis *ᾧ ὑπακούετε*, per Attractionem pro *ἐκείνου, ᾧ ὑπακούετε*, scriptis, quibus connexa *δοῦλοί ἐστε*, ne inepte frigeant, carere non possunt. Haec enim si cum WETTIO et PHILIPPO explicantur: *revera servi estis*, aut cum RÜCKERTO: *nunc servi estis*, temere iis adiicitur, quod suopte ex ingenio arcessit interpres. Sed illorum verborum sensum perverti, nisi ad literam exponantur: *servi eius estis, cui obeditis*, inde sequitur, quod vocabulum *δοῦλοι* hac in orationis parte primarium ideoque ceteris praemissum est, ut bene etiam vidit MEIJERUS; quocum Praesentibus: *παριστάνετε, ἐστέ. ὑπακούετε id quod semper valet* indicari puto. Nec negaverim Apodosin: *servi eius estis, cui obeditis*, quamvis verbosior sit, tolerabilem esse, quum respondeat Protasi: *cui vosmet ipsi servos sistitis ad obedientiam.* Et ut Genitivi *ἁμαρτίας* et *ὑπακοῆς* pendeant a praece-

dentibus δοῦλοί ἐστε, haec cum OECUMENIO repetere nihil attinet. Perperam vero FRITZSCHIUS aliique Prosopopoeiam iis contineri aiunt, animadvertere negligentes, et eos Articulis carere, et vocabulum quidem ἁμαρτία hanc dicendi formam admittere, vocabulum vero ὑπακοή, mere Subiectivum, non item. Imo Genitivis illis servi duplicis classis, *qui peccatum patrant* et *qui obedientiam praestant*, distinguuntur. Alteros autem e Graecorum more vituperationis causa, alteros ex Hebraeorum more laudationis causa δούλους vocari, res ipsa loquitur. Sed quis non videt, duo illa ἁμαρτίας et ὑπακοῆς minus commode sibi invicem opposita esse, quum supra Accusativus ὑπακοήν *cuncta* servorum spectet *officia?* Praesertim vero, ut MAIERUM quoque non fugit, oratio impeditur eius, quod illustrari debet, confusione cum simili ad illustrandum allato. Hinc etiam difficultas definiendae notionis vocabulorum θάνατον et δικαιοσύνην, de quorum interpretatione adhuc sub iudice lis est. Equidem a me impetrare non possum, ut iis hoc loco alias tribuam notiones, quam iis supra argumentorum pondere vindicasse mihi videor. Ergo REICHII, FRITZSCHII ceterisque, quotquot altero *mortem naturalem* significari arbitrantur, eatenus assentior, ut *mortem corporis* intelligam, *qua homo*, non naturae necessitati cedat, sed *peccati poenam luat*, miseriae illam sequentis cogitatione non exclusa. Quod ita definitum differt sine dubio a sententia multorum, uti RÜCKERTI, STUARTI, PHILIPPI, MEIIERI, quos cum CHRYSOSTOMO praecesserunt veteres, ipsi vocabulo θάνατος notionem *mortis aeternae* inesse. Argumenta autem, quibus hi aliique causam suam tueri conantur, orta sunt, cum ex errore ab iis Cap. V: 12 commisso;

tum ex opinione, formulam *ζωῆς αἰωνίου* vs. 23 et alibi a *vita* sectatorum CHRISTI hac in terra distingui; tum denique inde, quod alienam commenti sunt Antithesin inter vocabula *θάνατον* et *δικαιοσύνην*. Hoc quidem vocabulo *probitatem vere Christianam*, i. e. *fidei* proponi mihi persuasum est. Nec me miraturum confido, qui in memoriam revocaverit disputationem ad Cap. V: 19, qua probatum egi, vocabulo *ὑπακοή obedientiam fidei* denotari. Nodi vero, qui supersunt, videsis, lector ingenue, an non expediri possint oratione ita convertenda, ut et Antitheta sibi invicem magis ad loquendi usum opponantur, et membra, quae per Breviloquentiam coaluerunt, distinguantur. Itaque PAULUM, nisi animi fervor fecisset, ut rerum magis quam verborum rationem haberet, scripturum fuisse putaverim: *Οὐκ οἴδατε, ὅτι εἴ τις κυρίῳ παριστάνει ἑαυτὸν δοῦλον, οὗτος δοῦλός ἐστιν ἐκείνου, ᾧ ὑπακούει; Οὕτω καὶ ὑμεῖς δοῦλοί ἐστε, ἤτοι δουλεύοντες τῇ ἁμαρτίᾳ εἰς θάνατον, ἢ ὑπακούοντες τῷ Θεῷ εἰς δικαιοσύνην*. Quae, in sermonem Latinum conversa, huc redeunt: *Nonne scitis, hominem, cuicunque domino semet servum sistat, illius esse servum, cui obediat? Sic etiam vos servi estis, sive servientes peccato ad mortem, seu obedientes Deo ad probitatem.* Atque ita denuo *ἡ ἁμαρτία* per Prosopopoeiam inducitur.

Vers. 17, 18.

Duplicis generis obedientia proposita PAULUS lectoribus gratulatur factam melioris partis optionem. Verba eius sunt: *Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς*

ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς· ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ. Quae ante triginta et quod excurrit annos hoc de loco disputaveram [1]), VATERUS [2]) probabilia declaravit. REICHIUS magnam eorum partem refutare conatus est. REICHIUM hactenus secuti sunt FRITZSCHIUS, OLSHAUSENIUS, MEIERUS. Ipse data occasione [3]) unum alterumque, quem commiseram, errorem correxi, ceterum fidem facere studens opinioni meae, PAULUM his verbis renovasse memoriam temporis, quo alii Romanorum alia *detestanda gentium exterarum placita* professi essent. Postea vero hoc quoque falsum esse vidi, nec mihi tamen de eo persuadere potui, interpretes, quorum commentarii mihi praesto essent, sensum orationis attigisse. Omnia, quae in schola proposui, repetere nolo, sed subsistam in sententia, quae nunc mihi placet, enarranda et argumentorum pondere pro viribus probanda. Quod tamen ut recte fiat, praecipua eorum, quae VV. DD. in medium attulere, iudicio submittere debebo.

Ut singulae orationis partes deinceps recenseantur, incipiamus a formula: χάρις δὲ τῷ Θεῷ, cui plerique cogitando adiiciunt εἴη aut ἔστω, sed adiici etiam potest frequentatum ἐστίν, quod fertur quoque Cap. VII: 25 (secundum TISCHENDORFIUM). 2 *Cor.* II: 14. VIII: 16 et requiri videtur 1 *Cor.* XV: 57 coll. 1 *Tim.* I: 12. Atqui gratias agendi argumentum profecto

---

[1]) *Annot. in loca nonnulla N. T.* p. 115—132.

[2]) *Journal für Prediger, herausgeg. von* K. G. BRETSCHNEIDER, D. A. NEANDER *und* J. S. VATER. Ann. 1825. p. 389.

[3]) *Comm. perp. in Ep. P. ad Phil.* p. 253.

non praebet id, quod sequitur: ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας. Ergo haud pauci interpretes, MICHAËLIS, REICHIUS, KÖLLNERUS, FRITZSCHIUS, HODGIUS, KREHLIUS, REITHMAYRUS, PHILIPPUS, PEILIUS, MEIIERUS, comparato notissimo illo: *Fuimus Troes*, Imperfectum ἦτε explicari iusserunt: *fuistis olim, neque amplius estis*. Sed hanc explicationem, ut mittam, idem Imperfectum vs. 20 ei obstare, ferre nequeunt Aoristi ἐλευθερωθέντες et ἐδουλώθητε vs. 18, quippe qui frigent, si dictum tale praecedit. Neque Imperfecto illi, si sic intelligitur, bene respondet oppositum ὑπηκούσατε, quod significat tantum *obedivistis*. Frustra VV. DD. ad *Eph.* V: 8 provocant, ubi Adverbium τότε perspicue docet, praecedens ἦτε nihil aliud significare quam *eratis*, in quo 1 *Cor.* VI: 11 etiam subsistendum esse apparet e connexis ἀλλὰ ἀπελούσασθε cet. Nihil quoque efficiunt exempla petita ex *Ies.* XVIII: 1. *Tob.* XI: 15. *Matth.* XI: 25. *Act.* XI: 18, quibus REICHIUS hunc locum illlustrare cupit. Assentiendum omnino videtur KOPPIO, BOSVELDIO, HUGENHOLTZIO, MAIERO, BISPINGIO aliisque interpretibus [1]), qui Apostolum verba ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δέ pro ὅτι ὄντες δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας ὑπηκούσατε scripsisse putant. Unde tamen cogere nolo, quod RÜCKERTO nondum displicuit, Particulam μέν omissam esse. Nec GROTIO concedam, in usu Praeteriti cum Coniunctione Copulativa pro Participio Hebraismum cerni, cuius exemplum, uti Vir Summus non attulit, ita ipse nusquam reperi. Laborat procul dubio

---

[1]) Ita quoque WINER. p. 630.

hic locus negligentia stili, ex eo profecta, quod intentior ad rem quam ad verba auctoris erat animus.

Multo plus controversiae in altero membro pepererunt verba: *ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς*. Attractionem, quam VV. DD. iis inesse sumunt, MEIJERUS triplici modo resolvi posse monet, ut scribatur: *τῷ τύπῳ τῆς διδαχῆς, εἰς ὃν παρεδόθητε;* aut: *εἰς τὸν τύπον τῆς διδαχῆς, εἰς ὃν παρεδόθητε,* aut: *εἰς τὸν τύπον τῆς διδαχῆς, ὃν παρεδόθητε,* i. e. *ὃς παρεδόθη ὑμῖν.* Hunc quartum: *τὸν τύπον τῆς διδαχῆς, εἰς ὃν παρεδόθητε* STUARTUS et TURNERUS e *Deut.* XXI: 18 et *Prov.* XXIX: 12, ubi Verbum *ὑπακούειν* Accusativum post se habet, eruere conantur. Idem alibi se prodit, ut apud XENOPHONTEM [1]), ubi legimus: *Ὁ δὲ μάλα τοῦτό γε εὐτάκτως ὑπήκουσεν*. Ipse MEIJERUS plerisque assentitur interpretibus, etiam GLÖCKLERO, HODGIO, KREHLIO, REITHMAYRO, MAIERO, PEILIO, qui pro Apostoli verbis haec substituunt: *τῷ τύπῳ τῆς διδαχῆς, εἰς ὃν παρεδόθητε*. Quomodo autem illi hanc in partem, alii vero contra disputent, brevitatis causa praetereo. Nec mihi lites memorare lubet, quae de notione formulae *τύπος διδαχῆς* aguntur. Hactenus, quantum novi, inter omnes convenit, ut *doctrinam Christianam, cui obedientia praestetur*, sive Theoreticam, seu Practicam, seu utramque, significari putent. Eadem in via CHRYSOSTOMUM aliosque veteres deprehendimus. Sed primum, si auctor nihil aliud dicere voluit, quam *Romanos obedivisse doctrinae Christi-*

---

[1]) *Cyr. Disc.* Lib. II. Cap. 2. § 3.

anae, iis allatae, Attractio, qua veteres non leviter uti solent, et quidem difficilior, valde mirabilis est, quum de more suo scribere potuerit: τῷ εὐαγγελίῳ, ὃ παρεδόθη ὑμῖν. Cff. Cap. X: 16. 2 *Thess.* I: 8. Deinde fieri prorsus nequit, ut formula insolentior τύπος διδαχῆς *doctrinam Christianam* denotet. Nonnulli quidem, uti RÜCKERTUS, MAIERUS, BISPINGIUS, ne vocabulum τύπος negligatur, *doctrinae Christianae* addunt: *quatenus formam habet sibi propriam;* sed quum certa doctrinae illius forma ab Apostolorum tempore aliena fuerit, huius additamenti causa frustra quaeritur. WETTIUS, PHILIPPUS, MEIJERUS *doctrinae formam* indicari contendunt *a* PAULO *profectam*, sed quam aperte contradicant notitiis, quae de Romanae sectatorum CHRISTI societatis originibus ad nos perlatae sunt, me infra ostensurum spero. Neque argumento ullius ponderis se tueri possunt alii, qui aut *exemplar, quod doctrina Christiana ad imitandum proponit*, intelligi iubent, aut *simulacrum doctrinae illius animis impressum*, aut quidquid ortum est ex opinione, vocabulo διδαχῆς *ipsius religionis Christianae* sive Theoreticam proponi partem, sive Practicam, seu utramque. Imprimis attendendum est ad vim Aoristi ὑπηκούσατε, quam talem esse constat, ut eo *obedientia semel praestita*, i. e. *obedientia temporis praeteriti* denotetur, quemadmodum Cap. X: 16. *Phil.* II: 12. *Hebr.* XI: 8 al. Itaque neminis in reprehensionem incurram alia huius loci interpretatione periclitanda.

Et primum quidem VV. DD. sibi fraudem fecerunt non animadvertendo, Verbum ὑπακούειν, quod supra ad vs. 12 et ad Cap. I: 5 probasse mihi videor, saepe ita usurpari, ut Dativus reticeatur. Ita vero hîc reti-

cetur Dativus τῷ Θεῷ, qui quum praecedenti ὑπακοῆς vs. 16 insit, inde repeti debet. Hactenus recte PEILIUS τὸ ὑπακούειν eiusdem potestatis esse ait ac τὸ δοῦλος εἶναι τοῦ Θεοῦ. Nec miranda Breviloquentia in homine Christiano, qui *nullam aliam* agnoscit *obedientiam* vere ita dictam, *quam quae praestatur Deo.* Primo adspectu mirabilior est formula ἐκ καρδίας, quam tantum reperi *Iob.* VIII: 10, et quae idem sibi vult ac magis explicata: ἐξ ὅλης τῆς καρδίας *Marc.* XII: 30, 33, ut significet *toto ex animo*, i. e. *lubentissime.* Sed cur auctor hoc adscripserit, docent sequentia: εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, quae, si Verbo ὑπηκούσατε cogitando adiicitur Dativus τῷ Θεῷ, non indicant *cuinam*, sed *quomodo* a Romanis *obeditum sit.* Videlicet cum interpretibus consentiendum arbitror, qui Attractionem sic resolvunt: εἰς τύπον διδαχῆς, vel potius propter definitionem, quam Pronomen ὃν affert, εἰς τὸν τύπον τῆς διδαχῆς, εἰς ὃν παρεδόθητε. Sed longe ab iis discedo Graeca ad literam Latine reddens: *ad formam doctrinae, ad quam traditi estis.* Haec autem explico: *quod attinet illam doctrinae formam*, seu *ad formam illam sequendam, quam profiteri edocti estis.* Atque haec interpretatio, aut vehementer fallor, aut sua se simplicitate insigniter commendat. Praepositioni enim εἰς Latina: *quod attinet ad* respondere sumens, morem gero Grammaticis, qui eam in libris veterum saepe ita accipiendam esse probarunt [1]). Similiter ea in N. T. usurpatur, ut *Luc.*

---

[1]) MATTH. Tom. II. p. 1347, 1348. KÜHNER. Tom. II. p. 279. ROST. p. 495.

XII: 21. *Act.* XXV: 30. *Rom.* IV: 20 et alibi [1]). Praesertim vero provoco ad locos, in quibus Verbum ὑπακούειν sine Dativo cum Praepositione εἰς et Accusativo connexum est, et quos KYPKIUS attulit ad alienam interpretationem confirmandam. Ergo illud IOSEPHI [2]): οὐχ ὑπακουόντων δὲ εἰς ἃ προσεκαλεῖτο, sibi haud dubie vult: *illis vero non obedientibus ei, quod attinet imperata*, seu *ad facienda, quae imperabat.* Eodem modo quae paulo inferius exstant [3]): ὑπακούειν εἰς ὅ τι ἂν ἐκείνη θέλῃ, explicanda sunt: *obedire illi, quod attinet id*, seu *ad agendum id, quod vellet.* Ita quoque verbis APPIANI [4]): ἐκέλευσεν ἐς πάντα ὑπακούειν satisfiet hoc sensu iis tribuendo: *iussit eos, quod attinet ad omnia*, i. e. *ad omnia agenda, sibi obedire.* Quid plura ad probandum, Praepositionem εἰς secundum loquendi usum sic interpretandam esse? Progredior ad Verbum παρεδόθητε, quod haud pauci pro Medio positum esse contenderunt. KREHLIUS Medii certe notionem excludi noluit. FRITZSCHIUS dubitavit, utri parti se addiceret. Sed optimo iure RÜCKERTUS, WETTIUS, MEIIERUS huic Verbo Passivi vim vindicarunt, etiam ad Aoristos sequentes ἐλευθερωθέντες et ἐδουλώθητε provocando. Utrum res, ad quam refertur, bona, an mala, aut media sit, ipsum illud παρεδόθητε non declarat. Nec praefixa εἰς ὅν satis certo indicio sunt. Comparari merentur verba, *Act.* XIV: 26: ὅθεν ἦσαν παραδεδομένοι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ εἰς

---

[1]) Cff. ALT. p. 190. WINER. p. 473.
[2]) *Antiq.* Lib. XIV: cap. 4. § 2.
[3]) Ibid. Lib. XV: cap. 4. § 1.
[4]) *Bell. civ.* Lib. IV. p. 1017.

τὸ ἔργον, ὃ ἐπλήρωσαν, ubi media illa *τῇ χάριτι* Dativum continere, a Participio *παραδεδομένοι* pendentem et significantem *gratiae*, luculenter apparet ex *Act.* XV: 40, quo in loco PAULUS dicitur *παραδοθεὶς τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν;* postrema vero *εἰς τὸ ἔργον, ὃ ἐπλήρωσαν* exponenda sunt, *ad opus faciendum, quod expleverunt.* Quemadmodum autem ibi Breviloquentiae succurrendum est, sic etiam supra Cap. I: 24, 26, 28, ubi Praepositionem *εἰς* res infausti ominis sequitur. Hoc loco orationis supplendae modus pendet ab interpretatione formulae *τύπος διδαχῆς*. Vocabulo *διδαχῆς* id, quod *bonum* et quidem *Christianum* est, spectari, luculenter et e circumiectis apparet, et e principio sententiae: *χάρις δὲ τῷ Θεῷ*. At illud tamen nihil amplius quam *doctrinam* significat aut significare potest. Ita Cap. XVI: 17 et al. De vocabulo *τύπος* iam disputavimus ad Cap. V: 14. Sed ad notionem eius bene definiendam distingui debent loci, in quibus ad animata et inanimata, ad intelligibilia et adspectabilia refertur. Recte igitur STEPHANUS iam scripsit *forma doctrinae*, quod recentiori memoria etiam placuit FRITZSCHIO, RÜCKERTO, WETTIO, PHILIPPO, MEIIERO, aliis. Similiter vocabulo *τύπος* usus est HERODIANUS [1]) aiens: *Τὸ σχῆμα τῆς βασιλείας, ἐκ τυραννίδος ἐφυβρίστου εἰς ἀριστοκρατίας τύπον μετενεχθείσης.* Nunc redeamus ad verba *εἰς ὃν παρεδόθητε.* OECUMENIUS ad ea notavit: *Ὁ Θεὸς ὑμᾶς εἰς τὸν τύπον τοῦτον τῆς διδαχῆς παρέδωκε.* Eandem viam CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS aliique cum antiquioris, tum recentioris aetatis

---

1) *Hist.* Lib. VI. Cap. 1 § 5.

ingressi sunt. Sed nonne animo ad praecedentem Aoristum ὑπηκούσατε, scil. τῷ Θεῷ, attendendo sentimus, sequentem παρεδόθητε ita comparatum esse, ut *homines* eo spectentur necesse sit? Quod quum VATABLUM non fugeret, bene interpretatus est: *ab iis, qui Euangelium vobis annunciarunt.* Equidem PAULUM, ut huius Epistolae lectores in doctorum suorum memoriam redirent, studiose scripsisse puto: εἰς ὃν παρεδόθητε. Hoc autem posito, vix dubitari poterit, quin haec verba, uti ad literam reddenda sunt: *in quam traditi estis*, ita dicere velint: *quam profiteri edocti estis.*

Itaque hoc loco ducimur ad origines Romanae sectatorum CHRISTI societatis explorandas. Iam supra [1]) me hac de re nonnulla monere memini, quibuscum conferri merentur quae FRITZSCHIUS [2]) aliique in medium attulerunt. Si inter se comparamus, quae Cap. I : 5 sqq. 11 sqq. XV: 19, 20, 23. 2 *Cor.* X: 13—16 leguntur, hinc cogere possumus, societatem illam non condidisse IESU hac in terra comites, Apostolorum nomine insignitos, sed alios CHRISTI sectatores, PAULO fortasse cognitos, nobis incognitos: hos quidem laudabiliter id egisse, ut ad CHRISTUM profitendum congregarentur homines, Iudaeorum gentiumque exterarum erroribus et superstitionibus adhuc addicti: institutionem vero, quam Romanorum certe plerique ab iis accepissent, plane eandem non fuisse, quam ipse PAULUS tradere soleret: neque hunc dubitasse, quin institutionis illius

---

[1]) *Introit.* p. 4 sqq. 13 sqq.
[2]) *Prolegom.* p. XIX sqq.

ratio nonnihil desiderii relinqueret. Propterea bis (Cap. II: 16. XVI: 25) formula *κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου* usus est ad veram doctrinam salutis, quae etiam sua esset, a falsis commentis, quibus Iudaismi fautores eam obscurarent, distinguendam. Eadem de causa Cap. XVI: 17 legimus: *παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε*, ubi Pronomine *ὑμεῖς* itidem indicavit, doctrinam, qua Romani imbuti essent, suam non esse. Et supra vs. 3 eum scripsisse conieci: *ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν*, quia nesciret, an Romae inter *discipulos* degerent, qui baptismi quidem ritum subiissent, nec tamen *εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν* administratum. Sed, si mea interpretatio huius versus 17, uti spero, probanda est, Apostolus de initiis rerum Christianarum illa in urbe mentem nusquam clarius explicuit. Hîc enim Romae incolas Deo obedivisse declarat, quum CHRISTI communionem inirent; sed simul, memoranda doctrinae forma, quam profiteri edocti erant, significat, inter illa, quae huius Epistolae lectores acceperint et quod ipse tradere soleat, interesse. Quantum autem vituperationis laudationi admiscuerit, difficile dictu est; sed ipsa verba: *εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς* arguunt, eum non probasse omnia. A fide igitur non abhorret sententia, Iudaismo plus quam oporteret favisse ea, quae Romam perlata essent. Quapropter plus semel PAULUS indicavit, quam ardenter Romanis CHRISTUM praedicare cuperet [1]), et nusquam tam diligenter adversus Iudaeorum placita disputavit quam his in Literis. Ceterum si eum hîc dicentem facimus: *obedivistis*

---

[1]) Cff. praeter Cap. I: 11 sqq. XV: 24, 29 sqq. loci supra p. 13 memorati.

Deo ad sequendam, quam profiteri edocti estis, doctrinae formam, illa demum interpretatione suo loco stant verba *ἐκ καρδίας, ex animo*, quae alias supervacanea sunt, quin etiam male sonant. Quemadmodum autem Apostolus *Eph.* IV: 20, 21 praedicationem CHRISTI minus probandam a magis probanda distinxit et *Phil.* I: 15 sqq. se gaudere dixit, etiamsi praedicationi illi insit, quod reprehendi mereatur, sic hoc loco duo illa coniunxit, quorum alterum in verbis: *obedivistis Deo*, alterum in subiectis: *ad sequendam, quam profiteri edocti estis, doctrinae formam* cernitur.

Hac autem interpretatione sustulisse mihi videor causam disputandi de iis, quae vs. 18 exstant: *Ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ*, i. e. *Liberati vero ab imperio peccati, subiecti estis* (tamquam meliori domino) *probitati*. Sic enim Particula *δέ* vim suam Adversativam retinet, quippe non inserviens, ut haud paucis interpretibus visum est, conclusioni faciendae, neque, ut alii contendunt, alteri Antitheseos parti persequendae, sed ducens ad commonstrandum, quanti obedientia a Romanis Deo praestita pendenda esset, licet doctrinae forma, quam accepissent, haberet, quod relinqueret desiderium. Itaque Punctum, huic versui in Editione Recepta praepositum, mutari quidem debet, nec tamen in Comma, ut cum TISCHENDORFIO censuerunt FRITZSCHIUS, GLÖCKLERUS, HUGENHOLTZIUS, WETTIUS, alii, sed in Colon, ut LACHMANNO placuit. Nimirum haec oratio non amplius pendet a Particula *ὅτι*, sed, quae MEIJERI etiam sententia est, sibi constat. Per Prosopopoeiam autem, ad quam vs. 17 reversus erat, *τὴν ἁμαρτίαν* denuo inducens, auctor ei *τὴν δικαιοσύνην* itidem

per Prosopopoeiam opposuit. Hoc vero peperit abusum Verbi *ἐδουλώθητε*, qualis exstat etiam vs. 22, et facile excusandus est in scriptore, qui vocabulum *δοῦλος* ex Hebraeorum more bonam accipit in partem.

Vers. 19.

Tamquam a via in diverticulum delatus Apostolus ait: *Ἀνθρώπινον λέγω διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν.* Falluntur interpretes, qui haec, ORIGENE praeeunte, ad sequentia pertinere contendunt. Illa enim structura, pars, Verbo *λέγω* contra loquendi usum *praescribendi* vel *postulandi* notionem affingere coguntur; pars, meminisse negligunt, PAULUM infra scribendo: *ὥσπερ — ἁγιασμόν* ad eandem temporis praeteriti et praesentis, qua supra usus erat, comparationem rediisse; omnes hiatum in orationem important. Sine dubio verba, quemadmodum haud dissimilia: *κατὰ ἄνθρωπον λέγω* Cap. III: 5, ad praecedentia (vs. 18) referenda sunt, uti inde quoque apparet, quod carent Particula *δέ.* Quid vero sibi velint, quaestio me iudice difficillima est. Exemplis quidem a WETSTENIO allatis non indigemus ad videndum, vocabulo *ἀνθρώπινον*, ceteris praeposito, id, quod per contemtum *humanum* dicitur, indicari. At a definitione tamen adiunctorum: *διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν* eius explicatio pendet. Alii *tarditatem ingenii* seu *imbecillitatem intelligendi*, alii *debilitatem moralem* significari putant. Plerosque vero, ad quos MEIJERUS nuperrime transgressus est, huic illud praeferre, mirari non possum, si ad insolentem Antithesin vs. 18 attendo animum. Itaque

Apostolum id egisse putantes, ut Catachresin Verbi *ἐδουλώθητε* aut excusaret, aut illustraret, summatim probant interpretationem KOPPII: „Utor formula, aliquanto duriore, ut vos, imbecilli homines, qui omnia ad sensus referre soletis, vim officii vestri intelligatis." Atqui mihi satis incredibile est, Romanos mente tam imbecillos fuisse, ut officium probitatis observandae intelligere non possent, nisi illud imagine, quae a servitute civili petita esset, velut ante oculos collocaretur. Deinde valde dubito, an potestas verborum *διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν* ferat, ut explicentur: *propter vestram intelligendi imbecillitatem.* Temere enim, nisi fallor, nonnulli provocant ad *Gal.* IV: 13, ubi, quidquid tandem formulae *δι᾽ ἀσθένειαν τῆς σαρκός* inest, Apostolus certe non confitetur, se Galatis antea *propter intelligendi imbecillitatem* Euangelium annunciasse. Et, ne occultem quod sentio, eo quoque offendor, quod PAULUS, non dico, Corinthiis aliisque hominibus, quorum societatem ipse condiderat, sed iis, quos nunquam viderat oculis, generatim et sine ulla exceptione hanc mentis tarditatem obiecisse censetur. Rursus vero me itidem latet, quomodo his *debilitatem moralem* obiicere potuerit. Utrumque profecto incurrere quoque videtur in laudationem, qua Cap. XV: 14 Romanos prosecutus est [1]). Neque omnem plane caliginem amovet consideratio, auctori cognitam fuisse deteriorem eorum conditionem, profectam e *doctrinae forma, quam,* ut vs. 17 vidimus, *profiteri edocti essent.* Ergo in Graecis ad literam reddendis: *quod humanum est dico propter imbecillitatem carnis vestrae,* subsisto, explicationem

---

[1]) Cf. BAURUS l. c. p. 403.

eorum ingeniis relinquens sagacioribus. Quod BOWEYERUS, BOSVELDIUS, REICHIUS, alii coniecerunt, haec verba in Parenthesi ponenda esse, commendat quidem formula haud dissimilis: *κατὰ ἄνθρωπον λέγω* Cap. III: 5, nec multum tamen lucis inde exoritur. Posterius enim huius versus membrum cum vs. 18 connectere admodum difficile est.

Molestiam vero non creat ipsa admonitio: *ὥσπερ γὰρ παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν· οὕτω νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν.* Sensus huc redire videtur: *sicuti enim corporis vestri membra servorum instar addicta fecistis impuritati et contumaciae ad vos contumaciter gerendos, ita nunc membra illa addicta facite probitati, ad sanctitatis studium agendum.* Nexui orationis non satis succurrunt, qui Particulam *γάρ* interpretantur *nempe:* quare vulgarem eius notionem *enim* retinui. De vocabulo *ἀκαθαρσία* dixi ad Cap. I: 24, item supra ad vs. 13 de Imperativo Aoristi *παραστήσατε*, pro quo hîc non scripsi *sistite*, quoniam mihi displicebat praecedentem Indicativum cum BEZA reddere *stitistis*. Verbis *τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ*, quae ad Prosopopoeiam repetendam conferunt, subiuncta reperimus tantum *εἰς τὴν ἀνομίαν*, quoniam pariter impuritati et contumaciae serviendo leges Divinae violentur; quam violationem vocabulum *ἀνομία* proprie significat, ut 2 *Cor.* IV: 14. *Tit.* II: 14 al. Perperam, ut recte monent MEIIERUS aliique, THEOPHYLACTUS, quem alii secuti sunt, subiuncta illa *εἰς τὴν ἀνομίαν* interpretatur: *εἰς τὸ ἐπιπλέον ἀνομεῖν.* Apostolus enim ita scripsit, ut ipsi vitio, i. e. contumaciae *patrationem* eius adiiceret.

Hinc autem sequi videtur, Antithesin postulare, ut postremo ἁγιασμός *sanctitatis* seu *sanctimoniae* maxime intelligamus *studium*, quo illa incrementum capiat, quemadmodum aliis in locis, etiam *Hebr.* XII: 14, ubi auctorem sibi velle puto: *Haec persequamini, ut pacem habeatis cum omnibus et sanctimoniae studeatis.*

Vers. 20, 21.

Iam alio consilio, quam ut admonitioni suae pondus adiiceret, mihi persuadere nequeo, PAULUM vs. 20 scripsisse: Ὅτε γὰρ δοῦλοι ἦτε τῆς ἁμαρτίας, ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ. Quis horum verborum sensus sit, haud difficile dictu est. Ad literam ea Latine sonant: *Quando enim servi eratis peccati, liberi eratis probitati*, i. e. ut plerique interpretantur, *probitatis ratione habita*, quam alibi etiam, uti *Act.* VII: 51. XX: 22. 1 *Cor.* VII: 34. XIV: 20. *Hebr.* V: 11, vim Dativi esse STUARTUS commonstravit. Nec tamen causam reperi Apodosin cum eo explicandi: *vos liberos habebatis probitatis colendae* vel similiter. Multo minus audiendi videntur, qui cum KOPPIO PAULUM Ironia usum esse contendunt. Nam, ut Ironia inepte sequitur admonitionem supra datam, ita, ut ea hunc in locum quadraret, Apostolus, nisi fallor, ab initio vs. 21 scribere debuisset: Ἀλλὰ τίνα καρπὸν cet. Iure igitur meritoque cum FRITZSCHIO, RÜCKERTO, HUGENHOLTZIO etiam aliisque MEIJERUS hoc improbavit. Sed ne illi quidem largior, quod alii interpreti, PAULO, quoque placuisse videtur, verbis Apostoli vestigia inesse doloris, qui animum eius affecerit, quum haec enunciaret. Per

Prosopopoeiam denuo peccatum et probitas tamquam Domini proponuntur, sibi invicem e regione obstantes. Nec plura, ut HODGIUS etiam bene vidit, PAULUS, nisi orationi eius aliena affingamus, declarat, quam *Romanos, quum alteri servirent, cum altero nihil commune habuisse.* „Liberi erant," inquit ESTIUS, „non opinione, sed facto, tametsi non iure."

At quomodo hac cum declaratione cohaerent verba, quae vs. 21 exstant? In Editione Recepta legimus: *Τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε, ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε; τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων, θάνατος.* Et haec genuina esse satis certum est. Sed de eo lis agitur, utrum Particula *τότε*, an Verbo *ἐπαισχύνεσθε* concludatur interrogatio. Ab utraque parte stat magna editorum et interpretum caterva, a MEIJERO memorata. Praeter eos hoc probarunt ORIGENES, *Ambrosiaster*, PELAGIUS, SLICHTINGIUS, HAMMONDUS, HARWOODUS, HUGENHOLTZIUS, PAULUS, BOEHMIUS, KLEEIUS, TERROTUS, STUARTUS, HODGIUS; illud vero CRELLIUS, WOLFIUS, GRIESBACHIUS, GOESCHENIUS, TISCHENDORFIUS, BOSVELDIUS, REITHMAYRUS, KREHLIUS, SHUTTLEWORTHUS, PEILIUS, VISSERINGIUS. Quod mihi quoque, ut antea placuit [1]), sic etiamnum placere pergit. Et varia argumenta esse puto, quae suadeant, ut mutata distinctione oratio sic edatur: *Τίνα — τότε; ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε· τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος.* Primum eo in loco positum est Adverbium *τότε*, ut verisimile sit interrogationem in illud desinere. Deinde mirifice ceteris adiecta sunt verba: *ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε*, si

---

[1]) *Annot.* c. p. 198 et *Comm.* ad *Phil.* I: 22

ipsam ad interrogationem pertinent. Porro his ad illam relatis, alia intelligi nequit responsio quam οὐδένα, *nullum*, a MEIERO etiam probata: atqui ea hunc in locum non quadrat, quoniam quaestio non est, *an fructum*, sed *qualem fructum* improbitas pepererit, et postremum θάνατος, *mors*, peccati fructus fuisse dicitur. Praetermittendum quoque non est, Antitheta vs. 22 non esse ἔχετε καρπόν, sed ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν, quod ostendit, *qualis* sit fructus, quo gaudeant sectatores CHRISTI, ab alio fructu differens. Quae singula haud secus inserviunt ad refellenda argumenta, a FRITZSCHIO, REICHIO, MEIERO aliisque pro Editione Recepta allata atque ad diluendum, quod eius correctioni obiecerunt. Conferri praecipue meretur disputatio RÜCKERTI. Itaque sine scrupulo PAULUM rogantem facio: *Quemnam igitur fructum habebatis tunc?* et respondentem: ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε. Spectasse videtur *vitia et flagitia* inde enata, quod Romani peccato servientes a probitate plane alieni fuerant. Cur imagine a *fructu* petita usus sit, equidem ignoro, sed causam quoque explicare nesciunt, qui verba ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε ad ipsam referunt interrogationem. Eam tamen ad *mala* significanda accommodatam esse, negari nequit. Claro nobis exemplo sit dictum ETEOCLIS apud AESCHYLUM [1]):

Ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
Κάκιον οὐδὲν, καρπὸς οὐ κομιστέος,
Ἄτης δ' ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται.

---

[1]) *Sept. contr. Theb.* vs. 566 sqq. BOTH.

Quid vero plura in Graecorum libris circumspiciam? In N. etiam T. nempe *Matth.* VII: 17, 18. XII: 33. *Luc.* VI: 43, de *fructibus malis* sermo est. Minoris igitur ponderis est annotatio MEIIERI, PAULUM nusquam improbitatem καρπόν vocare. Sed si aliis haec annotatio obstat, mihi nullo modo. Tantum enim abest, ut vocabulum καρπόν malam in partem accipiam, ut nihil aliud significari putem quam *fructum*, quemadmodum Cap. I: 13, item *Gal.* V: 22. *Eph.* V: 9 al. Hanc autem ut *mediam* retineamus *notionem*, postulat omnino Pronomen τίνα. Ergo ne ipsi quidem interrogationi cogitationem improbitatis admiscere licet. Omne, quod detestandum est, continetur responsione ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε. Neque ulla explicatione vocabuli καρπόν indigemus. Nihil vero longius hinc remotum est, quam notio *emolumenti*, quae vs. 22 prorsus ferri nequit. Hactenus FRITZSCHIO, MEIIERO, STUARTO, HODGIO assentiri malo quam REICHIO et KREHLIO, ut formulas ἔχειν καρπόν et φέρειν καρπόν distinguam. Sed si subsisto in verbis καρπὸν εἴχετε interpretandis *habebatis fructum*, notionem sequor, quae Antithesi vs. 22 et similibus Cap. I: 13 tribuenda est. Illud autem *habere* eodem redit ac *percipere* aut, si magis placet, *possidere*.

Et sic quidem interpretando me nonnihil etiam attulisse spero, quo distinctionem propositam commendarem. Plerique autem interpretes, quibus eadem placet distinctio, Pronomen τοιαῦτα cogitando praefigunt responsioni: ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε. Atque eos haud secus hoc per loquendi usum facere posse concedo, quam alterius distinctionis fautoribus licere, ut intelligant Genitivum τούτων vel ἐκείνων. Sed si verum

est, quod de interrogationis praecedentis sensu disputavi, hoc loco vereor ut neutrum probari possit. Utroque autem spreto haud scio, an nihil aliud supersit quam difficilia illa ἐφ' οἷς cum KREHLIO et PEILIO, quos LUTHERUS praecessit, ad vocabulum καρπόν, utpote Singulare Collectivum, referre. Tali cum Singulari saepissime Pronomen in Plurali connexum est, ut apud PLATONEM [1]), ubi ait: *θησαυροποιὸς ἀνήρ· οὓς δὴ καὶ ἐπαινεῖ τὸ πλῆθος.* Nec nos deserunt veteres, si quaestio agitur de vocabulo *καρπός*. Illud Singulare Collectivum est, ubicunque generatim *fructum* denotat [2]). Quis immemor est frequentati illius *καρπὸς ἀρούρης?* In mentem mihi etiam veniunt verba PHILEMONIS [3]):

— — — — — — — — — — ἡ λύπη δ' ἔχει,
Ὥσπερ τὸ δένδρον τοῦτο, καρπὸν, τὸ δάκρυον.

Ita in N. T. *Ioann.* XV: 8. *Hebr.* XII: 11. *Iac.* III: 18, item *Matth.* III: 8, ubi apud TISCHENDORFIUM exstat Singulare *καρπόν*, quod *Luc.* III: 8 Plurali *καρπούς* explicatur. Quid? quod PAULUS plus semel cum Articulo *τὸν καρπόν* scripsit ad *fructuum multitudinem* denotandam, uti *Gal.* V: 22, quo in loco ver-

---

[1]) *De Republ.* Lib. VIII. p. 554, ubi legatur STALLBAUM. Cff. MATTH. Tom. II. p. 976 sqq. KÜHNER. Tom. II. p. 502, 503 aliique. Exempla e N. T. affert WINER. p. 165. [Ed. VI. p. 128.] Neque hoc praeteriit STUART. *Gramm.* p. 200.

[2]) Nullum igitur vocabulum maiore iure adiungitur iis, quae recensuit BERNH. p. 58, 59.

[3]) Apud STOB. Tom. III. p. 373 GAISF.

bis: Ὁ δὲ καρπὸς τοῦ Πνεύματός ἐστιν adiunguntur ἀγάπη, χαρὰ, εἰρήνη cet. Infra quoque vs. 22 aeque ac supra Cap. I: 13 *fructus* generatim intelligendi sunt. Neutiquam igitur me perturbat FRITZSCHIUS de REICHIO, cui hoc etiam placuit, aiens: »Monstrum peperit interpretationis, neque peperit solum, verum etiam aluit et exornavit." Quid? si mihi favere dixero verba PLATONIS, qui SOCRATEM rogantem facit [1]): ποῖόν τινα οἴει μετὰ ταῦτα τὴν ῥητορικὴν καρπὸν ὧν ἔσπειρε θερίζειν; Latine ea reddidit interpres: *qualem putas oratorem huiusmodi segetem, quam sevit, messurum?* Ibi tamen fortasse praestat Pronomen ὧν pro ἐκείνων, ἃ accipere cum ASTIO, cuius interpretatio est: *quem censes postea Rhetoricam eorum, quae severit, fructum esse percepturam?* Studiose autem PAULUS in responsione, quum *vitia* et *flagitia* ei ante oculos obversarentur, *multitudinis* illorum causa Plurali ἐφ' οἷς usus esse videtur. Quod probe animadvertendum est, ne quis cum BENGELIO dicat, Apostolum, si Pronomen ad vocabulum καρπόν retulisset, scripturum fuisse ἐφ' ᾧ in Singulari. Ergo, si revera vocabulum καρπόν Singulare Collectivum est, quocum iungi debeat Plurale οἷς, ad interrogationem respondet ille: *eos, quorum vos nunc pudet.* Cur PAULUS scripserit ἐφ' οἷς, non vero οὕς in Accusativo, post Verbum ἐπαισχύνεσθαι usitato, quaestio difficilior est. An fortasse Accusativus intelligi et responsio vertendo reddi debet: *quorum causa vos vestri nunc pudet?* Vide 2 *Tim.* I: 12

---

[1]) *Phaedr.* p. 260. BEKK. edidit Plurale ὧν, quod tuetur etiam HEINDORFIUS.

et cff. disputata ad Cap. V: 12. Cum hac responsione optime cohaerent postrema: *τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος*, i. e. *in nihil aliud enim fructus illi desinunt quam in mortem.* Nullo enim argumento nititur quorumdam opinio, Pronomini *ἐκείνων* denuo interrogandi signum subiiciendum esse. Nec magis audiendi sunt BEZA aliique, qui vocabulum *τέλος* ita interpretantur, ut conveniat cum sequenti *ὀψώνια* vs. 23, quo et notio fingitur vs. 22, ubi vocabulo illi respondet *τὸ χάρισμα*, ab eo aliena, et potestas Pluralis in illo *ὀψώνια* negligitur, et Gradatione sua oratio privatur. De vocabulo *θάνατος* supra satis disputatum est. Ceterum nexu horum verborum et praecedentium quaerendo nemo cum WETTIO et KREHLIO fatigabitur, qui homini nihil turpius esse viderit, nisi quod in mortem, quatenus peccati poena est, desinat.

Nondum vero haec omnis mihi plane satisfacit disputatio. Nimirum haud paucos interpretes, ut vs. 20 cum circumiectis in concordiam redigerent, vim orationi intulisse vidimus, aut Ironia in Apodosin importanda, aut saltem verbis: *ἐλεύθεροι ἦτε* explicandis: *opinione vestra liberi eratis.* Mihi vero, quamvis talia improbarem, difficultates, quibus vs. ille premitur, tollere non contigit. Et primum quidem posterius membrum, nisi alieni quid ei inseritur, nihil aliud continet, quam quod res ipsa loquitur, ideoque inanem parit Tautologiam. Deinde Tautologiae illi ansam non praebuit admonitio vs. 19, quacum sane id, quod hîc legitur, quidquid VV. DD. ei admiscent, minus congruit. Tum a vs. 20 ad vs. 21 oratio, nisi suo ex ingenio transitionem faciat interpres, dici nequit bene procedere. Praeterea animus attendatur oportet ad Par-

ticulas ὅτε et τότε. Haud raro in libris veterum fit, ut illae una eademque comprehendantur sententia, ut apud HOMERUM [1]), ubi legimus:

Ἀλλ' ὅτε δὴ μῆνές τε καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο,
Ἂψ περιτελλομένου ἔτεος, καὶ ἐπήλυθον ὧραι,
Καὶ τότε δή μιν ἔλυσε βίη Ἰφικληείη.

Similiter *Matth.* XIII: 26. XXI: 1. *Ioann.* XII: 16. Cf. *Ies.* XX: 1, 2. Me quidem non latent loci, in quibus Particulae illae separatae sint, sed loquendi usum, his exemplis probatum, urgeo propterea, quod Apostoli declaratio vs. 20 ab altera, ὅτε, incipit, eiusque interrogatio vs. 21 in alteram, τότε, desinit. Itaque haud scio, an Editio recepta eatenus corrigenda sit, ut duae sententiae in unam coalescant. Quod vide, an sine culpa fieri possit oratione sic constituenda: *Ὅτε γὰρ δοῦλοι ἦτε τῆς ἁμαρτίας ἐλεύθεροί τε τῇ δικαιοσύνῃ· τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε;* i. e. *Quando enim servi eratis peccati liberique probitati, quemnam igitur fructum habebatis tunc?* Uti mutatio Verbi ἦτε in Particulam τε lenis est, ita ab antiquissimo tempore Protasis hominum oculis hanc fraudem facere potuit, ut Verbum illud bis scriberent. Deinde Coniunctio *οὖν*, Pronomini *τίς* subiecta, saepissime inservit ad id indicandum, quod e praecedentibus sequitur, uti supra Cap. III: 1, 9. IV: 1 al. [2]). Nec

---

[1]) *Odyss.* XI. vs. 293 sqq. Simile exemplum praebet CALLIM. *Hymn. in Cerer.* vs. 114, 115. Cff. *Hymn. in Dian.* vs. 202, 203, et *in Del.* vs. 207, 208, ubi Particula τότε praeposita, ὅτε postposita est.

[2]) Si quis plura cupit, evolvat *Matth.* XIX: 7. XXVII: 22. *Marc.*

frustra quaeruntur loci, ubi hoc Pronomen ab Apodoseos stat initio [1]). Particulam quoque *τε* satis crebro ad duo similiter copulanda usurpatam reperimus, quemadmodum *Act.* X: 22 CORNELIUS dicitur *φοβούμενος τὸν Θεὸν μαρτυρούμενός τε ὑπὸ ὅλου τοῦ ἔθνους* [2]). Hac autem coniectura probata versui 20 nihil amplius inesse puto, quod alicuius in offensionem incurrere possit. Et favere ei videntur sequentia *ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ Θεῷ*, utpote coniuncta. Sed quum omnes, quantum novi, antiquioris et recentioris memoriae testes, inde a CLEMENTE *Alex.* [3]), una cum omnibus editoribus et interpretibus fidem Verbi *ἦτε* tueantur, is profecto ego non sum, qui meo periculo asseverare ausim, orationem corrigendam esse.

Vers. 22.

Deplorandae exterorum conditioni PAULUS beatum sectatorum CHRISTI statum opponit: *Νυνὶ δὲ, ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ Θεῷ, ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμὸν, τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον.* Prima verba inserviunt ad eam-

---

XV: 12. *Luc.* VII: 42. XX: 15, 17. *Ioann.* I: 21, 25. VI: 30, item PLAT. *Protag.* p. 316. PLUTARCH. *Moral.* p. 830. Sed ubivis copia est exemplorum.

[1]) Cf. KÜHNER. Tom. II. p. 589.

[2]) Alia exempla vide *Act.* IX: 15. XXIV: 5, item apud HOM. *Iliad.* I. vs. 159. EURIPID. *Med.* 752, 753. Cf. LENTING. p. 148.

[3]) *Strom.* Lib. IV. Tom. I. p. 568. POTT.

dem, quae hoc in Capite frequens est, Prosopopoeiam persequendam. Pro τῇ δικαιοσύνῃ tamen auctor scripsit τῷ Θεῷ, quoniam, ut recte animadvertit GROTIUS, Deus ab eo colitur, qui probitati studet. *Deum* autem non *diabolo*, sed *peccato* opposuit; quod REICHIUS eum fecisse monet more sibi in locis mere, uti dicuntur, Didacticis usitato. Ceterum nemo negabit Graeca explicanda esse: *Nunc autem, quum a peccati imperio liberati, Deo vero subiecti*, seu *obedientes facti sitis.* Sed paulo difficiliora sunt connexa: ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμόν. E distinctione vocabulorum καρπός et ἁγιασμός iure suo cogit MEIIERUS, inter eorum interesse notiones. Hinc vero non sequitur, vocabulo καρπός *meliorem* denotari *sentiendi rationem*, quae non exclusa est a praecedentibus: ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ Θεῷ. Praestat sane cum PHILIPPO τὰ ἔργα τοῦ Πνεύματος intelligere. Sed inde, quod καρπός et ἁγιασμός inter se distinguuntur, apparet, nisi fallor, hic etiam persistendum esse in cogitatione *fructus* vel *fructuum.* Haud sine causa autem Substantivo καρπόν, ut MAIERUS etiam notavit, praepositus est Articulus τόν, postpositum Pronomen ὑμῶν. Nonne vero Articulus et Pronomen inserviunt ad *fructum* indicandum, *quo* CHRISTI *gaudent sectatores?* Hanc vim habent *Ioann.* XV: 16, ubi verba IESU: καὶ ὁ καρπὸς ὑμῶν μένῃ explicanda sunt: *et ut fructus, quem vos, mei discipuli, fertis, maneat.* Similiter ea accipere iubent loci, in quibus cum alio Substantivo pendent a Verbo ἔχειν, uti 1 *Pet.* II: 12, ubi scribendo: τὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἔχοντες καλήν, Apostolus sibi voluit: *pulcram inter gentes agite vitam, qua utpote* CHRISTI *sectatores distin-*

guamini. Comparari quoque meretur quod *Gal.* II: 4 legimus: *τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν*, et hoc quidem sensu: *libertatem, quam ego meique adiutores habemus.* PAULUS igitur hoc loco Romanis dicit: *fructum habetis Christianum.* Quibus verbis gratulatur iis possessionem fructus, cuius participes facti sunt per fidem auctore CHRISTO in Deo positam. His continuo, ab oratione figurata ad propriam transiens, adiungit *εἰς ἁγιασμόν*, quo lectores docet, *fructum longe alium quam naturalem* intelligendum esse. Breviloquentiae autem, quae huic formulae inest, convenienter disputatis ad vs. 19, hac succurratur explicatione: *vos eo ducentem, ut sanctitas in vobis promoveatur.* Atque haec, ut bene monet RÜCKERTUS, quodammodo opposita sunt praecedentibus vs. 21: *ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε.* Progrediamur ad postrema: *τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον.* Verbum *ἔχετε* hîc repetendum esse nemo ibit infitias. Nec dubitari potest, quin PAULUS *Antitheseos tantum causa* TERTIO suo dictaverit: *τὸ δὲ τέλος*, quod neutiquam quadrat in connexa: *ζωὴν αἰώνιον.* Quid igitur? An imprudenter structura excidit? Vel an alteri: *finem vero* (sic enim scribendum videtur, non *finis vero est*) adiiciendo altero: [*habetis*] *vitam aeternam*, significavit, verba *τὸ δὲ τέλος* minime urgenda esse, quum *vitam* proponeret *nullis finibus circumscriptam?* An hoc etiam consilio Accusativum *ζωὴν αἰώνιον* pendentem fecit a Verbo *ἔχετε*, ut docerentur lectores, se hac iam in terra vitae aeternae participes esse? Quidquid vero harum rerum est, Praesens *ἔχετε*, quum ante utrumque Accusativum *καρπόν* et *ζωὴν αἰώνιον* eodem modo accipiendum sit, de eo mihi persuadet, me supra formulam *ζωὴ αἰώνιος* bene interpretatum esse *vitam vere*

vitalem aeternumque duraturam, cuius hac iam in terra participes sint sectatores CHRISTI. Quod confirmant non solum *Ioann.* V: 24. 1 *Ioann.* III: 14, 15 aliique loci in scriptis huius Apostoli, sed etiam varia PAULI dicta, praesertim 1 *Tim.* IV: 8, ubi *pietas erga Deum* promissionem habere dicitur ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης. Neque huic interpretationi obstant *Rom.* II: 7. V: 21. *Gal.* VI: 8. 1 *Tim.* I: 16. VI: 12. *Tit.* I: 2. III: 7, ubi demum mentem eius assequi videmur, si nobis vitam futuram proponimus, non a vita praesenti separatam, sed cum ea coniunctam, quatenus 1 *Tim.* VI: 19, secundum GRIESBACHIUM aliosque, ἡ ὄντως ζωή dicitur.

Vers. 23.

Ceteris, quae oratio praecedens continet, praetermissis PAULUS postremae eius parti annectit verba: *Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος· τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ ζωὴ αἰώνιος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.* Fidem haec faciunt interpretationi vocabuli ὅπλα vs. 13 propositae. Opportune CHRYSOSTOMUS: *Ἐπειδὴ ὅπλων ἐμνημόνευσε καὶ βασιλέως, ἐπιμένει τῇ μεταφορᾷ λέγων· τὰ [μὲν] γὰρ ὀψώνια.* Similiter THEODORETUS aliique veteres. Hinc vero non sequitur, oppositum χάρισμα itidem a re militari petitum esse. Incredibile enim est, PAULUM ei aliam notionem tribuisse quam Cap. V: 15, 16, quorum ratiocinatione haec sententia nititur. Ergo in censum non venit *donativum militare*, ut WETSTENIUS, KÜTT-

NERUS [1]) aliique voluere, sed scribendum est *gratificatio*, seu *beneficium gratiae*. Vocabulum ὀψώνιον, quod Graecis antiquioribus incognitum fuit et a LOBECKIO [2]) dubiae auctoritatis esse dicitur, proprie *stipendium militare*, deinde generatim *mercedem* significat. POLYBIUS [3]) aliique recentioris memoriae scriptores Plurali ὀψώνια, quod *Luc.* III: 14. 1 *Cor.* IX: 7 etiam exstat, potissimum usi sunt, quoniam variis rebus numisque constabat stipendium. Hoc vero PAULUM minus propter multiplicem peccati mercedem imitatum esse, apparet, nisi fallor, e connexis Singularibus θάνατος et χάρισμα. Non dubito igitur Graeca Latine interpretari: *Merces enim peccati* (i. e. ut MEIIERUS bene contra GROTIUM monet, *quam dat peccatum*) *mors est.* Apodosis ad literam sonat: *Gratificatio vero Dei* (seu *beneficium vero gratiae Divinae*) *vita aeterna est in* CHRISTO IESU, *Domino nostro.* Postrema, si ratio habenda est eorum, quae supra vs. 11 et alibi vidimus, explicanda sunt: *in communione* CHRISTI IESU, *Domini nostri*, et ad totam, quae praecedit, huius Apodoseos partem pertinent. Sensus orationis igitur est: *Gratiae vero Dei hoc debemus, ut per fidem, auctore* CHRISTO IESU, *Domino nostro, cum eo coniuncti, vitae aeternae simus participes.* Atque sic Apostolus per Gradationem a minori ad maius procedit. Quum autem sectatores CHRISTI hac iam in terra participes esse dicantur vitae aeternae, vitae illi inclusa sunt ἡ δικαίωσις et omnia

---

[1]) *Hypomnem. in N. T.* p. 233.

[2]) Ad *Phryn.* p. 420.

[3]) Lib. V. cap. 30. Alia ex aliis etiam scriptoribus affert FRITZSCHIUS.

bona, e gratia Divina in eos redundantia. Ceterum ita PAULUS non solum scripsit, quod sibi firmiter persuasum habebat, quidquid exoptati nobis hominibus obtingat, illud unice beneficentiae Divinae acceptum referendum esse, sed etiam, quod totam disputationem, inde a Cap. III: 21, aggressus erat, ut huic beneficentiae locum suum pretiumque vindicaret.